C. ASINI POLIONIS

DE BELLO AFRICO

COMMENTARIUS.

RECENSUERUNT, EMENDAVERUNT, ADNOTATIONE ILLUSTRAVERUNT

EDUARDUS WÖLFFLIN ET ADAMUS MIODOŃSKI.

ADIECTA EST TABULA PHOTOLITHOGRAPHICA CODICIS ASHBURNHAMENSIS.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXXXIX.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

GUSTAVO LANDGRAF

D. D. D.

EDITORES.

PRAEFATIO.

Commentarii de bello Africo edendi consilium natum est, simulatque Gustavus Landgraf argumentis satis probabilibus hunc librum a C. Asinio Polione conscriptum esse demonstravit*); confirmatum autem est, quia eodem fere tempore Stoffelius, homo rei militaris peritissimus, de rebus a C. Caesare gestis optime disseruit**); tertia denique accedebat causa, quod meliorem Africae provinciae notitiam debemus Carolo Tissot.***) Videbatur enim operae pretium esse accuratius inquirere, in quantum sermo, quo usus est belli Africi auctor, congrueret et cum Asinii epistulis ad Ciceronem datis et cum iis, quae veteres de Asinio poeta, oratore, historiarum scriptore memoriae prodiderunt. Quod etsi iis absurdum fortasse videbitur, qui incertum libri auctorem in numero hominum plebeiorum ponere consuerunt (a quo genere Asinium Polionem aliquantum distare nemo negat), nostris tamen temporibus, quae sermoni plebeio aut familiari iure tribuuntur, eadem priscae quoque Romanorum orationi vindicari posse comprobatum est, quia, quae veteribus placuerunt, a Tulliana vero facundia abhorruerunt et verbis noviciis cesserunt, vulgi consuetudine diutius servata esse constat. Itaque non tam agitur de dicendi genere vulgari, quam de priscae orationis colore, cuius quoniam veteres Asinium amantissimum fuisse professi sunt, ante omnia quaerendum erat, referretne tota libelli indoles summi oratoris imaginem.

Quamquam non subsistendum erat in re grammatica: immo ut firmo niteretur haec quaestio fundamento, verba scriptoris ad codicum fidem, quantum licuit per temporis

---

*) Untersuchungen zu Caesar u. seinen Fortsetzern. Erlangen. 1888.

**) Histoire de Iules César. Guerre civile. Par le colonel Stoffel. I. II. Paris. 1887.

***) Géographie comparée de la province Romaine d'Afrique. Par Charles Tissot et Sal. Reinach. I. II. Paris. 1887. 1888.

angustias, recensenda, et quoad fieri potuit coniectura emendanda erant. Fecimus pro parte virili, quod intra paucorum mensium spatium aliis quoque distenti negotiis pro munerum vacatione praestare potuimus; multa autem restare aut aliis expedienda aut nobis secundis perpolienda curis quivis facile intelleget, sed si qua inveniet minus recte administrata, ea perpensa rei difficultate excusaturum esse speramus.

Ac novum quidem editori auxilium paratum est ex codice nunc Florentino sive Laurentiano (C. L. Nr. 33), olim Ashburnhami (A), omnium, quotquot supersunt, longe antiquissimo, a nobis Florentiae collato mense huius anni Martio et iam a Th. Stangelio accuratius descripto in Philol. vol. XLV, pag. 213 seqq. De aetate, qua scriptus esse existimandus sit, mirum sane admodum dissentire viros harum rerum peritissimos; cum enim Philippus Delisle eum saeculo undecimo assignaverit, bibliothecae Laurentianae praefectus clarissimus, Nic. Anziani, eum aut decimo aut adeo saeculo nono exeunti tribui posse existimavit. Equidem, cum litterarum formas cum saeculo undecimo discordare viderem, specimen scripturae legentium oculis subiciendum curavi, ut suo uterentur iudicio: quamquam non praetermittendum complures in codice describendo sibi successisse scribas, quorum quo quisque fuit aetate maior, eo vetustiores litterarum formas expressit, sicuti ille, cuius manum tabula adiecta imitatur. Litterae a tamen apertae, quae dicitur, nullum per totum commentarium inveni vestigium. Folio 134 verso legitur: Iulii Celsi Cesaris Constantini lib. XII'. Incipit de bello Affrico; et folio 153 recto: Incipit liber XIII' de bello Hyspanico. Quando vixerit ille grammaticus, qui commentarios recensuit, adhuc ignoratur; monendum tamen eiusdem nomen etiam in subscriptionibus librorum de bello Gallico legi, velut in fine commentarii primi: IULIUS CELSUS CONSTANTINUS U' C (id est: vir clarus) LEGI. Ex numeris autem, quibus singuli commentarii insigniti sunt, omnes tam Gallici et civilis quam reliquorum bellorum ad unum idemque opus pertinere perspicitur, quod in tredecim (per errorem?) libros divisum erat, cum bello civili duo tribuerentur pro tribus. Neque tamen abest suspicio totum corpus duabus hebdomadibus constitisse, id est septem libris belli Gallici a Caesare conscriptis, uno Hirtii, qui est octavus de bello Gallico, tribus belli civilis, singulis denique commentariis belli, quod vulgo dicitur, Alexandrini, Africi, Hispaniensis. — Folio primo recto scriptum est man. rec.: *C. de Bresche 1614;* paulo infra alia manu: *Emi Achiaud. 1666.*

Sed, utut est, codex Ashburnhamensis reliquos belli

Africi qui adhuc innotuerunt codices duobus fere saeculis superat. Ipsum descriptum esse ex codice aliquo saeculi noni, litteris minusculis, non uncialibus scripto, cum alia documento sunt, tum frequens litterarum a et ci vel ic confusio: 26, 1 arcum (= circum); 29, 1 fide dicta (data); 44, 1 delicta (delata); 54, 1 si alia (Sicilia), quae omnia ex antiquiore litterae a forma (cc) explicantur. Etiam litterae r et f passim inter se commutatae huic coniecturae fidem faciunt.

Trium codicum, quibus usus est Nipperdeius in recensendo commentario, unum prorsus omisimus, Scaligeranum, quia eius auctoritatem non magnam esse Forchhammer recte perspexit; praeterea quo pervenerit, incertum est. Cf. Nipperd. quaest. Caes. pg. 43.

Alterum, Parisinum (N. 5764) sive Thuaneum (P), quia olim fuit Thuani, saeculo XII scriptum, denuo excutere animus erat; pepercimus tamen labori, cum, qui eius discrepantias enotaverat, Frigellius, fide satis dignus videretur.

Tertium, Leidensem (lat. N. 38 D) (L), scriptum saeculo XII et iam ab Oudendorpio adhibitum, cum Nipperdeius perscrutandi laborem defugisset multasque lectiones aut falsas enotasset aut silentio praetermisisset, denuo inspicere visum nobis est, in qua re adiuti sumus clarissimi bibliothecae illius praefecti, Georgii N. Du Rieu benevolentia et liberalitate, si quidem librum per tabellarios publicos huc mittendum curavit. Contulit codicem cum Nipperdeii editione maiore suo Marte uterque editor, quod ideo hoc loco monendum esse putavimus, ne quis quid aliis relictum esse putet.

Restant codices, quibus usus est Fr. Dübner in adornanda Caesaris commentariorum editione, quam iussu Napoleonis III emisit anno 1867 Parisiis. Quae quamquam modico pretio prostat, in tam paucorum apud nos philologorum manus pervenisse videtur, ut, quod valde dolendum est, exiguum laborum suorum fructum tulisse censendus sit editor. Ac tantum in contemptum incidit bellum illud Africum, ut, cum anno 1872 Franciscus Froehlich doctum sane libellum de eo conscripsisset (Das Bellum Africanum, sprachlich und historisch behandelt. Brugg. 100 pagg.), ne huius quidem opera eo, quo dignus erat, exciperetur favore. — Ceterum, ut redeamus ad belli Africi codices a Duebnero adhibitos, horum lectiones in apparatu nostro critico digessimus:

codicis Ursiniani (U), qui fuit olim Fulvii Ursini, nunc asservatur in bibliotheca Vaticana (N. 3324), saec. XII. Contulit eum rogatu Duebneri Kékulé Berolinensis et ita quidem, ut locos, de quibus ille dubitaret, iterum examinaret;

codicis Florentini (F) sive Riccardiani (bibl. Riccard. N. 541), saec. XIII scripti;

codicis Vindobonensis N. 65 catal. Endlich. (V), saeculo XII exeunte vel XIII ineunte scripti, quem in gratiam Duebneri accuratissime excussit Eman. Hoffmann, prof. Vindobonensis;

codicis Dresdensis membranacei bibl. Regiae, N. 122 (D), saeculo XIV scripti et a Duebnero ipso collati;

codicis Dresdensis chartacei, bibl. Reg. N. 83 (δ), item a Duebnero collati. Horum scripturas fere omnes Duebneri editione usi enotavimus exceptis tamen rebus levioribus et plerisque, quae ad orthographiam pertinent, quoniam de ea summatim dicere satius visum est.

Perraro protulimus lectiones codicis Norvicensis, nunc Cantabrigiensis, usurpati a Davisio et Clarkio, qui fuit olim Ioannis Moore, episcopi Norvicensis. Multas quidem praebet optimas, sed non ex codice archetypo deductas, sed ex ingenio correctoris alicuius linguae latinae haud imperiti correctas. Eadem est ratio codicis Petaviani, de cuius fatis dixit Duebner in praefat. pg. XXV.

Denique codicum nondum collatorum commemorandi:

codex Monacensis lat. 15765 (Salisburg. aulic. 65), scriptus saeculo XV;

codex Sangallensis, bibliothecae Vadianae, B. I 4, scriptus saeculo XV.

De re orthographica si quis quaerat, codicem antiquissimum Ashburnhamensem ceteris praestare inveniet; passim enim unus formas antiquiores servavit. Id cum de vocalibus valet, tum de consonantibus in verbis compositis non assimilatis. Ea ipsa autem re Asinium veterem morem, cui Sallustius quoque obtemperavit, secutum esse apparet, cum plerique aequales, quod Augusti temporibus invaluit, assimilationem probarent. Quod quo melius cognoscatur, singula quaeque suis generibus attribuamus.

Commutatarum litterarum ae et e exempla proferre supersedimus; nam codex A in hac re adeo inconstantiae indulget, ut plerumque scriptum sit Caesar (rarius Cesar), sed nulla fere exceptione Getuli; praeditus et presidium; Iubae et Iube, et quae sunt similia.

au in vocabulo 'plaustrum' vocali o cessit 9, 1. 21, 2. 75, 3.

e pro i unus A servavit in Mauretania 22, 2. 23, 1, quae scriptura inscriptionibus confirmatur. Vergilii quoque nomen

constanter fere praebet A (praeter 28, 1. 44, 1), cum in L ubique Virgilius scriptum sit. Similiter 'intelleges' cp. 45 debemus codicibus AP; 16, 3 omnibus praeter L; neglegenter, neglegentia 18, 5. 46, 4. 66, 1 scriptum est in A aliisque, in L negligenter, negligentia. In 'derigendi' verbo (aciem, brachium) mirifice fluctuant codices; praeferendum tamen esse derigere, quod ubique restituimus, inde colligitur, quod 1) omnes codices 51, 2 habent brachium erigere; 2) 59, 1 unus A aciem derexit; 3) 38, 2 PUF brachium derigi, 41, 2 LUF acie derecta, 78, 2 PUF equitatu derecto; 4) quod 26, 4 oculos depositos derectosque ratione allitterationis habita commendatur. — Accusativos pluralis eorum nominum, quorum genetivi exeunt in -ium, secundum codicum auctoritatem terminavimus in -es, veluti naves, etsi Asinium ita scripsisse parum probabile est; cessimus virtuti codicis A in uno accusativo turris 88, 5, quia in hoc ipso nomine terminatio in -is praevalet.

Contra ea **i** pro **e** reposuimus in verbo nausia 18, 4 (cum omnibus codicibus), 34, 6 cum codice L, in cuius archetypo scriptum erat naus$\overset{e}{\text{i}}$aque vel naus$\overset{i}{\text{e}}$aque. 'Dilectus' scripsimus 20, 4. 36, 1 cum codice L.

In superlativis **i** pro **u** retinendum erat propter consensum librorum, quorum tamen fides quam sit fallax post Caroli Magni tempora nemo ignorat. Scripsisse autem Asinium 'maritumus' ex eo elucet, quod 28, 1 in V traditum est mauritumo, quodque in A 77, 1 exaratum est maturrima pro marituma. Decumius 34, 2 servavit unus L (cf. decumanus 16, 2. 3); recupero 63, 3 AL.

o et **u**. Recte scriptum est adulescens, adulescentulus 22, 2. 3; 23, 1; 28, 2. 3 in A; in ceteris fere omnibus adolescens, adolescentulus; in eodem A tamen vulnus, vulnero, parvulus, reliquum; 29, 3 ex corruptela eliciendum est 'ad ecum', non ad equom.

u et **e**. In scriptura 'dicundi' cum A consentiunt UF 45, 1; in regrediundi 50, 2 A cum LP, nisi forte in horum lectione corrupta latet redeundi.

y, **u**, **i**. Cum ex Charisio p. 100, 23 K. Polionem sciamus scripsisse: Veneris antistita Cuprus, i. e. Cyprus, sacerdos (ministra) Veneris, nemo mirabitur 2, 6. 3, 1 in optimis codicibus traditum esse Clupeam, Clupeis, non Clypeam aut Clipeam; 'Lilubaei', quod quis eadem ratione scribi oportuisse dixerit, nec vola nec vestigium (1, 1. 2, 2. 34, 4. 37, 1); inconstanter A Adrumetum 3, 1. 24, 1. 43; Adrymetum 33, 3. 62, 5; unus tamen recte habet 'hybridus' 19, 3; falso ubi-

que 'tyrones'. De nominibus oppidorum quorundam, veluti Thysdra, Acylla cf. ind.

De aspiratione in nominibus Punicis scriptores Graecos ac Romanos in diversas partes discessisse unum sive Annibalis sive Hannibalis exemplum luculenter docet. 'Adrumetum' scripsimus cum Nipperdeio ceterisque editoribus, quia plurimis locis codices aspirationem omittunt 3, 1. 24, 1. 33, 3. 43; sed 62, 1 L habet Harimetium, PUF Hadrimetum, A Hadrymetum; 67, 1 A Hadrymetum, 89, 3 Hadrimetum; quare prope paenitet non eam formam ubique restituisse, quam et inscriptiones et nummi confirmant. Fortasse etiam 47, 5 vel repugnante codice A scribendum fuit 'harundinibus'; 'hordeum' 67, 2 omnes fere libri tuentur praeter LP (ordeum). (habundo 5 AL).

De consonantium geminatione difficile fuerit certum proferre iudicium. Nam si verum est, quod scripsit Tacitus videri Asinium inter Appios et Menenios floruisse, non utebatur geminatione, quam primus Ennius Romanis commendavit. Itaque fuit, cum Asinium in iis certe vocabulis, de quorum scriptura etiam Ciceronis temporibus non constitit inter viros doctos, veterem morem secutum esse statueremus. Cadit hoc in ipsum Polionis nomen, quod in lapidibus et una, et geminata l scribi constat (cf. Brambach, Orthogr. p. 260 et C. Lachmann in comment. ad Lucr. p. 33, qui Pollio adeo vitiosum esse contendit), nec diffitendum hanc rationem multis locis auctoritate codicum confirmari. Absoluta tamen commentarii editione ita fluctare codices concedendum est, ut tutissimum sit neutri sententiae accedere.

Iam digeramus potissima quaeque. De *mille* et *milibus* silere praestat, quam res decantatas proferre. Qui autem scripsit Polio, idem etiam *Salustius* scribendum esse censuerit; ac sic re vera in AL 8, 3. 34, 1. 3; 97, 1 in L scriptum est, Sallustius his locis omnibus in P. 56, 1 praeferendum erit *balista* cum codicibus plerisque omnibus, excepto fortasse uno A.

Comminus est in A 7, 6. 18, 4. 42, 1. 51, 6; perperam cominus in L; comeatus in A 8, 1 (bis). 21, 4. 31, 10, sed octo aliis locis recte commeatus.

Oportunus praebent AL 79, 1; *reppuli* PU 18, 4. 52, 3. 87, 5 (repuli AL). *Litus* AL 1, 1. 7, 2. 23, 3. 62, 4. 80, 5; littore iidem 11, 2; 24, 4 littore A, litore L; *litterae* decem fere locis omnes codices, certe optimi, quosque ipsi contulimus, AL sine ulla exceptione. *Cotidie* (cotidianus), ut edidimus, A 21, 1. 29, 1. 32, 3. 36, 1. 61, 6; geminata t ter in extremis commentarii capitibus 61, 8. 65, 3. 66, 1, et ita L

constanter. *Uzita* L sexiens; Uzitta, Uzytta, Uxitta vel similiter A. *Sitius* scribendumne sit an Sittius, difficile est dictu, quia et in lapidibus utrumque legitur (cf. adnot. ad 25, 2) et codices mirum in modum variant; Sitius constanter L, Sittius A plerumque, exceptis locis 25, 2 et 96, 1.

Affrica A, quod mireris, in titulo (De bello Affrico), raro in ipso commentario (54, 4. 5); L in inscriptione et per totum commentarium, etiam Affranius, similia.

De assimilatione praepositionum nuperrime disseruit Ios. Dorsch (Assimilation in den Kompositis bei Plautus und Terentius. Prag. 1887). Ex rerum scriptoribus cum Sallustius maxime eam fugisse dicatur, Asinium quoque, utpote prisci sermonis fautorem, eandem normam secutum esse credere licet. Ac profecto codex A huic rationi patrocinatur, quamquam non omnia una, ut aiunt, pertica sunt tractanda. Aliud enim est imperare, impetrare, aliud inponere, inplicare, quia in illis verba simplicia (parare, patrare) ita obscurata sunt, ut compositionem factam esse quasi obliviscaris, in his de verbis compositis dubitari non potest. Inde apparet valere assimilationem in imperandi verbo, quod in novam notionem transiit et sui iuris esse videtur, non utique valere vel certe neglegi posse in alterius generis exemplis. Haud aliter res se habet in verbis appellare et adproperare. 'Conlega' scripsit, si quis memor erat designari aliquem, qui cum altero vel cum aliis una lectus, id est electus esset; eidem autem scribere licuit 'algam e litore colligere', quia verbum compositum novam assumpsit significationem conquirendi vel congerendi, quae verbo simplici rarius subdita est. Deinde alterum quoddam etiam est, quod suadet, ne uni omnia legi subiciamus, scilicet diversa consonantium natura: potest enim fieri, ut quis scripserit 'conponere', idem 'commorari', quia litterarum nm concursus multo durior est. Quae cum ita sint, a codicibus standum est, et ita quidem, ut singulis verbis una tantum tribuatur forma, et quantum fieri potest non assimilata, dummodo ea etsi non omnibus, nonnullis tamen locis optimorum codicum auctoritate nitatur. Quodsi igitur in A duobus locis scriptum est conpello, totidem compello, hoc a librariis ex consuetudine suae aetatis illatum, illud ab Asinio scriptum esse veri simile est.

ab. ob. sub. Cur Romani abhorruerint fere a verbis abgregare, abgredi, dictum est ad 7, 4 (digredior). — *obcaecatae* 40, 4 omnes codices, si fides est Duebnero; contra opponere, opprimere, oppugnare. (Sequente littera t scribitur op; 2, 3 optinebat ALP, quod Asinium ubique fecisse sumendum est, quamquam 27, 1. 31, 2. 94, 2 omnes codices

habent obtinere.) — *submittere* 78, 3 AL, 78, 6 L; summittere 36 AL. *subministrare* 19, 3. 78, 6 AL et 33, 1 L; sumministrare 33, 1 A. *subporto* 24, 3 unus A; nos nostro arbitrio 21, 4 quo tutius commeatus subportari possit, ubi in AL legitur comportari, praepositione substantivi male repetita, in ceteris supportari. (39, 4 subpetias A.)

ad. accedo, accendo, accido, accurro est in omnibus codicibus.

adfinis 32, 3 ex uno A restitutum est; *adfixit* 16, 3 item ex uno A; 'ad ecum adfixo' 29, 3 emendavimus ex codicum ALPV scriptura 'ad decuma defixo'. (adferret 48, 1 coniecimus pro haberet): contra *afficiunt* 87, 2. 88, 5 in omnibus codicibus, etiam AL, fortasse eam ob causam, quia et vocali *a* in *i* attenuata novum quoddam verbum extitisse videbatur et significatio verbi compositi aliquantum abit a simplicis.

agnosco 16, 2 omnes, non adgnosco.

administro 53, 1 A (amministro L); 28, 1. 74, 1 AL amministro; de P non constat. *admisso* equo 63, 1 AL recte, quamquam A 83, 1 ammisso equo, 91, 3 ad penates ammittere. Vitanda autem erat in hoc verbo assimilatio, ne confunderetur cum verbo amittere = abmittere, dimittere.

annuit 46, 1 omnes.

adpropero 61, 7 A, unde 20, 2. 23, 2 proprio Marte scripsimus *adpropinquo*. Ceteris locis constanter apparuit, appellare, appellere etc.

adquiesco 10, 4. 47, 4. 5 A; acquiesco L. *adquisierant* 47, 4 unus A; acquisierant reliqui.

adservatos 44, 2 AUFV (asservatos LP). Contra: assignabat, assidue, assumpsissent, assentio omnes.

adtribuit 88, 2 unus A; attribuit 38, 2 omnes, similiter attenuo et attingo.

[*coicio, coiciebam* 72, 5. 87, 2 scribendum cum A, *coicerentur* 72, 4 cum L, 14, 2 *coiciunt* cum eodem (A conittunt); *conieci, coniecissem, coniectus* cum omnibus fere codicibus.]

con. *conlaudati* 35, 5 ex coniectura scribendum erat, quia 86, 3. 92, 2 in A traditum est conlaudat, conlaudatos. *conlocare* A decem locis, tribus (6, 5. 59, 1. 70, 7) collocare. *conloquebantur* correximus 29, 1 freti quinque locis 51, 3. 56, 2. 57, 1. 2 (bis), quibus in A scriptum est conloquia etc. Contra *colligere* septiens in AL.

conmilitones 45, 5 A; verba assimilationem non admittunt: *committo, commoror, commoveo, communio;* eandem rationem sequuntur *commeatus, commode, communis;* neque enim scriptura codicis A 63, 2 cōmotus, 72, 1 cōmovebatur, 77, 3 cōmeatu litteram nasalem servatam esse demonstrat.

conplet A 62, 1, *conportaverat* idem 36, 4, *conplures* 2, 6. 52, 5. 74, 1, *conpulsis* 40, 5; 23, 2 contulerunt pro *conpulerunt*, unde nasalem ante p ubique restituendam esse sequitur.

corruptus 43 et 47, 6 etiam A, fortasse quia corrumpendi notio maxime diversa est a rumpendo.

in (praepositio et particula privativa). *inbecillior* 94, 1 A.

inlustres, *inlustrior* A 56, 2. 85, 6, ideoque Asinio reddendum etiam 32, 4.

inmittit et *inmissos* A 18, 5. 75, 4; immisit 39, 5, quod correximus. *immoderate* 82, 1. 85, 8 et 82, 2. *immortalis* omnes. *inmunis* 7, 1 A (33, 1 in omnibus codicibus corruptum: etiam undique).

impedimentum 58, 5 L; *impedire* 18, 2. 35, 4. 77, 3 omnes. *inpulit* 16, 1 A; *imperator*, imperium, impero; item *impetrare*, *impetus* omnes constanter; *inplorare* 26, 5 AL (85, 9 iidem implorare); *inpono* A 47, 3. 54, 6, quod ceteris quoque locis restituimus; *inportatus* vel *inportaticius* 20, 4 ALP; *importunitas* 87, 7 omnes; *inpressio* 78, 3 A et 78, 8 AL; *inprovisus* 59, 5 AL, 50, 2. 61, 5. 80, 5 A; *inprudens*, inprudentia 3, 3. 11, 4. 53, 1 A; *impulsu* et imperio 44, 3 A, quod correximus; *impunitas* 85, 8 A.

Litterarum, quae dicuntur, mutarum c et t cum saepe permutantur, maxime in codicibus saeculi XIV et XV, tum in codice A dentalis succedit gutturali, velut in verbis: audatia, pertinatia, internetio, speties, benefitium, supplitium, pernities, sotietas, sautius, fidutia; in AL constanter *ditio* et *conditio*, contra modo *nuntius*, modo *nuncius; tertius* in A, *tercius* in L.

Thabsus in A ubique scriptum est, 44, 1 in plerisque codicibus. Litterae aspiratae passim abundant; nam *anchoris* scriptum est in AL, *nichil* in A ter (*nihil* ter), in L sexiens; *chotho* (vel choto) 63, 4 in omnibus, in A tamen 63, 5 bis cotho. Cf. adnot. crit. ad 62, 5. *Elephans*, *elephantus* in A omnibus locis praeter 1, 4. 35, 4 (19, 3), ubi scriptum est *elefanti*, elefantes, elefantis. Betacismi rara vestigia; *acerbum* 69, 2 in A pro acervum.

Littera nasalis servata 72, 2 in *quotiens*, et in omnibus quidem codicibus; *duodetricensimo* 98, 2 AF (duodetricentesimo P, duodetricesimo L); *elephans* passim, elephas nullo loco.

Iam quaerendum de codicum auctoritate, quos ex uno eodemque archetypo manasse aliquot corruptelae omnibus communes demonstrant. Scriptum est igitur 3, 2 intus (pro instar), 4, 3 immo (imperatore), 6, 7 Usurpinam (Ruspi-

nam vel Hruspinam), 14, 1 se removeret (sese moveret), 19, 3 Iubam (Labienum), ibid. condidicerat (condocefecerat vel condocuerat, quod in recentiores ex coniectura irrepsit), 20, 2 quorum (eorum), 21, 4 Caesari (Caesar), 33, 1 etiam undique (et inmuni vel inmunique), 40, 5 partienda (praebenda), 47, 6 tenebris (tentoriis), 50, 3 abusi (adversarii), 57, 2 ad se, 57, 3 Caesaris (caesis), etc. Quomodo autem ex illo fonte sint deducti propterea difficile est dictu, quia A et L quidem satis accurate a nobismet ipsis sunt collati, de reliquis ratio a Duebnero reposcenda est. Cum autem Adamus Miodoński proximis mensibus iter per Galliam et Italiam suscepturus sit, speramus nos proximo anno omnibus virorum doctorum desideriis satisfacere posse; interim, de quibus rebus fere constat inter nos, quam brevissime expediamus.

Codicem Ashburnhamensem (A) sive Florentinum, omnium antiquissimum, et ut modo exposuimus in rebus orthographicis summa fide dignum si quis primo loco ponendum esse dicat, nos habebit ex parte consentientes, in plurimis vero dissentientes. Quamquam enim negari non potest aliquot lectiones vere egregias ex eo recuperatas esse (19, 3 equoque uti frenato; 20, 4 dirui ac deseri; 26, 5 miseris; 31, 9 suae; 61, 5 frumentandi gratia; 76, 2 quarta vigilia; 91, 1 coniuges liberos; 94, 1 per virtutem) multo pluribus locis tamen corruptelis eum depravatum esse videmus. Sed ut virtutes sequimur, vitia fugimus, sic critico illa retinenda, haec reicienda sunt. Immo librarius, qui tot admisit peccata foedissima, non potest praestantiores lectiones suo ingenio excogitasse, sed eas in suo exemplari invenisse dicendus est. Idque haud parvi momenti est ad aestimandam codicum Dresdensium (D, δ) virtutem, quos haud raro cum A conspirare deprehendas: cum enim antea horum, utpote recentiorum, lectiones ingenio librarii alicuius deberi viderentur, nunc eas iam saeculo decimo in libris manuscriptis propagatas esse constat. Deinde hoc quoque acceptum referimus Ashburnhamensi, quod unus servavit commentarii titulum: De bello Africo.

Nam quod edidit Nipperdeius 'Bellum Africae', sumpsit id quidem ex optimis, qui ei tum praesto erant, codicibus, sed quibus aliorum scriptorum exemplis talis dicendi audacia excusari posset, non declaravit. Ceterum quisquis fuit auctor, libellum suum non seorsum edendum scripsit, sed uti Caesaris de bello civili commentariis medius insereretur; itaque non magis laborandum fuit illi de titulo quam auctori eius commentarii, quem 'bellum Alexandrinum' (cf. b. civ. III 112) dicere consuevimus, parum recte, quoniam illa inscriptio

tantum ad capita 1—33 pertinet. Sed cum Caesari inexsuperabili vi fatorum non esset concessum, ut belli civilis absolveret commentarium quartum, quintum, sextum, controversiae summa eo redit, ut quaeramus, non quomodo inscripserit auctor librum (nullum enim praefixit titulum, quippe qui universos rerum a Caesare gestarum commentarios in XIII vel XIIII libros dividi crederet, sicut fere factum est in codice Ashburnhamensi), sed quod potissimum nomen illi bello conveniat. Ac proprie quidem dicitur bellum Africum, in quo aut Afri cum Afris pugnant, aut Afri cum alia gente, veluti Romanis (ὁ Λιβυκὸς πόλεμος, quem finito bello Punico primo mercenarii contra Carthaginienses gesserunt, Polyb. 1, 132); bellum Africanum, quod in terra Africa geritur, ut Asianum apud Iustinum 38, 3, 10, quod in Asia geritur (ὁ ἐν Λιβύῃ πόλεμος Appian. civ. 2, 94). Id recte dici de bello a Caesare anno 46 gesto nemo est, qui neget; iam enim Hirtius in praefatione libri VIII scripsit: mihi ne illud quidem accidit, ut Alexandrino atque Africano bello interessem, et Cicero in oratione pro Deiotaro 25: secutum est bellum Africanum. At apud ipsum Caesarem legimus civ. 2, 32, 12: Africi belli praeiudicia sequimini; apud Suetonium div. Iul. 56 Alexandrini Africique et Hispaniensis incertus auctor est; Velleius denique 2, 54, 2 et 2, 55, 2 utroque nomine usus est. Itaque, quoniam 'bellum Africanum' in nullo codice traditum est, 'bellum Africum' in antiquissimo Ashburnhamensi, in hoc acquiescamus. Iubam concedamus non summae belli praefectum fuisse et diu de bello Caesari inferendo dubitasse (25, 1); ex quo tamen delectus in provincia Africa habiti sunt (20, 4) et Iuba e regno egressus auxilia satis magna adduxit, bellum dici poterat Africum, quod Caesar contra Afros et 'reliquias' partium Pompeianarum gessit (31, 9). Cf. Kraner, in praefatione ad Caesaris commentarios (Lips. 1861) pag. XXXVI, adnot. 69.

Multo magis impedita res est in aestimando codice L e i d e n s i, quem Nipperdeius fere supparem esse Thuaneo credidit. Confirmavit eius sententiam H. Meusel in 'Jahresber. des philolog. Vereines in Berlin' XI (1885) 176 sqq. ita, ut Leidensem ex ipso Thuaneo descriptum esse demonstraret. Sed quod ille recte monuit de belli Gallici et civilis commentariis, non valere arbitror de supplementis Caesaris. Nam codicis L lectiones a nobis enotatae tantopere a Thuaneo discrepant, ut minime ex hoc ductus esse possit, nisi forte, quod ut credam aegre adducor, Thuaneus a Duebnero tam neglegenter collatus est, ut nos falsam de eo conceptam habeamus opinionem. Immo Nipperdeius, cum in recensendo

bello Gallico codicem Leidensem despicere consuesset, aliquid praeiudicati ad recensionem belli Africi attulisse videtur. Simili autem ratione codicem Ursinianum, quem in libris belli Gallici ex Thuaneo derivatum esse luce clarius est, in ultimis libris ex alio fonte manasse intellexit Duebnerus.

Atque ut incipiamus a rebus levioribus, L saepius verba solus habet ita ordinata, quomodo aut secundum praecepta grammaticorum aut secundum Asinii usum collocanda sunt. Praestat enim genetivos substantivo, a quo pendent, praeponere, aut substantivis cum adiectivis coniunctis inserere, cuius generis sunt 76, 2 ab eius impugnatione, 15, 1 novo pugnae genere; 61, 5 sunt potiti, 85, 4 imperio auctoritateque insolentius quidem dicta sunt, sed cum Asinii consuetudine congruunt, ut exposuimus ad 22, 4. 28, 4. 51, 3. 85, 4. item 24, 1 paucos dies ibi commoratus, 39, 2 cum iam . . animadvertisset locis similibus defendi in adnotatione monuimus. Haec autem omnia librarius, quia non poterat forte fortuna in ea incidere, ex puriore fonte hausisse censendus est.

Sed verba quoque ipsa, quae in L tradita sunt, cum usu et Asinii et reliquorum scriptorum magis conveniunt. Quidni igitur ex uno L restituamus 36, 1: qui modo per aetatem arma ferre *possent*, cum et Sallustium et Livium in talibus sententiis coniunctivo usos esse videamus? contra 35, 1 'quique cum eo *erant*' et similibus Asinii exemplis defenditur, et coniunctivum (essent) non nisi interpretandi artificiis usus explicare possis. Rectius quoque dici *in convallibus* latere quam inter convalles, in adnot. ad 7, 6 expositum est; rectius *ad Uzitam* quam circum Uzitam in adnot. ad 53, 1.

Ne vero quis dicat librarium codicis L haec ex ingenio correxisse, nec tantopere peritus ille fuit linguae latinae, sicut ex multis mendis intellegitur, quae corrigere haud ita difficile fuit, et in nonnullis locis praestantior lectio in L servata est, quam vix coniectando invenias. Priscam orationem imitatur, quod 82, 1 ex L edidimus *in circumeundo exercitum*, quod haud facile quisquam correxerit pro *exercitu*; poeticum colorem refert 25, 4 *regno pulsus*, 56, 3 *Caesarem non latebat*, quare haec Asinio et veterum admiratori et ipsi poetae potius quam interpolatori tribuenda sunt. Ad ipsius Ennii exemplum rettulimus 3, 5 *Africae terrae*. Et cum particulae autem, etiam, enim in ceteris codicibus hic illic inter se confusae sint, in L 51, 5. 59, 4. 72, 3 eae scriptae sunt, quae cuique loco maxime aptae esse videantur. Singula enumerare longum; itaque legentes ad hos potissimum locos

relegamus: 10, 3 nec quicquam, 18, 5 iam hoste mittente, 21, 4 disponit, 26, 5 abripi, his se etc., 34, 1 per idem tempus (47, 1), 35, 6 profugerunt, 38, 1 effecit, 48, 1 ad terrorem, 58, 2 ante concursuros; 61, 1 diei, 63, 1 ac, 67, 2 parvo, 80, 5 tergum, 84, 2 armatum, 85, 1 succurrerent, 85, 6 viros, 88, 3 intulit, 91, 3 primum, 93, 3 ipse.

Tertium codicem, ad cuius auctoritatem editor commentarii se accommodare debet, esse Parisinum sive Thuaneum haud ambigitur.

Reliqui raro tantae sunt fidei, ut ex iis solis contra auctoritatem codicum ALP commentarii emendatio repeti possit; Ursinianus autem et Florentinus (Riccardianus) adeo in universum conspirant, ut ex eodem utrumque libro fluxisse dicas.

De codicum interpolatione expositurus quid sentiam, novam fortasse plerisque et inauditam rem moliri videbor; arduam certe, si quidem nullum novi librum, qui hac in re cum commentario belli Africi possit comparari. Sed quomodo adnotationes marginales in textum irrepserint inscitia librariorum, luculentissime Hieronymus docet epist. 106, 46: 'miror quomodo e latere adnotationem nostram nescio quis temerarius scribendam in corpore putaverit'. Notissimum illud quoque interpolationis genus, cum vocabula rariora, poetica, obsoleta tritis et vulgaribus explicantur, quod in Aeschyli, Sophoclis, Euripidis codicibus maxime observari satis constat. Id non pertinere ad Asinium ex eo intellegitur, quod sermo commentarii congruit in universum cum Caesaris, Hirtii, Sallustii oratione. Longe aliam vero interpolationis rationem cognoscimus ex sententiarum Publilianarum codice Turicensi, qua de re dixi in Proleg. ad meam Publilii editionem pg. 47—52. Scilicet scholarum magistri etiam verba optima, notissima, planissima ita interpretari solebant, ut quaererent quibus aliis vocabulis res eadem posset exprimi; id est linguam latinam docebant legendis optimis scriptoribus et ingeniis puerorum maxime aptis, substituendis verbis eadem declarantibus, denique enuntiatorum conformatione paulum immutanda. Tales grammatici adnotationes ipsis scriptoris verbis immixtas fuisse hae sententiae comprobant ex codice Turicensi descriptae:

Crudelis est in re adversa subiurgatio *sceba vel saeva.*
Malignos fieri *maxime* ingra*tos* doc*ere saepe.*
Pericula *timidus* etiam quae non sunt videt *praesagus.*
Fatetur facinus *prompte, qui* iudicium fugit *manifeste.*

Pristina enim forma senariis inclusa, quam vetustiores codices confirmant, fuit haec:

Crudelis est in re adversa obiurgatio.
Malignos fieri maxime ingrati docent.
Pericla timidus etiam quae non sunt videt.
Fatetur facinus, quisquis iudicium fugit.

Quid ergo? Non solum, pro crudelis dici posse saevus monuit ille grammaticus, sed etiam alterum versum ita invertit, ut indicativo accusativum cum infinitivo substitui iuberet; quarto denique versu adverbium ex suo prorsus ingenio addidit.

Eadem igitur in codicibus belli Africi animadvertere licet, quod si versibus compositum esset, iam dudum viri docti illa additamenta removissent. Sed in rerum scriptore facilius latebant, editoresque ita conscientiam suam exonerabant, ut libri auctorem nimis verbosum fuisse concederent; quod ipsum ita explicabant, ut eum hominem fuisse plebeium sibi fingerent aliisque persuaderent. Inciderunt fortasse in hunc errorem, quia bellum Hispaniense ab eiusmodi homine conscriptum esse videbant, quantum autem interesset discriminis non satis perspiciebant. Eundem denique scriptorem in aliis pueriliter garrire, in aliis summi oratoris virtutes prae se ferre, nemini secum ipsum pugnare visum est.

Quamquam molestissima quaeque et maxime absurda iam Nipperdeius, quique ante eum commentarium edendum curaverant, eicienda esse intellexerunt; cuius generis glossemata, si recte computavi, viginti fere deprehendisse sibi visi sunt. Sed frustra Froehlichius pg. 63 in his non subsistendum esse monuit; neminem enim invenit, qui exemplum suum probaret. Quodsi in nostra editione prope trecentas invenies interpolationes uncis inclusas, neque omnes nos indagasse affirmamus nec hic illic nos iusto severiores fuisse negamus; sed quoniam novam viam praeivimus, huius rei rationem reddendam esse duximus.

Ac 51, 5 quidem (putei *nonnulli* fieri *conplures* poterant) glossema manifestum erat; utrum verbum delendum esset, dubitari poterat: sed recte in L nonnulli omissum est, quia 'conplures' utpote verbum ambiguum (ἔνιοι — οἱ πλείονες, cf. ad 19, 1) interpretatione indigebat. Huiusmodi interpretamenta ex coniectura investigare res est lubrica, quia non omnia, quae abundant, utique delenda sunt; tutiore via ingrediemur codicum freti auctoritate; quo enim antiquiore utimur codice, eo rariora erunt glossemata. Itaque primum videamus de codice A.

12, 3 in verbis 'milites iubet galeari et ad *eam* pugnam

parari' haerebat interpres, cum de pugna supra non dictum esset; omnia autem plana erunt, simulatque cum codice A pronomen deleveris.

21, 2 saucios iubet in plostris *deligatos* Adrumetum deportari] cur participium dudum in suspicionem vocatum sit, diximus in adnotatione; res bene se haberet, si scriptum esset 'saucios obligatosque'. Nunc ex codice A participium a glossatore additum esse patet.

26, 3 Africam *provinciam* perire] adhuc non sollicitatum est, quamquam Africam per totum commentarium non de tertia parte terrae, ut Sallustius ait, sed de provincia Romana, id est de agro olim Carthaginiensi dici videmus. Cum autem in A 'provinciam' omissum sit, nullo sensus detrimento brevior fit oratio.

29, 3 *eius* equitatus.

31, 7 castrorum *atque* valli fossarumque] polysyndeto certe non opus erat.

41, 3 in conspectu *patenti* adversariorum] participium in A omissum refutatur etiam locis similibus in adnotatione collatis.

48, 3 ante adventum *Iubae*] quoniam supra de expectatione copiarum regiarum dictum erat, adventus per se intellegitur Iubae.

77, 1 rem *male* gestam docent] quod verba rebus repugnant, emendare conati sunt; cum autem 'rem gestam proponere' sit sollemnis locutio Caesari usurpata et omisso adverbio omnia expediantur, a partibus codicis A standum est.

85, 5 armis *dimissis* salutationem faciunt (AL).

91, 1 ubi domicilium, coniuges, liberos*que* habebat] asyndeton trimembre eo magis praeferendum est, quod aliis quoque locis que, et similia a grammatico inserta esse comprobari potest.

Hinc aestimare licet, quam diversa futura esset a nostra commentarii indoles, si codices litteris uncialibus scripti ad nostram aetatem pervenissent. Multum tamen in detegendis glossematis proficiemus codice Leidensi, cuius scriba glossemata a grammatico aut in margine archetypi aut inter versus adscripta recte omittenda esse vidit. Cum enim multa vocabula absint a codice A, quae prorsus supervacanea sunt, eo magis haec non per socordiam omissa esse apparet, quia in his locis idem interpolationis genus agnoscas, quod collato codice A deprehendimus. Igitur adiectae sunt particulae copulativae:

26, 3 Africam perire, funditus*que* everti; 35, 4 ad te voluimus in (*emend.* intra) tua*que* praesidia confugere; 47, 2 [procedendo] propius*que* hostem accedendo; 54, 4 quod . .

fecisti, quod*que* mihi reique publicae inutilis fuisti et pro militibus tuam familiam iumentaque in naves inposuisti; 63, 5 navibus incensis, omnibus*que* reliquis aut subductis aut in cothonem conpulsis; 69, 4 una pariter*que* (asyndeti exempla proposuimus in adnotatione); 82, 3 dubitante Caesare atque eorum studio cupiditatique resistente, sibi*que* eruptione pugnari non placere clamitante et aciem sustentante; 89, 1 magnum numerum frumenti armorum telorum ceterarum*que* rerum. 89, 5 circiter*que* luminibus accensis. 97, 1 praemiis*que*. 72, 4 bestiarum odorem stridoremque *et* [speciem], ubi cf. adnot. Profecta autem sunt haec glossemata ex eo, quod cum Asinius multo asyndeti, praesertim bimembris, usu orationem priscam imitaretur, Caesar ac Cicero hanc figuram addita copula artioribus finibus coercebant. Cf. ind. grammat. s. v. asyndeton.

Alterum interpolationum genus versatur in additis pronominibus vel substantivis. Quotiens enim verba absolute ponuntur, praepositiones adverbiorum munere funguntur, denique in variis enuntiatorum conformationibus, quas enumerare longum est, suppleri saltem potest, quisnam sit intellegendus, idque ipsum ludi magister a pueris quaerere solebat. Huc igitur pertinere arbitramur locos, qui sequuntur*): 7, 3 ut est *ei* nuntiatum; 11, 3 *oppidum* Ruspinam; 11, 4 clam *hostibus;* 25, 1 subsidio *suis* egressus; 30, 1 in castra *se* recipere (immo aciem); 33, 1 petere *ab eo;* 37, 5 speculae *singulae;* 42, 1 progredi [propius] *se;* 42, 2 *suis* copiis; 54, 3 egomet *ipse;* 54, 4 *te;* 57, 2 nihil pertinere *eum* cum adversariis conloqui; 75, 2 *ab se;* 78, 8 quo facto *sui* sublati universi; 91, 4 *M.* Petreio.

Adverbia, praepositiones, coniunctiones additae sunt in omnibus fere praeter L codicibus: 2, 1 *autem;* 8, 5 *in;* 50, 3 *postquam;* 51, 6 *ante;* 60, 5 *varie;* 61, 7 *contra;* 65, 1 *clam;* 66, 3 *iam;* 75, 3 *sub;* 47, 5 *per*quam. Denique notabiliora glossemata, quae absunt a codice L, haec commemoranda: 6, 7 *in itinere;* 12, 2 equitatum, cuius copiam habuit in praesentia *non magnam;* 18, 1 Numidis *electis;* 60, 5 *in cornibus.*

Haec hactenus de glossematis ad optimorum codicum fidem eiciendis. Ea quasi norma uti oportebit eum, qui in indagandis interpolationibus ultra progredi velit. Ne autem ad immoderatam licentiam delabatur, ita poterit operam suam ad certam legem derigere, ut si qua verba redundantia in codicibus aliis alio loco posita invenerit, ea utpote a grammatico addita in suspicionem vocet: quae enim inter versus aut adeo in marginibus adscripta erant, quibus quaeque locis

*) 1, 4 ab incolis *eius* provinciae, id est Africae?

inserenda essent, in incerto fuisse facile intellegitur. Hac nota notanda sunt glossemata, quae infra perscripsimus: 5 *ad oppugnandum;* 7, 2 portas *oppidi;* 7, 4 equitatum *omnem;* 8, 5 *Scipio;* 12, 2 sagittarios *quorum parvus numerus;* 22, 5 nobilitate *et dignitate;* 26, 5 *interfici* interpretatio est verbi trucidari; 48, 3 *antea;* 85, 6.

Denique interpolationis indicium manifestum habemus, quotiens synonyma explicandi causa superscripta nullis additis copulis orationi inseruntur. Quod enim 3, 4 in A scriptum est: 'gubernatoribus praefectis praeceperat', cur defendi non possit, suo loco declaratum est, interpolationisque suspicio ultro oritur, quia asyndeton bimembre locum non habet nisi in certis quibusdam formulis; extincta autem sunt glossatoris vestigia lectione ceterorum codicum 'praefectisque'. Quamquam idem multo pluribus locis factum esse et profitendum simulque dolendum est, quia illata particula plerumque nescias resne tibi sit cum interpolatore an cum oratore ubertatem in dicendo amplectente. Nec minus grammatici manum prodit lectio codicis A 37, 2 ad oppidum at Ruspinam propter repetitam praepositionem.

De reliquis, quas statuimus satis multas, interpolationibus hoc loco silere quam parum dicere praestat, idque eo magis, cum, quibus causis ad eicienda glossemata adducti simus, quoad fieri potuit, in adnotatione aperuerimus. Quarum gravissima fuit, cum verba interpolatoris ab Asinii dicendi genere abhorrebant, velut 44, 1 'ab residua classe'; altera, cum ea pravo loco collocata inveniebamus, ut 32, 4 'Gaetulos'; tertia, cum verba rebus non congruebant, ut 11, 4. 62, 5 'onerarias'. Ut nunc res se habet, ante omnia id agitur, ut principia nostrae emendandi rationis hominum doctorum iudiciis in universum comprobentur; quod si factum erit, singula quaeque denuo examinare et ad obrussam exigere iuvabit.

De dicendi genere, quo usus est Asinius Polio, fusius disseruimus in Arch. lexic. lat. VI 85—107, brevius in Actis acad. litter. Bavar. 1889. fascic. III, p. 328—340; de summa, quae intercedit inter bellum Africum et Asinii epistulas ad Ciceronem datas (Cic. epist. 10, 31. 32. 33) Landgraf, in Quaest. Caesar. p. 33—37; de sermone Asinii Polionis, in quantum et ex epistulis et ex fragmentis apud Senecam rhetorem maxime cognoscitur, Schmalzius, Sprachgebrauch des Asinius Pollio, Karlsr. 1882. Eorum, quae et in commentario nostro et in Asinii epistulis fragmentisque leguntur, potissima quaeque infra perscripta sunt.

Epist. Polionis.	Bellum Afr.
10, 31, 1 posteaquam itum est. ibid. posteaquam navigari coeptum est.	87, 6 posteaquam castra non potuerunt potiri.
nactus occasionem. Prisc. 10, p. 513, 6 H.	28, 1. 62, 5 nactus occasionem.
cupidissime scribam ad te. Asin. ap. Sen. suas. 6, 15 orationes, quas cupidissime effuderat.	35, 4 cupidissime ad te venimus. 90, 2 libentes cupidique condicionem acceperunt.
cupidissime et creberrime.	De allitteratione cf. ad 2, 5.
10, 31, 2 quia utrubique magnos inimicos habebam.	93, 1 dum haec utrobique geruntur.
10, 31, 4 perferri litterae nulla condicione potuerunt.	79, 1 nulla condicione cogere adversarios poterat. (Caes. nullo modo.)
10, 31, 5 illud me pro contione dixisse. Asin. ap. Sen. suas. 6, 15 pro contione recitare.	19, 3 Labienum dixisse pro contione. (Cic. Caes. in contione.)
10, 31, 6 nullum vestigium abs te discessurus sum.	73, 3 hostium copias ab se suisque (suosque PU, suoque R) vestigio non discessuras.
quia video. 32, 3. 33, 5.	71, 2 quia equites deterrebat. (Caes. particula non usus est.)
quae reciperari nullo negotio possint.	18, 5 nullo negotio pulsis. 69, 3. (Caesar facile pellere, repellere, defendere etc.)
10, 32, 1 duxit se ab Gadibus.	93, 1 se clam subducit.
traiecit sese in regnum Bogudis.	23, 1 regnum Bogudis est ingressus.
renuntiavit, quos ei visum est.	25, 1 non est visum dare spatium convalescendi.
10, 32, 2 trucidatus est.	26, 5 principes civitatum trucidari. ἀπ. εἰρ. in comment. Caes.
10, 32, 3 equites immisit in populum.	18, 5 inmittit turmas. 78, 7 alteram alam inmittit.
depugnare (de gladiatore).	depugnare 7, 6. 29, 1. 45, 3. 94, 1. (in Caes. comm. semel 7, 28.)
notissimum hominem.	56, 2 inlustriores notissimique (?).

10, 32, 4 legiones firmas.	45, 5 cohortem firmissimam (?).
arcessisset (10, 33, 1 arcessistis).	8, 1 arcessendum; 12, 2 arcessi.
hac pollicitatione; ibid. infinitis pollicitationibus.	35, 2 praemiis pollicitationibusque; 40, 5 pretio pollicitationibus.
ullam finem aut modum.	10, 2 magno metu ac tristimonia. Cf. ad 5, 1.
mehercules.	16, 1 in magnum mehercules vos periculum inpulit.
non destitit incitare.	25, 3 vexare non destitit; 28, 2. 75, 6.
infinitis pollicitationibus.	1, 4 equitatus infinitus; 59, 5 infinita multitudo.
10, 32, 5 portendebantur.	82, 2 victoriam sibi portendi. ἀπ. εἰρ. in comm. Caes.
quodcumque imperassetis, facturum. (Caes. constanter imperata facere.)	33, 1 se quaecunque imperasset facturos; 6, 7 paratos se esse, quae imperasset, facere.
exercitum in mea potestate tenui.	45, 5 commilitones in tua potestate tenes.
Gallum Cornelium.	87, 5 Sulla Faustus.
10, 33, 1 in praesentia.	3, 1. 10, 3. 12, 2. 36, 3 in praesentia.
10, 33, 3 binis tabellariis in duas navis inpositis.	54, 6 singulos in navim inponendos.
quonam modo possem.	72, 2 quonam modo posset.
et hercules (initio enuntiati).	12, 2 et hercules (ex coniect.).
10, 33, 4 exercitum concisum esse; ibid. quartam legionem concisam esse.	40, 3 Galli conciduntur; 41, 1 suis concisis (occisis *codd.*) 50, 2 ut exercitus conciderctur; 58, 4. 66, 1. 93, 2.
servitia concitaturum (non legitur apud Caesarem).	85, 2 a servitiis puerisque prohibiti; 88, 1 ut servitia manumitterent.
10, 33, 5 res enim cogit.	42, 1 si res coegisset.
spatium confirmandi sese Antonio dari.	85, 3 spatium se (= sui) non dare colligendi; 25, 1 dare spatium convalescendi.
aut in agris aut in villis. (Caesar 4, 4 agros aedificia vicosque, et sim.; nusquam villa.)	65, 1 in agris et in omnibus fere villis. 9, 1; 40, 1; 67, 2. 91, 1. 4.

In verborum collocatione id maxime videtur esse memorabile, quod Asinius saepius quam alii scriptores syllabis in vocales breves exeuntibus annectit particulam que: Asinius ap. Sen. suas. 6, 24 facies decora ad senectutem prosper*a*que permansit valetudo; b. Afr. 51, 3 cum propius oppidum copias admovisset oppugnar*e*que coepisset. Nam in infinitivis et nominativis sing. primae declinationis Caesar id evitavit, admisit fortasse in ablativis sing. tertiae, saepius in accusativis neutr.: illius generis unum*) exemplum (b. Gall. 5, 25, 5 'quaestoreque' codicum auctoritate destituitur) extat 6, 12, 6 'eorum gratia dignitateque amplificata', quamquam hic quoque in alterius stirpis (β) codicibus scriptum est 'dignitate', ut aut asyndeton statuere aut 'ac dignitate' emendare liceat; multo plura in uno belli Africi libro: 22, 2 patria civitateque; 26, 2 crudelitate acerbitateque; 32, 1 de terrore suo desperationeque; 40, 6 specie amplitudineque; 47, 6 subito imbre grandineque consecuta; 55, 2 triplici bello necessitateque coactus; 73, 1 consuetudine celeritateque; 76, 1 praesidio cohorteque; 85, 4 consilio auctoritateque; 92, 4 clementia lenitateque (cod. L), cuius rei haec fortasse commodari potest Asinio excusatio, quod memor ablativorum in -ed finitorum, syllabas positione longas esse putabat. In neutris secundae et tertiae minime haerendum: b. Afr. 9, 1 plostra iumentaque; 20, 1 tela tormentaque; 20, 3 sagittasque telaque; Caes. I 26, 2 impetus eius consiliaque; III 8, 4 stationes litoraque; III 17, 3 naves auxiliaque; III 57, 2 litteras mandataque; III 67, 2 ad legionem castraque minora, saepius 'se suaque omnia', quamquam plurima huius generis in commentariis de bello civili legi profitendum est.

His similitudinibus quantum sit tribuendum, scio ambigi inter viros doctos; ex Landgrafii autem, cui adstipulamur, sententia bellum Africum ab Asinio Polione scriptum esse evincitur. Ac re vera si reputaveris, alio nos uti sermone in epistulis, alio in historiarum libris conscribendis et ex tribus epistulis non plenam scriptoris alicuius imaginem cognosci posse, mirificus est illarum et commentarii consensus. Unum illud 'regnum Bogudis' instar argumenti est, quia, cum Strabo et Appianus hunc regem dixerint *Βόγον* (Dio *Βογούας*), proclivius fuit scribere 'regnum Bogi' ut 'regnum Bocchi'. Insolitam autem fuisse illam formam Priscianus testatur 5, 10: Bogud (falso Bogudes dicitur in Encyclop. Real. Paul.) nomen barbarum, quod Livius in

---

*) civ. III 97, 3 'legiones duxit commodioreque itinere Pompeianis occurrere coepit' num a Caesare scriptum sit, iure dubitatur.

centesimo quarto decimo declinavit 'Bogudis'; sed in eo erravit, quod Livium primum hac ratione nomen declinasse opinatur. Scilicet eo tempore, cum grammatici, quorum libris usus est Priscianus, conquirerent formarum rariorum exempla, Polionis libri in oblivionem inciderant, itaque factum est, ut illum genetivum ad Livium referrent, cuius hoc fragmentum idem Priscianus 6, 22 profert: quo tempore firmandi regni Bogudis causa exercitum in Africam traicere conatus sit, et alterum: Cassius gessisset cum Trebonio bellum, si Bogudem trahere in societatem furoris potuisset. Quodsi vero Livius in nominis declinatione cum Polione conspirat, eum non tam commentarium nostrum quam historiarum libros cognitos habuisse veri simile est. Et Asinii certe erat, ut genetivi latini formam novaret, quippe qui in Africa fuisset, Livii, ut Polionis vestigiis insisteret.

Ut autem Asinii exemplum Livio multum valuit in conformanda oratione, sic apud Sallustium quoque multum potuisse eius auctoritatem ex eo colligitur, quod, cum Asinius primus scripsisset pro contione (cf. ad 19, 3), in epistulis, in commentario, in oratione pro Lamia, eandem locutionem in Sallustii bello Iugurthino (8, 2 donatum atque laudatum magnifice pro contione) deprehendimus. Neque tamen ausus est Sallustius ea saepius uti, sed Iug. 30, 4 (quae in contione disseruit) et 54, 1 (universos in contione laudat) Ciceronis ac Caesaris exemplum secutus est, qui triginta fere locis constanter scripserunt: *in* contione dicere, queri, recitare, iurare, similia. Quantum contulerit Asinius ad excolendam linguam latinam quantumque floruerit inter rerum scriptores, Valerius Maximus professus est 8, 13, ext. 4: Asinius Pollio, non minima pars Romani stili, . . . commemorat.

Memorabile quoque, quod in epistula Polionis (10, 33, 5) scriptum est 'aut in agris aut in villis', in b. Afr. 65, 1 'in agris et in omnibus villis', quodque auctor commentarii vocabulo 'villa' septiens usus est, Caesar ne semel quidem. Cum enim Caesar b. Gall. 4, 4 scripserit 'agros, aedificia vicosque', saepius 'vicos et aedificia', ad eandem rem significandam alio eum usum esse vocabulo apparet. Aut igitur displicuit ei 'villa' propter formam, quia a vicus ducendum fuisse viculus, viclus, villus existimabat, aut verbum probavit quidem, sed de domibus hominum divitum, non de praediis rusticorum dicendum esse sentiebat. De 'nulla condicione' cf. ad 79, 1.

Denique multum tribuendum est, quod absoluta demum commentarii editione perspeximus, loco qui legitur 73, 3 'quod

hostium copias ab se suoque vestigio non discessuras existimabat'. Cum enim proverbialis apud Romanos esset locutio 'non pedem (vel pede) discedere ab aliquo' (Plaut. Asin. 603 ne iste hercle ab ista non pedem discedat. Cic. p. Deiot. 42 negat umquam se a te pedem discessisse. Quintil. decl. mai. 6, 14 neque pede, quod aiunt, uno a parente discessi), ablativus 'vestigio' cum verbo discedendi coniungendus est, et pro 'suoque' (PU suosque) aut cum Landgrafio emendandum 'suisque' aut verbum plane delendum. Quod autem auctor belli Africi pro 'pede' scripsit 'vestigio', et poetam arguit, neque forte fortuna factum esse potest, ut Asinius in epist. 10, 31, 6 scriberet 'nullum vestigium abs te discessurus sum', quod postea imitatus est Livius 27, 4, 1 negantis e re publica esse vestigium abscedi ab Hannibale, et falsarius ille, qui scripsit orationum Philippicarum librum XV. XVI. XVII. apud Arusianum Messium (Gramm. lat. VII 467, 15 K.): latere eius (codd. laterensis; Keil latere sis) ne vestigium quidem deflexit.

Conferamus iam nostras cum adversariorum rationibus. Cum enim admodum multa inter se congruentia invenerimus, quibus rebus illi dicent distare epistulas a bello Africo? Atque in oculos incurrebat plane illic quater usurpatum esse (31, 2 p. tutus; p. non dubitanter; 31, 5 civis p. studeo esse salvos; 32, 1 p. bene peculiatus), ne uno quidem loco in commentario; quem dissensum sustulimus leni emendatione 22, 2, ubi pro 'Italiam paene oppressam' restituendum erat 'plane oppressam'. Neque negari potest vero illic legi sexiens (31, 1. 2. 32, 3 bis. 4), contra delendum esse b. Afr. 77, 4; falsum tamen, quod in adnotatione ad hunc locum dictum est, 'vero' nusquam scriptum esse in commentario. Cf. 48, 3 postquam vero castra castris contulit. Gravissimum fortasse hoc est, quod, qui litteras ad Ciceronem dedit, scripsit etsi et tametsi 31, 1. 2. 6. 33, 1, auctor commentarii quamquam 6, 2. 31, 5. 88, 5. Sed ne ex hac quidem re licere coniecturam facere, intellexi, cum amicus quidam gloriabundus ad me scripsisset, que sexcenties legi in commentario, nusquam in epistulis, ideoque Asinium non posse scripsisse bellum Africum. At qui nimium probat, nihil probat; casuique dandum esse illud Asinii fragmenta docent apud Sen. suas. 6, 15 multiplicesque (orationes); 6, 24 tot tantisque operibus; prosperaque valetudo; consilio industriaque; certiorque. Itaque haud dubie usus est Asinius hac particula; sed quod tres epistulae ne unum quidem exemplum subministrant, nihil valet ad hanc controversiam dirimendam. Quin etiam causa inveniri potest, cur aliter

Asinium in epistulis, aliter in commentario scripsisse putemus. Nam neque Sallustius neque Seneca rhetor etsi particula usi sunt, haud aliam ob causam, quam quod in altero enuntiato condicionali 'et si' dici videbant ideoque coniunctione propter ambiguitatem abstinere satius ducebant. Idem vero Asinius, qui sibi in commentario certos quosdam fines constituit, in genere dicendi familiari liberius evagatum esse quis miretur?

Quamquam his omnibus, quae adhuc exposuimus, nihil aliud effectum est, quam ut Asinium potuisse bellum Africum scribere statuendum sit, vel, ut eum fuisse commentarii auctorem verisimile sit. Quoniam autem huius viri indolem ex tribus epistulis nonnullisque fragmentis apud Senecam rhetorem servatis parum cognosci largiendum est, quaerendum quid veteres de Asinio poeta, oratore, rerum scriptore iudicaverint. Ac Quintilianus quidem 10, 1, 113 eum a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abesse scribit, ut videri possit saeculo prior. Tacitus autem (dial. 21) magistri iudicium secutus et adeo modum egressus ita Aprum dicentem inducit: 'Asinius, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse'. Hinc intellegitur in eius orationibus ante omnia apparuisse priscae orationis affectationem quandam; quod cum idem de tragoediis contendat Aper, non alium prae se tulisse colorem historiarum libros certo certius est. Ipse enim Asinius duabus rebus antiquarium se esse professus est, primum dicto illo in schol. Cruq. ad Hor. art. poet. v. 311 tradito: Male hercle eveniat verbis, nisi rem sequantur, quo Catonis Censorii sententiam probavit 'Rem tene, verba sequentur' (Iul. Vict. art. rhet. p. 374, 17 H.); deinde eo, quod teste Plinio nat. hist. 7, 115 in bibliotheca unius Varronis viventis statuam poni iussit. Quodsi igitur Asinius auctor est belli Africi, priscae dictionis vestigia superesse demonstrandum est. Atque iam Nipperdeius incertum libri scriptorem quodammodo similem esse dixit Varroni, qui et antiquitatis admiratione et vitae rusticae quodam amore ductus iudicio et voluntate antiquarium et vulgare dicendi genus amplexus esse existimandus est et, ne elegantia atque urbanitas desideraretur, doctrinae copia efficiebat. Cum autem Nipperdeius eminere in bello Africo vulgaris sermonis notam ideoque librum ab inferioris condicionis homine scriptum esse censuisset (quaest. Caesar. p. 34), nobis intolerabili, quae videbatur, scriptoris verbositate ad grammatici alicuius sedulitatem relata ipse commentarius prisco potius quam vulgari (quamquam haec ubique discernere satis difficile est) tribuendus esse videtur.

Ex verborum formis in quantum id possit cognosci, haud facile dixerim, quia in codicibus nostris eae plerumque scriptae sunt, quae latinitati Ciceronis conveniunt. De gerundio 'dicundi' cf. supra pg. IX; de nomine Decumius ad 34, 2; de ablativo quîs ad 96, 2. Eo magis notabile est cap. 47, 2 in omnibus codicibus propagatum esse 'communibat'. Scripserat autem Aufustius grammaticus in libro ad Asinium Polionem dato (Grammat. lat. VII 35 K.): rectius dici veniebam, leniebam, molliebam quam venibam, lenibam, mollibam; quae verba iam Hauptius in ind. lect. Berolin. 1855 (Catulliana) pg. 4 ita interpretatus est, ut Asinium, qua de re aliunde quoque constat, studiis grammaticis incubuisse colligeret. Addere vel poterat vel debebat Asinium de imperfectis quartae coniugationis aliter sensisse atque Aufustium. Ac re vera, qui scripsit communibat, sermonem priscum sive castrensem probavit, quod in his verborum formis ne Sallustius quidem ausus est. Sisennam et Accium redolet, quod cap. 88, 2 scriptum est: assentire; Plautum 'insectatus' sensu passivo 71, 2; de 'aspernari', 'expertus' (Accius 681 R.) cf. adnot. ad 71, 2. Plura, quamquam non ita multa, in delectu verborum recedunt a consuetudine Ciceronis ac Caesaris: tristimonia, suppetiae, promeritum; aucupari, rapsare, quire, satagere, saucium facere (= vulnerare); cruciabiliter, ignaviter, fortuitu, inibi, utrobique; victoria propria, id est perpetua. Ad numerorum et casuum usum pertinent haec: cum ea copia (= cum iis copiis) 10, 1, ubi cf. adnot.; funditorum sagittariorumque mille 34, 4 (77, 3 funditores sagittariique mille); 85, 3 spatium se colligendi; cum prima luce; a mane. Figurae etymologicae rariora exempla inveniuntur 6, 4 iter ire, 91, 3 precibus orare (= precibus precari) non addito adiectivo, 18, 4 ultra ultimos colles. De allitteratione dictum est ad 2, 5; de asyndeto bimembri compluribus locis; de infinitivo historico ab Asinio ac Sallustio mirum quantum adamato, a Caesare spreto ad 15, 2. 20, 2; de 'ut...ne' ad 9, 2; de duplici negatione ad 8, 4 et 47, 4.

Quibus si quis leviora quaedam addiderit, quae in adnotatione commemorata consulto hoc loco omisimus aut quae nos quamvis attente legentes effugerunt, et unam eandemque esse totius commentarii indolem, et auctorem antiquitatis amore ductum aliquantum distare a Cicerone, Caesare, Hirtio concedet. Et in Varrone quidem talis ab aequalium iudicio dissensus ferendus, quippe qui esset decem annis maior Cicerone; in amico iuniore Caesaris adeo notabilis, ut scriptorem voluntate abhorruisse a Ciceronis nitore appareat, quod optime cadit in Asinium Polionem.

Tacitus dial. 21 quasi revocans sententiam de Appiis Meneniisque supra prolatam haec de Asinio addit: 'Pacuvium certe et Accium non solum in tragoediis, sed etiam orationibus suis expressit.' Nimirum cum anno undequadragesimo se removisset a negotiis publicis totumque litteris se dedisset, primum tragoedias scribere coepit (Verg. eclog. 8, 10. Hor. sat. 1, 10, 42); decem annis fere post hoc opere ad tempus seposito (Hor. carm. 2, 1, 9) historias scribere aggressus est. Hinc, cur et orationes et historiarum libri poeticum quoddam spiraverint, facillime explicatur; quin etiam eius orationibus frequentes insertos esse versus Enni, Acci, Pacuvi, Lucili, Terenti, Caecili et aliorum auctor est Quintilianus 1, 8, 11. Paulo aliter tamen statuendum de bello Africo: nam neque commentarii ratio ea est, ut oratio altius assurgat, et hic, quem edidimus, liber aliquot annis antequam Asinius ad tragoedias accessisset, scriptus est. Quamquam vel sic, quo fuerit auctor ingenio, satis apparet; nam ut prisca quaedam vocabula eminent, ita haud raro agnoscas hominem poetarum lectione imbutum. 'Laetitia ac voluptate auctus' 34, 6 non solum a Ciceronis Caesarisque oratione alienum est, sed scriptor ad verbum expressit versum incerti cuiusdam poetae comici, ut putant, a Cicerone fin. 2, 14 laudatum:

Tanta laetitia auctu' sum, ut nihil constet.

Errabundus, turritus, pulvis vento flatus, percitus ira, concita tela (= Accius 545), nimbus cum saxea grandine adeo remota sunt a plebei hominis dictione, ut scriptorem litterarum latinarum fuisse peritissimum non possimus non statuere. Si quis autem locum b. Afr. 11, 3 ne (naves) inprudentes in classem adversariorum inciderent cum Caesare bell. civ. 3, 112, 3 'naves imprudentia aut tempestate paulum suo cursu decesserunt' comparari posse dicat, hoc ipsum caput a Polione retractatum esse docuit Landgraf p. 82. Similiter ad poetarum sermonem referenda 1, 1 fluctus verberat (litus); 1, 2 in horas; 7, 3 incertus locorum; terra Africa, urbs Romana; 56, 3 Caesarem non latebat (= fallere 80, 2); 25, 4 regno pulsus (= expulsus); fortasse etiam caelo albente 11, 1. 80, 3. civ. I 68, 1 (= Polio); caput ictus, brachia percussus, oppidum Paradae. De binis nominibus particulis -que -que coniunctis res ideo incerta est, quia 20, 3. 87, 5 optimi codices non inter se consentiunt. Cf. ad 72, 4 (que — et). Denique auctorem commentarii, cum scriberet 52, 2 Caesariani parumper cesserunt, eo magis Ennii memorem fuisse crediderim, quia Caesari et Hirtio parumper non usurpatum, contra aliquotiens 'paulatim cedere, excedere', similia.

Quae cum ita sint, ex toto libro poeticum quendam colorem, qualem ex nullo alio commentario, elucere videmur nobis demonstravisse.

Restat denique tertium quoddam, quod veteres in Asinio reprehendendum esse existimaverunt; sic enim Seneca epist. 100, 7: 'Pollionis Asinii (compositio) salebrosa et exsiliens et ubi minime exspectes relictura.' Quae cum de compositione potissimum verborum et collocatione dicta sint, qua in orationibus usus est Asinius — nam opponitur Ciceroni — ad tenuem commentarii sermonem vix licet referre, quamquam nonnulla insunt praeter morem scripta, ut 35, 4 quo id sine periculo minus faceremus, impediebamur; 85, 3 spatium se (= sui) non dare colligendi; in clausulis sectatus est ditrochaeos (cf. ad 1, 4 confidebat); in formis passivi compositis maluit copulam praeponere participiis, qua de re cf. ad 22, 4. 28, 4. Neque tamen negari potest ea, quae Seneca dixit, etiam transferri ad syntaxin, quam dicere consuevimus; nam qui numeros orationis et aequabilitatem membrorum parum curat, neque concinnam protasi apodosin subiunget. Certe a polita Ciceronis oratione longe afuit, quod non mirum in prisci dicendi generis sectatore, quodque Quintilianus iudicavit eum a 'nitore' Ciceronis longe abesse, non solum de verborum delectu, sed etiam de constructione verborum accipiendum est. Et in hac quidem orationis parte vituperandam esse licentiam quandam in usu ablativorum absolutorum fusius expositum est in Arch. lexic. lat. VI 97 sq.; fortasse etiam b. Afr. 18, 2 (hostes suis ex terrore firmatis) non coniectura Asinio succurrendum erat, sed codicum scriptura retinenda coll. Caes. 4, 26, 5: nostri suis omnibus consecutis in hostes impetum fecerunt. Sed quod apud Caesarem rarum, apud Asinium tertio quoque capite legitur, exemplisque in adnotationibus ad 10, 3 et 15, 3 congestis addi possunt 32, 4 electis hominibus inlustrioribus . . cohortatus . . mittit, et 90, 2 quibus metu exsanguibus de vitaque desperantibus . . cupidi condicionem acceperunt; 40, 2. Similis neglegentiae duo specimina in paucis Asinii fragmentis servata sunt, unum in Cic. epist. 10, 31, 4 quibus commeatibus invito illo per *illius* provinciam legiones ducerem; alterum apud Quintil. 9, 2, 24: numquam fore credidi, ut reo Scauro, ne quid in *eius* iudicio gratia valeret, precarer.

In adiectivis duobus diversi generis substantivis appositis ea licentia commentarii auctor usus est, ut in altero membro genus femininum ex masculino eliciendum esse putaret et inversa ratione (cf. ad 5, 1), neque aliter scripsit Asinius apud Cic. epist. 10, 32, 4 ullam finem aut modum; quod ut

non in reprehensionem incurrit, ita ne uno quidem loco more Ciceroniano adiectivum bis positum esse monendum est. Multo magis ab elegantia sermonis Tulliani recedit, cum in duobus enuntiatis relativis pronomen priori quidem accommodatum est, in altero omissum alio casu vel alio numero supplendum est, qua de re dictum est ad 64, 1.

In gradibus comparationis similis notanda esset asperitas b. Afr. 56, 2 'inlustriores notissimique'; sed quoniam alterum eiusdem generis exemplum in commentario non invenitur, superlativum deberi grammatico diximus. Levior est inconcinnitas 33, 1 quo tutius id et sine periculo facere posset, qua de re cf. adnot. ad 20, 1.

Denique antiquitatem redolet liberior asyndeti bimembris usus, tam in substantivis (ad 83, 2) quam in adiectivis (ad 78, 2), verbis (ad 74, 1) et adverbiis (ad 69, 4). De constructione *κατὰ σύνεσιν* cf. ad 15, 2. 95, 1; de anacoluthia ad 25, 1.

Quaerentibus, quis librum conscripserit, ante omnia deponenda est opinio Nipperdeii, qui auctorem non inter Caesaris familiares, sed ex inferioris condicionis hominibus fuisse putavit (Quaest. Caesar. pg. 33. 34); haud facile enim quemquam tam male scripturum fuisse. Longe aliter Iustus Lipsius Elect. II 22: 'Inter libellos, qui adiuncti commentariis Iulianis, unus est de bello Africano, qui me iudice non inter illos tantum eminet, sed inter plerosque Romana scripta. Ita tersa in eo et ad comicum morem pura dictio, simplex, cohaerens et candida narratio, nihil quaesiti coloris aut fuci, omnia denique ipso Caesare digniora quam commentarii illi qui feruntur.' Qui ut scriptorem nimia laude adfecit, ita Nipperdeius hanc ob causam iniquius iudicavit, quia eum pari fere loco cum auctore belli Hispaniensis ponendum esse sibi persuaserat. Si autem recte se habent, quae de interpolationibus et glossematis supra pg. XVII sq. disseruimus, si porro collatis codicibus et coniecturis nostris aliquid ad libri emendationem contulimus, commentarium eum nunc habemus, qui bono scriptore non indignus sit. Cf. Madvig, Advers. crit. II 285 liber belli Africani et genere toto narrandi et orationis forma multo longius a Caesare ad plebeium colorem, non tamen sine affectatione quadam elegantiae et antiquitatis deflectens; a quibus valde discrepat eiusdem censura libri de bello Hispaniensi II 289: ab infimi loci homine scriptus confuse et sermone usque ad barbariem rustico.

Quamquam Caesari, quod olim in mentem venit Iusto Lipsio, nemo profecto librum addicet, quia eius dicendi genus

multum abhorret ab Asiniano; sed ne Hirtio quidem, quem Suetonium secuti (Div. Iul. 56 Alexandrini Africique et Hispaniensis incertus auctor est; alii Oppium putant, alii Hirtium, qui etiam Gallici bellum novissimum imperfectumque librum suppleverit) auctorem esse perhibent, librum vindicare licebit. Primum enim, cum scriptorem rebus interfuisse quaevis pagina doceat, Hirtius b. Gall. 8, praef. se neque Alexandrino neque Africano bello interfuisse profitetur; deinde genus dicendi toto caelo distat, ac maxime utriusque scriptoris copia verborum.

Bellum Africum.	B. Gall. VIII. B. Alex.
suppetiae septiens,	nusquam.
convallis quinquiens,	vallis deciens.
convulnero noviens,	vulnero, ut ap. Caes.
contendo seq. inf. viciens,	nusquam.
adorior deciens quater,	b. Gall. 8, 34 (Polio).
aggredior nusquam,	deciens quater.
grandis septiens,	magnus.
subito viciens bis,	nusquam.
repente nusquam,	deciens sexiens.
postquam triciens quater,	non legitur Gall. VIII.
infin. hist. fere viciens quater,	nusquam.

Itaque grammatici illi vel quicunque fuerunt, ad quos Suetonius provocat, Hirtium temere hunc librum conscripsisse crediderunt nec minus perversum unum eundemque fuisse belli Alexandrini, Africi, Hispaniensis auctorem. Si vero, quod luce clarius est, illorum sententia in mera coniectura posita erat, Oppius quoque abiciendus, cum praesertim illis temporibus Romae vixisse videatur.

Quae cum ita sint, nihil fere constat nisi fuisse auctorem commentarii et priscae orationis et poetarum studiosum; virtutem etiam oratoriam loci ostendunt, quales sunt 10, 4 hic adquiescebant et in eius scientia et consilio omnia sibi proclivia omnes fore sperabant; 48, 3 ita, quam absens habuerat auctoritatem, eam omnem praesens dimiserat; aut illi loci, quibus eandem sententiam bis expressit et forma affirmativa et negativa (cf. ad 1, 2). Non dicam de quattuor orationibus capp. 22. 35. 45. 54 commentario insertis; sed qui oratorem hoc principio usum induxit: Maxime vellem ... sed quoniam, is ipse fuit rhetorum artes edoctus, sicut exposuimus in adnotatione. Cf. H. Schnorr de Carolsfeld: Reden bei Sallust. Lips. 1888. pg. 64. Et quoniam G. Landgraf p. 39. 40 aliquot ex commentario nostro congessit vocabula graeca, trieris, penteris, catascopus, epibata, pyra, non

solum auctorem linguae graecae fuisse gnarum intellegitur, sed in verborum usu (cf. 7, 6 existere = *ἐξίστασθαι*) et in syntaxi (78, 10 caput ictus; 85, 8 brachium gladio percussus) nonnulla Graecorum orationem imitari monendum est. Denique adiciamus auctorem esse eum, qui quod aut ex suo ingenio finxit aut ex poetarum licentia sibi assumpsit, posteris ita commendaret, ut eadem apud Livium, Velleium, Curtium, Tacitum invenias. Ex quo genere gravissima quaeque commemorasse sufficiat: 18, 1 peditatus grandis; 19, 2 pro contione; 31, 4 prospeculari; 73, 3 vestigio (= pede) non discedere (Liv. 27, 4, 1 vestigium abscedere); 79, 1 caput ictus; 83, 2 semifactus; 93, 3 virtus experta.

Haec omnia egregie cadere in Asinium Polionem nemo est qui non videat, nec facile quemquam eorum, qui tum floruerunt auctorum, nominare possis, qui ei quam composuimus, scriptoris imagini magis respondeat. Proximus sane esset C. Crispus Sallustius, florentissimus rerum Romanarum scriptor, et summus Catonis admirator et bello Africano praetorio Caesaris adscriptus, sed pro diverso linguae ingenio par magis quam similis.

De C. Asinio Polione scripsit anno 1820 J. Rud. Thorbecke, Batavus; nobis familiarissimum eum fuisse Caesari (Cic. epist. 10, 31, 3 Caesarem, quod me in tanta fortuna modo cognitum vetustissimorum familiarium loco habuit, dilexi summa cum pietate et fide), cum Curione in Africam traiecisse et apud Bagradam fuga salutem petivisse, in pugna Pharsalica legioni praefuisse, post et in Africa (anno 46) et in Hispania contra Pompeianos pugnasse et Caesare interfecto Hispaniam provinciam tribus legionibus obtinuisse — haec omnia satis erit breviter in memoriam revocasse; nam quae postea fecit, ab hoc loco aliena sunt. Cf. Plut. Caes. 52 de incursione quadam Numidarum ante proelium Ruspinense facta: *εἰ δὲ μὴ Καῖσαρ αὐτὸς, ἅμα δὲ Καίσαρι Πολλίων Ἀσίννιος βοηθοῦντες ἐκ τοῦ χάρακος ἔσχον τὴν φυγὴν, διεπέπρακτ' ἂν ὁ πόλεμος.* Quem apud Caesarem in Africa locum obtinuerit, accuratius definire non ausim, nisi quod, quem Appianus apud Pharsalum *στρατηγόν* fuisse scripsit, inferiore loco fuisse negandum est. Cf. append. p. 148 extr.

De tragoediis eius supra diximus; historiarum libros vix aggredi poterat, antequam apud Actium debellatum esset; de orationibus et studiis grammaticis quaerere hoc loco non attinet. Videamus potius de commentario belli Africi. Nam cum Hirtius quamvis invitus munus in se recepisset imperfectos Caesaris commentarios ad finem perducere, faciendum ei erat quod Caesari, cum res, quibus non ipse interfuisset,

commentariis perscribendas susciperet: scilicet a legatis petivit, ut sibi rerum gestarum expositionem mitterent; inter eos autem, qui Caesari proximi et belli participes fuerant et scribendi facultate eminebant, principem locum obtinebat Asinius Polio. Utilissimam Caesari operam vel hanc ob causam praestabat, quia tribus annis ante Curionis cladi implicitus non solum Africae situm, sed etiam hominum ingenia moresque cognoverat.

Ac talem fuisse, quisquis de bello Africo commentarium conscripsit, utique necesse est. Fuit enim homo militaris, qui non solum proelia peritissime describeret, sed etiam temporum spatia, locorum intervalla accuratissime referret; neque solum rebus gestis ipse interfuit, sed etiam quo quaeque consilio fecisset Caesar (31, 9. 10), quo fuisset aut animo aut corporis habitu (10, 3. 34, 6), quas voces iecisset inter amicos (8, 5. 26, 4), quae et quomodo imperasset speculatoribus aut nuntiis (8, 4. 31, 4) noverat. Idem vero Caesari ita favebat, ut eum a reprehensionibus hominum malevolorum defenderet (3, 4) clementiamque efferret (92, 4. 89, 5. 85, 9), hac re tantum ab eo dissentiens, quod de Catonis Uticensis laudibus nihil detraxit (88, 5). A partium enim studio adeo fuit alienus, ut, cum alii scriptores numeros caesorum in maius augerent, in acie Pharsalica sex milia Pompeianorum, apud Thapsum decem occisa esse traderet. Plut. Caes. 46. Pomp. 72. Appian. b. civ. 2, 82. b. Afr. 86, 1 cum adnot. Append. p. 155. Quem vitae integerrimum fuisse accepimus, eundem deorum quoque sacrorumque piissimum fuisse cultorem sumendum est. Ac certe tali ingenio fuit, qui cp. 47, 6 pilorum prodigium rettulit, 74, 2 transfugam deorum voluntate cives suos de periculo quodam certiores fecisse, 86, 3 victoria apud Thapsum parta divinam rem factam esse memoravit. Cf. 82, 2. Denique, quod belli Africi auctorem spatia itinerum et intervalla locorum diligentissime notasse videmus, cum eo congruit, quod teste Strabone 4, 294[a] Asinius in historiis longitudinem Rheni sex milium stadiorum esse scripsit.

Quodsi iam Asinium Polionem quasi manifestum tenere nobis videmur, nostra sive potius Landgrafii sententia eo quoque confirmatur, quod eiusdem scriptoris manum in belli civilis et Alexandrini libris deprehendimus, quod idem Landgrafius primus perspexit. Mortuo scilicet Hirtio, qui belli Gallici librum octavum fere totum absolverat, Alexandrini imperfectum reliquerat, auctor belli Africi supplendorum et edendorum commentariorum curam suscepit, unde eum ex familiarissimis Caesaris fuisse et Hirtio fere parem habitum

esse sequitur. Quis enim alius scripsit b. civ. III 104, 3 'naviculam parvulam conscendit', nisi qui b. Afr. 54, 1 scripserat 'parvulam causulam', et 63, 1 'parvulum navigiolum', cum praesertim Caesar ne uno quidem loco 'parvulus' substantivo deminutivo apposuerit? Hoc Caesarem non potuisse scribere iam antea ab iis intellectum est, qui accuratius in dicendi genus, quo ille usus est, inquisiverant. Cf. Fischer, Rectionslehre Caes. II 27. Extremo libri III capite 112, 1 Caesar scripsisse putatur: 'turris mirificis operibus extructa', quod prorsus incredibile est, quia Caesar adiectivis mirificus et mirabilis ne uno quidem loco, auctor belli Africi duodecim locis usus est. Quae paulo infra § 3 (naves inprudentia suo cursu decesserant) et § 5 (ad Achillam sese traiecit = contulit) scripta sunt, pariter a Caesaris consuetudine abhorrent, consentiunt cum Asinii, qui b. Afr. 11, 4 scripsit: ne inprudentes (naves) in classem adversariorum inciderent, et in epist. ad Cic. 10, 32, 1 traiecit sese in regnum Bogudis. Itaque belli Africi auctor capitibus in fine libri III positis extremam manum imposuit.

Iam vero quae b. Alex. 48—63 de turbis a Cassio in Hispania excitatis leguntur, non modo retractata sunt ab Asinio, sed ab eo perscripta omnia. Etsi enim illo tempore non in Hispania fuit, tamen, cum postea eo missus esset et aliquantum temporis in provincia versaretur (Cic. Att. 12, 38, 2. Suet. div. Iul. 55. Appian. civ. 4, 84. Cic. epist. 10, 31. 32), maxime aptus fuit, qui Hirtio rationes rerum ibi gestarum per litteras exponeret. Ac primo statim capite 48, 1 verba 'cum periculo magno, tum etiam maiore periculi fama' non solum conferenda sunt cum Asinii epist. 10, 32, 1 'magno pondere auri, maiore argenti', sed eandem gradationis rationem referunt capita insequentia 51, 1 magna miserat auxilia maioraque missurus existimabatur, et 56, 4 magnum hoc fuit vectigal, maius tamen creabat odium. De 'neque opinans' dictum est ad 7, 5; de 'relictus reliquus' ad 80, 5; de 'quod nisi' ad 26, 3. 52, 4; de singulari quodam plusquamperfectorum fueram et habueram in enuntiatis relativis usu (b. Alex. 57, 1. 5. 64, 2) ad 43. Quamquam non est huius loci talia*) persequi; id unum tenendum fieri non potuisse,

*) De Curionis in Africa rebus gestis exituque Asinium ad Hirtium scripsisse verisimile quidem, quippe qui proelio ad Bagradam interfuerit; eam vero partem, cum insereretur libro de bello civili altero (cap. 23. 44) a Hirtio aut Caesare ita retractatam esse ostendit Landgrafius, ut in multis aliud dicendi genus agnosci possit. Huius generis sunt: 28, 1. 42, 5 demonstratum est (b. Afr. 24, 1. 34, 1. [74, 1] demonstravimus); 38, 4 inopinantis hostis aggrediuntur (Asin. neque

ut auctor belli Africi, si fuit secundum Nipperdeium ex inferioris condicionis hominibus, ad ordinandos commentarios rerum a Caesare gestarum vocaretur. Si autem, quod demonstravit Landgraf, auctor belli Africi successit Hirtio, inter familiarissimos Caesaris virosque urbanos liberali doctrina excultos quaerendus est. Haec reputantibus aut unus aut inter primos certe offerretur Asinius Polio, quoniam Oppium et Balbum non in Africa fuisse constat; si quis vero porro reputaverit Asinii dicendi genus, in quantum ex tribus epistulis cognoscitur, plane concordare cum bello Africo, de auctore non iam dubia res erit.

Haud dubie Asinius, iam cum in Africa esset, res gestas in commentarios diurnos rettulerat, quibus in conscribendo libro de bello Africo usus est; eiusque rei vestigia in ipsa narratione supersunt satis multa. Cap. 10, 2 enim, cur Caesar cum septem cohortibus naves conscenderit, ignorat, 11, 4 contra, quae postero die scripsit, ducis consilium declaratum est; similiter in enarratione proelii Ruspinensis (cap. 12—18) nonnulla obscuriora sunt, multo magis res adversariorum illustratae cap. 19, quia postridie perfugae Caesarem de eorum consiliis certiorem fecerunt. Neque tamen ipsum nostrum librum eundem esse cum diurna illa actorum scriptura crediderim, cum scriptor, quod proprium est ephemeridum generi, nihil de se ipso rettulerit. Immo hanc ob causam, quod ille de bello Africo litteris mandavit, non sibi, sed vulgo scripsisse apparet. Quid! quod, quae 57, 3 de Aquinio leguntur, ab eo scripta sunt, qui eum post pugnam Thapsensem captum ab Caesare incolumem dimissum esse sciret. Itaque, quamquam ephemeridum neglegentiae quaedam supersunt vestigia, velut illud 'interim' octoginta fere locis positum, tamen ipsa libri indoles cum finito bello uno tenore scriptum esse ostendit ab uno eodemque homine; si vero quis Hirtium breviario quodam Asinii usum haec conscripsisse dixerit, nihil ille dixisse putandus erit.

Restat ut quaeramus cur Asinius legentibus nomen suum reticuerit, quamquam in mera coniectura acquiescendum est. Sed ut in fronte libri nomen suum profiteretur, ideo fieri non potuit, quia iis, qui Caesaris opus perficere conati sunt, non licuit pristinam inscriptionem 'Rerum suarum' vel 'Rerum a se gestarum' deserere. Ut igitur Tacitus scripsit triginta ab excessu Divi Augusti volumina, quae nunc dicimus

---

opinantes hostes adoriuntur). Contra II 37, 5 'magna vis congesta' non est Caesaris, qui comportandi verbo utitur, sed Asinii. Cf. ad 87, 3 dumtaxat.

Annalium et Historiarum, sic Caesar Commentarios rerum suarum, quorum pars prior bellum Gallicum complectebatur. Commentarius belli Alexandrini non rectius dicitur, quam si quis primum librum 'bellum Helveticum' dicere velit. Cum autem Caesar non singula bella narrare, sed universas res a se gestas scribere coepisset, neque Hirtius nec Polio suos libros propriis titulis insignire ausi sunt, sed eos numeris continuatis librum VIII. IX. XII. XIII. inscribere satis habuerunt, sicut intellegitur ex codice A. Cf. supra pg. VI. Hirtius quidem in epistola libro octavo praemissa legentes de sua opera celare noluit, cum praesertim illo tempore se quattuor libros conscripturum esse speraret. Mox cum in locum defuncti Polio successisset, unum belli Africi librum non tanti habuit, ut alteram epistolam praemitteret; immo hunc commentarium narrationemque de turbis in Hispania concitatis ita non suum amplius esse duxit, quomodo Caesaris legati, quotiens litteras ad eum dabant de rebus a se gestis, ad scriptorum laudem non aspirabant. Altera causa accedebat haec, quod iam tum animum induxerat suorum temporum memoriam pleniore historiarum opere illustrare. In hoc fusius omnia exposuisse Asinium suo usum iudicio neque Caesaris voluntati obnoxium et librorum numerus prodit (laudantur enim XVII) et illa de Numidarum insidiis narratio, quam Plutarchus Caes. 52 ex eius historiis desumpsisse videtur. Cf. etiam Append. pg. 145 sq. Ex eo autem, quod Suetonio nihil certi de auctore libri constitit, Asinium operam dedisse colligendum est, ne quid de sua opera Hirtio commodata in vulgus emanaret. Sequitur etiam, ut Asinium in exarando libro, quantum fieri poterat, ad Caesaris Hirtiique genus dicendi se accommodasse statuamus, neque tamen ei contigit, ut a suo ipsius ingenio descisceret; verum enim est, quod scripsit Seneca: Imago animi sermo est; qualis vir, talis oratio.

E. W.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Cap. 11, 4 casu] fort. delendum coll. cp. 53.
„ 12, 3 (adnot.) galeari] cf. Cinna ap. Non. p. 87.
„ 14, 2 coniciunt] *leg.* coiciunt.
„ 15, 3 intra cancellos] cf. Heller, Philol. 13, 579 'Was die wilden Tiere im Circus (intra cancellos) zu thun pflegten, dafs sie dem Feinde die Brust boten, werden die Soldaten doch wohl auch verstanden haben.'
„ 16, 1 magnam] *leg.* magnum.
„ 17, 1 (adnot. ad v. 6) extenuatum] *leg.* extenuatam.
„ 17, 1 intrinsecus] cf. Heller, Philol. 13, 580.
„ 17, 1 (adnot. ad pg. 30, v. 4) equitem] *leg.* equitum.
„ 18, 2 suis . . . firmatis] defendi potest coll. Caes. 4, 26, 5 Nostri . . . suis omnibus consecutis in hostes impetum fecerunt.
„ 18, 4 (adnot. ad pg. 31, v. 9) Ter. Enn.] *leg.* Ter. Eun.
„ 18, 5 (adnot. ad pg. 32, v. 1) cum male] *leg.* eum male.
„ 20, 1 interponeretur] *leg.* interponerentur.
„ 20, 3 sagittasque telaque] cf. 87, 5.
„ 26, 5 deserique principes] *leg.* deserique, principes.
„ 27, 1 ab sua acie] a grammatico addita sunt.
„ 27, 1 sese converterent] *leg.* eos converterent, cum codicibus, scil. 'sua acies'. (constr. *κατὰ σύνεσιν*).
„ 32, 4 *scrib.* [adversariisque].
„ 32, 4 mittit] fort. dimittit.
„ 33, 1 uti] *scrib.* ut.
„ 33, 4 *scrib.* [cum cohortibus].
„ 34, 6 laetitia auctus] ut Incertus poeta ap. Cic. fin. 2, 14.
„ 34, 6 *scrib.* [frumento auxiliisque].
„ 35, 2 collaudati] *leg.* conlaudati.
„ 35, 4 (appar. crit. pg. 62, 6) *scrib.* * eis *AUFVDδ*.
„ 36, 2 apud] *scrib.* aput.
„ 40, 2 vidit] fort. videt.
„ 40, 3 *scrib. fort.* [qui restiterant].
„ 56, 1 adigi] cf. Madvig Advers. II 251 sq.
„ 70, 4 coiecissent] *scrib.* coniecissent.
„ 70, 4 coniciebant] *scrib.* coiciebant.
„ 73, 3 *scrib. fort.* ab se [suoque] vestigio. In appar. crit. addendum: suosque *PV*. Cf. praef. pg. XXII.
„ 81, 1 (adn. ad pg. 123, v. 12) 'contra' adverbii loco positum 22, 5.

C. ASINI POLIONIS

DE BELLO AFRICO

COMMENTARIUS.

EXPLICATIO NOTARUM.

A = codex Ashburnhamensis saec. X (praef. VI).
L = codex Leidensis saec. XII (praef. p. VII).
P = codex Parisinus saec. XII (praef. p. VII).
U = codex Ursinianus saec. XII (praef. p. VII).
F = codex Florentinus saec. XIII (praef. p. VIII).
V = codex Vindobonensis saec. XIII (praef. p. VIII).
D = codex Dresdensis membr. saec. XIV (praef. p. VIII).
δ = codex Dresdensis chartaceus saec. XIV.
O = codices omnes.
R = codices reliqui.

* in adnotatione critica iis lectionibus praeposuimus, quibus dissentit nostra editio a Nipperdeii, Kraneri, Dinteri.

Uncinis [ ] inclusimus, quae a grammatico adscripta esse videntur.

In afferendis locis Caesaris libros belli Gallici numeris arabicis, civilis Romanis significavimus.

C. ASINI POLIONIS
COMMENTARIUS DE BELLO AFRICO.

---

1. Caesar itineribus iustis confectis nullo die intermisso 1
a. d. XIIII. Kal. Ian. Lilybaeum pervenit statimque ostendit,
sese naves velle conscendere, cum non amplius legionem tironum haberet unam, equites vix DC. Tabernaculum secundum litus ipsum constituit, ut prope fluctus verberaret. Hoc 2
eo consilio fecit, ne quis morae quicquam fore speraret et

1 *C. Asini Polionis commentarius de bello Africo] Incipit. De bello affrico *A;* Incipit liber belli affrice *L;* Incipit liber belli affricae feliciter *P* ‖ 4 a. d.] *Davisius; om. L* (*cf. ad* 37, 1); ad *R* ‖ Ian. K. *A* ‖ lilibicum *A;* lilibeum *R* ‖ 8 *quis *A;* quis sibi *R* ‖ fore] fere *P*[1]*; om. L*

---

1. 3 *itineribus iustis confectis*] Caes. III 76, 1 confecto iusto itinere. — *nullo die int.*] ἀσυνδέτως pro ʻnec ullo die i.ʼ Cf. 25, 2 coniunctis suis copiis cognito regis egressu; 63, 1 equo admisso omissis omnibus rebus; 86, 3 legionibus relictis M. Messala Uticam praemisso. — 4 *a. d. XIIII. Kal. Ian.*] Plut. Caes. 52 *περὶ τροπὰς χειμερινὰς διαβὰς εἰς Σικελίαν καὶ βουλόμενος εὐθὺς ἀποκόψαι τῶν περὶ αὐτὸν ἡγεμόνων ἅπασαν ἐλπίδα μελλήσεως καὶ διατριβῆς ἐπὶ τοῦ κλύσματος ἔπηξε τὴν ἑαυτοῦ σκηνήν*, quae aut ex hoc loco aut ex Polionis historiis desumpta sunt. — *Lilybaeum*] hodie Marsala. — 6 *secundum litus*] Quoniam secundum praepositio a sequendo originem traxit, sequimur autem euntes eos qui praegressi sunt, recte utuntur hac particula Caesar et Cicero in formulis ʻs. flumen, s. mareʼ. Caes. 2, 18, 3. 7, 34, 2. III 65, 3. Cic. Att. 8, 12, C 1. 16, 8, 2. Sed iam Plautus dixit s. litus Rud. 149. 157, Sisenna fr. 54 fluvium, quae s. Herculaneum ad mare perfluebat, Asinius cap. 3, 1 s. oram maritumam, 98, 2 s. terram provectus; liberius idem Plautus ap. Prisc. 10, 24 s. ipsam aram aurum abscondidi, i. e. pone (hinter), ut Servius ap. Cic. epist. 4, 12, 2 alterum (vulnus) in capite s. aurem. — 7 *prope fl. verb.*] prope = paene; fluctus sensu collectivo poetarum more, sicut verberandi quoque verbum poetarum orationem imitatur; Hor. epod. 10, 4 ut verberes latus Auster fluctibus; Catull. 64, 67 fluctus adludebant; Verg. ecl. 9, 43 feriant litora fluctus; Ovid. met. 11, 529 pulsarunt ardua fluctus. — 8 *ne quis ... ut omnes*] saepe Asinius rhetorum artificio usus eandem sententiam bis expressit, et forma affirmativa et negativa, veluti 1, 4 non deterrebatur ... confidebat; 18, 4 contenderent neque remitterent. Cf. ad 20, 1. De ʻquis ... quicquamʼ cf. Anton, Stud. z. lat. Gr. III p. 198 sq.

3 ut omnes in dies horasque parati essent. Incidit per id
tempus, ut tempestates ad navigandum idoneas non haberet;
nihilo [tamen] minus in navibus remiges militesque continere
4 et nullam praetermittere occasionem profectionis, cum prae-
sertim ab incolis eius provinciae nuntiarentur adversariorum
[copiae] equitatus infinitus, legiones regiae IIII, levis arma-
turae magna vis, Scipionis legiones X, elephanti CXX classes-
que [esse] conplures: tamen non deterrebatur animoque [et
5 spe] confidebat. Interim in dies et naves longae adaugeri

3 *[tamen] *om. D et rec.* ‖ 4 praetermittere *PVF* ‖ 5 eius] *L sup. sc.* ‖ 6 *[copiae] *incl. Novák* ‖ 8 *[esse] *om. LF* ‖ *[et spe] *inclusimus*

---

1 *in dies horasque*] Cum sit frequentissimum 'in dies', raro admodum legitur 'in horas', nisi quod Horatius delectatur hac formula: carm. 2, 13, 14. sat. 2, 7, 10. epist. 2, 1, 189. 2, 3, 160. — *parati*] Suet. div. Iul. 65 ut neque itineris neque proelii tempus denuntiaret, sed paratum et intentum momentis omnibus quo vellet subito educeret. — *incidit ut*] = accidit. B. Hisp. 3, 5. 6, 4. Liv. 6, 34, 6. — *per id tempus*] Nos: diese ganze Zeit über hatte er schlechtes Wetter; 76, 1; a quo quid differat 'per idem tempus', exposuimus ad 57, 1. — 3 [*tamen*] aut dicendum erat 'nihilominus tamen' (Caes. 7, 64, 7. III 17, 4. Cic. Verr. 5, 142. Tull. 39. Plin. nat. h. 17, 118) aut 'tamen nihilominus' (Caes. III 18, 5. Cic. Cluent. 76. epist. 4, 13, 5); accedit quod ipse Asinius 61, 8 omisit particulam adversativam; denique infringitur vis verborum § 4 'tamen non deterrebatur', eodem vocabulo § 3 posito. — 4 *et nullam pr.*] = nec ullam pr. o., quam dicendi licentiam ne Cicero quidem opprimendam putavit. Cf. Schmalz-Landgraf ad Reisigii praelect. de synt. ling. lat. § 237. adnot. 412. 413. — *cum praesertim*] cum antecedentibus coniungendum est, quia non initio enuntiati, sed quasi appendicis loco in extrema periodo poni solet. 42, 1. Polio ap. Cic. epist. 10, 33, 5 pr. cum nihil sit periculosius. Praeterea, qui ad sequentia rettulerunt distinctione mutata, novam his particulis tribuerunt vim concessivam nullo exemplo comprobatam. Hostium autem multitudo adeo non fregit Caesaris animum, ut potius erigeret, quippe qui celeritate plurima sit consecutus. Dio Cass. 42, 56, 1 *πλεῖστον γὰϱ παϱὰ πάντα ϰαὶ τῷ τάχει ϰαὶ ταῖς ἐϰ τοῦ ἀπϱοσδοϰήτου στϱατείαις ϰατέπϱαττεν.* — 5 *eius provinciae*] Siciliae, quam Alienus praetor obtinebat, 2, 3; non Africae, ut 26, 3. — *adversariorum*] Significantur hoc nomine qui in bellis civilibus alteram partem secuti sunt; quare nec Poenos umquam neque in commentariis de bello Gallico Gallos ita dictos invenies. Similiter Appian. b. civ. 2, 97 *οἱ ἐχθϱοί.* — 6 [*copiae*] cum 'copiae nuntiantur' non plenam efficiat sententiam, ex sequentibus utique 'infinitae' vel 'magnae' supplendum est; sed substantivum a ludi magistro potius adscriptum est ad explicandam pluralis formam 'nuntiarentur'. — *infinitus*] Polio epist. Cic. 10, 32, 4 inf. pollicitationibus incitare; b. Afr. 59, 5 i. multitudo. Cf. Köhler, Acta semin. Erlang. I 464. Appian. b. civ. 2, 96 *ἱππέων δύο μυϱιάσιν* et *ἱππέας Νομάδας ἐς δισμυϱίους.* — 7 *legiones X*] Appian. civ. 2, 96 *Σϰιπίωνος ὀϰτὼ τέλεσι πεζῶν.* — *elephanti*] triginta Scipionis fuisse, sexaginta Iubae idem Appianus auctor est, unde in Sicilia famam in maius auctam esse apparet. — 8 *non deterrebatur*] absolute, ut 69, 4. Caes. 5, 7, 1. — *animoque confidebat*] idem fere

et onerariae conplures eodem concurrere et legiones [tironum] convenire, in his veterana legio quinta, equitum ad duo milia.

2. Legionibus collectis VI et equitum II milibus, ut 1
quaeque prima legio venerat, in naves longas inponebatur,
equites [autem] in onerarias. Ita maiorem partem navium 2
antecedere iussit et insulam petere Aponianam, quae est a
Lilybaeo *longe milia passuum*...commoratus bona paucorum 3

1 eodem] *om. L* ‖ *[tironum] *inclusimus* ‖ 2 legio] religio *A* ‖ equitum *om. L* ‖ 3 duo] *L*; ·II· *vel* II *R* ‖ 4 mil *L alii*; milia *AP* ‖ utque prima *L* ‖ 6 *[autem] *L marg. sec. m.* ‖ 7 Apononiam *L* ‖ *est] *A*; abest *R*, *F sec. m. sup. scr.* ‖ 8 libyco *L*; lilybico eo *A* (*et in marg.* q̄, *i. e.* quaere); lilibreo *P* ‖ *longe m. p. *addidimus* ‖ commoratus *om. L*

---

quod 'sibi confidere'. Livius 24, 8, 4 fidentem animo et viribus; Verg. Aen. 2, 61 fidens animi; Tac. an. 4, 59. De verbo composito cf. ad cap. 5 convulnerare; de clausula ditrochaica 1, 1 verberaret; 2, 4 consecutus. Cic. orat. 214 'patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit'; hoc dichoreo tantus clamor contionis excitatus est, ut admirabile esset. [et spe] sive pro dativo accipitur sive pro ablativo, latinum non est. — 1 *concurrere*] de navibus, ut 2, 2 partem navium antecedere. Cf. ad 63, 1. — [*tironum*] pugnat cum sequentibus 'in his veterana'; itaque aut emendandum 'cum his' (cf. 28, 2 duo Titii et cum his T. Salienus), aut, quod praestat, 'tironum' eiciendum utpote glossematis loco adscriptum. Intelleguntur legiones XXV. XXVI. XXVIII. XXIX. XXX. Ceterum cf. quae diximus ad cap. 5 (et eas tironum). — 2 *in his vet. legio quinta*] Appian. b. civ. 2, 96 ὡς τὸ πέμπτον τέλος, αἰτῆσαν ἀντιταχθῆναι τοῖς ἐλέφασι, κρατῆσαι πάνυ καρτερῶς. Hirt. b. Gall. 8, 45, 1 principes atque in his Surum Haeduum; b. Hisp. 9, 4. 23, 8 in quibus, in quis. b. Afr. 33, 1 cum naviculis XXX, inibi paucis rostratis.

2. 4 *ut quaeque*] 'ut quae', Taciteae orationis proprium (Draeger, synt. Tac. § 180), ab Asinii aetate abhorret. — 5 *inponebatur*] in singulas naves ducenos fere milites impositos esse colligas ex Caes. 4, 37, 1; III 28, 3. — 7 *antecedere*] cf. ad 63, 1. — *Aponianam*] una ex insulis Aegusis, prope Lilybaeum, fortasse eadem, quae Ptolemaeo 3, 4 extr. est *Πακωνία*, qua iter habebant Carthaginem proficiscentes secundum Polybium 1, 44, 2 ἐν ταῖς καλουμέναις Αἰγούσσαις μεταξὺ δὲ κειμέναις Λιλυβαίου καὶ Καρχηδόνος. Sed insulae nomen transiisse videtur ad maiorem Aegusam, quae nunc dicitur Favignana vel Favognana vocabulo vulgi ore euphemiae causa aut vento Favonio aut verbo favendi adsimilato. Cf. append. hist. — *est a Lil.*] 68, 1 quod (oppidum) erat ab eo longe milia passuum XIV. — 8 *commoratus*] excidit praeter temporis (veluti: paulisper, aliquot dies) loci quoque significatio, fortasse Lilybaei. Adeo autem hoc verbum in deliciis habuit Asinius, ut quindecim locis uteretur eo non multum diverso a 'versandi', uno simplici 'morandi' in malam partem et cum vituperatione dicto, 26, 4. Cf. Köhler, Acta Erlang. I 383. — *paucorum*] ut 98, 2 bona paucorum vendit; οἱ ὀλίγοι, ὀλιγάρχοι, oppos. οἱ πολλοί. Sall. Cat. 20, 7 postquam res p. in paucorum (potentium) ius atque dicionem concessit... ceteri vulgus fuimus; id. hist. 1, 48, 6 Catuli consilia cum paucis secutus, et sic passim. Plaut. Trin. 34

publice vendit, deinde Alieno praetori, qui Siciliam optinebat, de omnibus rebus praecipit et de reliquo exercitu celeriter in-
4 ponendo. *His* mandatis ipse naves conscendit a. d. VI. Kal.
5 Ian. et reliquas [naves] statim est consecutus. Ita vento certo celerique navigio vectus post diem quartum cum [longis] paucis navibus in conspectum Africae venit: namque [onera-

1 vendit publice *A* ‖ optinebat *ALP* ‖ 2 praecipit] scribit *L* 3 *His mandatis] datis mandatis *AD corr. et rec.; om. LP* ‖ *naves *LP;* navem *A* ‖ a. d.] ad *AL* ‖ 4 *[naves] *O* ‖ 5 certo *om. A* | *[longis] *inclusimus* ‖ 6 *onerariae *secl. Kraner*

Nimioque hic pluris pauciorum gratiam Faciunt pars hominum quam id quod prosit pluribus. — 1 *Alieno*] ut 34, 4. 44, 1; Allienus 26, 3 ut apud Cic. epist. 12, 11, 1; 12, 12, 1; 13, 78. 79; ad Q. fr. 1, 1, 3; ad Attic. 10, 15, 3; Phil. 9, 30 et in nummo; similiter nomen Alliae et gentis et fluminis haud raro Alia scriptum invenitur. — *praetori*] idem 34, 4 proconsul dicitur, quia inde a septimo u. c. saeculo saepius iidem viri et praetoris (propraetoris) et proconsulis munere functi sunt, qua de re cf. Mommsen, Röm. Staatsrecht, II² 629 adnotat. 2. — 2 *praecipit*] Quod in L traditum est ʻscribitʼ, supra versum additum esse videtur a grammatico, qui moneret praecipit hoc loco idem significare quod praescribit. — 3 *His mandatis*] ut ap. Caes. 2, 5 nisi forte scripsit Asinius: his datis mandatis, ut Caes. 7, 54, 4. 7, 71, 5. Pronomine demonstrativo ideo opus erat, quia verbo ʻmandataʼ eadem significantur, quae Alieno praeceperat. Caes. 2, 5, 3. — *ipse naves c.*] cum minore parte copiarum, quod intellegitur ex § 2. Sic 1, 1 ostendit sese naves velle conscendere; 98, 1 classem conscendit; 98, 2 naves conscendit, de uno Caesare dictum. — *a. d. VI Kal. Ian.*] secundum fastos tum corruptos et turbatos, re vera Nonis fere Octobribus, vel ut Stoffel vult II 289 Kalendis Nov. — 4 *consecutus*] = secutus; neque enim illas cursu nactus est, quia non commoda tempestate usae erant, ut perspicitur ex § 5 et 3, 1. Cf. 79, 2 per superiora loca consecutus; 39, 2 et ad 5, 1. 9, 1. — *vento certo celerique navigio*] allitteratio studio quaesita eiusque vis adiectivis iuxta positis aucta. Cf. Asinius epist. Cic. 10, 31, 1 cupidissime et quam creberrime. Ex bello Africo praeter leviora quaedam huc pertinent: 10, 3 vultu vigore; 19, 4 campis planissimis purissimisque; 20, 1 tela tormentaque; 20, 4 dirui atque deseri; 26, 5 dirui deserique; 31, 1 minutatim modesteque sine tumultu aut terrore; 35, 2 praemiis pollicitationibusque; 40, 5 pretio pollicitationibusque; campo collibusque; 44, 3 impulsu et imperio; 68, 2 ex campo in collem; 71, 1 veteranum victoremque; 72, 3 magnitudo multitudoque; 74, 2 diripiendum delendumque; 80, 5 perturbati ac perterriti. — 5 *cum paucis navibus*] tam longis (nam ipse dux haud dubie cum legionibus fuit) quam onerariis, in quas impositi erant equites (3, 1). Quod antea legebatur ʻcum longis paucis navibusʼ non solum latinum non est propter pravam verborum collocationem — dicendum enim erat cum paucis longis navibus — sed ne verum quidem, cum ex peditibus equitibusque Adrumeti expositis (3, 1) constet Caesarem et longas et onerarias naves secum habuisse. Cf. 7, 3 naves onerariae et longae nonnullae; Caes. I 30, 4 naves longas veteres reficiebat. Cic. Verrin. 5, 136 privata navis oneraria maxima; Livius 21, 17, 5 naves longae CLX; 21, 51, 6. Nägelsbach, lat. Stil. § 79, 2.

riae] reliquae [praeter paucas] vento dispersae atque errabundae diversa loca petierant. Clupeam classe praetervehitur, 6
deinde Neapolim; conplura praeterea castella et oppida non longe a mari relinquit.

3. Postquam Adrumetum accessit, ubi praesidium erat 1
adversariorum, cui praeerat C. Considius, et a Clupeis secun-

1 *praeter paucas *secl. Vielhaber* ‖ disperso *L* ‖ 2 *petierant] petiuerunt *L;* petierunt *R* ‖ cluppeam *L* ‖ 3 *deinde *AD;* dein *R* ‖ 4 *relinquit *FV;* reliquit *R* ‖ 6 praeceperat *A* ‖ cassidius *L* ‖ cluppeis *L*

---

1 *reliquae*] Idem grammaticus, qui paucas Caesaris naves falso intellegebat longas, ad 'reliquae' explicandi causa adscripsit 'onerariae'; rectius alius quidam sive librarius sive ludi magister reliquas sensit esse omnes tam longas quam onerarias exceptis illis paucis, quae Caesarem comitabantur, ideoque adscripsit 'praeter paucas'. Utrumque igitur utpote glossema eiciendum erat. — *errabundae*] 21, 3. 44, 2, quod verbum Asinius adscivit ex sermone poetarum. Lucr. 4, 692. Catull. 64, 113. Verg. ecl. 6, 58. Apud Plautum leguntur ludibundus et moribundus, apud Sisennam populabundus, apud Claudium Quadrigarium cunctabundus, apud Laberium amorabundus, apud Sallustium praedabundus et vitabundus. Caesar his formis plane abstinuit, indulsit Livius; Cicero non nisi paucis locis admisit vocabula Plautina ludibundus et moribundus. Apud priscos tamen scriptores hunc usum latius patuisse et Quintilianus confirmat 1, 6, 42: neque enim tuburchinabundum et lurchinabundum iam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor; et quae Gellius protulit exempla satis multa, veluti cogitabundus, iactabundus, gloriabundus, nitibundus ex sermone prisco potius resuscitata quam novata sunt. Ac Terentius Scaurus quidem ap. Gell. 11, 15, 7 populabundum interpretabatur eum, qui populantem ageret vel imitaretur; Apollinaris laetabundum abunde laetum; Diomedes p. 403, 4 vitabundum eum, qui vitare simularet; rectius Caesellius Vindex ap. eundem Gellium ludibundum ludentem. Cf. secundus = sequens; oriundus = oriens. Monendum tamen haec omnia probari posse in verbis intransitivis, a plerisque improbata esse in transitivis (populabundus agros). — 2 *petierant*] restituimus ad fidem codicis L, cuius scriptura petiuerunt (neque enim usus est hac forma Asinius) conflata est ex petierunt et supra scripta a correctore, ut esset 'petierant' littera *a* quae dicitur aperta quamque litterae *u* simillimam esse nemo ignorat; praeterea petierunt (pro petebant) parum recte dictum esset. — *praetervehitur*] b. Alex. 44, 4. Caes. III 26, 1. 30, 1; similiter praetergredior b. Afr. 58, 4. 69, 1. 73, 4: praevehi eodem sensu Propertius, Livius, Tacitus; praegredi Livius et Tacitus. — 3 *Neapolim*] hodie Nabel. — *non longe*] septiens; 38, 2 non ita longe; cf. ad 12, 1 haud longe. — 4 *relinquit*] praeferendum erat, quia in primo enuntiato est praetervehitur.

3. 5 *Adrumetum a.*] Paulo aliter Cassius Dio 42, 58, 1 *τὸν πλοῦν πρὸς Ἀδρύμητον ἐποιήσατο, τὰ γὰρ ἐν τῇ Οὐτίκῃ ἰσχυρῶς ἐφρουρεῖτο.* In nummis et inscriptionibus HADR. Cf. Tissot-Reinach, Géogr. de la province Romaine d'Afrique vol. II. Paris. 1888. pg. 149 sqq. 809 sq. Hodie Soussa. — *praesidium*] duarum legionum; 33, 3. ‖ 6 *C. Considius*] cognomine Longus, paulo ante exortum bellum civile propraetor Africae, qui successorem Ligarium reliquit (Cic. p. Lig. 1. Schol. Gronov. p. 414 Or.) et iam anno 49 a. Chr. Adrumetum unius legionis praesidio tuebatur. Caes. II 23, 4. Cf. infra c. 33, 3. 43, 1. — *Clupeis*] pluralis forma, ut apud

dum oram maritumam [cum equitatu] [Adrumetum] Cn. Piso, cum *equitibus* Mauris, circiter tribus milibus, apparuit, ibi paulisper [Caesar] ante portum commoratus, dum reliquae naves convenirent, exponit exercitum, cuius numerus in praesentia fuit peditum III milium, equitum CL, castrisque ante oppidum positis sine iniuria cuiusquam considit cohibetque omnes a praeda.
2 Oppidani interim muros armatis conplent, ante portam frequentes considunt ad [se] defendendum; quo-

1 maritimam *O* ‖ *[cum equitatu] *inclusimus* ‖ [Adrumetum] *incl. Hoffmann* ‖ 2 *equitibus Mauris] Mauris *LF*; Mauroris *A*; Mauro *PV*; Maurorum *Scaliger* ‖ 3 *[Caesar] *inclusimus* ‖ ante portam commorat̄ *A* ‖ 5 *milium] mīl *A*; mit *L*; milia *vulg.* ‖ *equitum *L, D corr.*; equites *R* ‖ 6 *considit] consedit *O* ‖ 8 *[se] *scl. Forchhammer*; sese *A*

Caes. II 23, 2 a Clupeis, ne ablativus cum nominativo congrueret; nomin. et accus. Clupea, Clupeam b. Afr. 2, 6. Caes. II 23, 3. Liv. 27, 29, 7. 29, 32, 6. Lucan. 4, 586 (cf. schol.); Clupea sive Clypea apud Plin. nat. h. ad Clypeam Ennius heduphag. 1; Clipea primum apud Florum 2, 2, 19, Nepotianum, Orosium. Hodie Kêlibia; Polybio, Straboni, Appiano Ἀσπίς. — 2 *cum equitibus Mauris*] Cum a grammatico olim adscriptum esset 'cum equitatu', et vera scriptura (equitibus) extincta et in codicibus aliquot Mauro correctum est, quod ut in Horatio (cf. Marsus aper) ferendum esset, ita a consuetudine oratorum abhorret. 6, 3. 7, 5. 83, 3. — 3 *paulisper commoratus*] ut 32, 1. Plaut. Amph. 2, 2, 64 p. mane. Caesar 2, 7, 3 p. apud oppidum morati; 5, 21, 5; I 41, 2. Cf. ad c. 5 (convulnero) et Köhler, Acta Erlang. I 383. — 4 *exponit*] Suet. div. Iul. 59 Prolapsus in egressu navis verso ad melius omine: Teneo te, inquit, Africa. Frontin. strat. 1, 12, 2. Cassius Dio 42, 58, 3. — 5 *milium*, *equitum*] Haec cum in codicibus per compendia (cf. 2, 1) scribi soleant, de casibus ex verborum syntaxi iudicandum est; genetivum autem commendant hi loci: b. Afr. 12, 3 quorum numerus fuit triginta cohortium; 20, 2. Caes. 4, 15, 3 cum hostium numerus capitum CCCCXXX milium fuisset; 7, 28, 5 ex omni numero, qui fuit milium XL. Cf. praeterea 4, 12, 1. b. Alex. 18, 4 numerus captivorum fuit sex milium (*al.* sexcenti). — 6 *considit*] ut § 2 et 24, 1 considunt; 65, 3 idoneis locis considit. Perfecto usus est scriptor praecedente aut enuntiato temporali (48, 2 postquam pervenit, consedit); 50, 2 cum animadvertisset, c.) aut participio perfecti (79, 2 adductus ... consecutus ... c.), item ubi in altero enuntiato perfectum scriptum est (67, 3 subsequi coepit atque ... c.; 80, 3 c. et castra munire coepit). — *cohibet a praeda*] 98, 2 cohibebantur in portu; Caesar, qui verbo cohibendi non utitur, in iisdem sententiis continendi praefert, velut 1, 15 suos a proelio continere; 4, 34 milites in castris. Cf. b. Afr. 1, 2. 7, 4. 41, 1. 82, 4. — 7 *interim*] vocabulum Polioni mirifice adamatum; scripsit enim septuaginta fere locis, interea duobus (8, 5. 44, 1). — 8 *ante portam*] quae Caesaris castris proxima fuit. — *ad defendendum*] scil. oppidum; 31, 7 quae ad defendendum solent parari; 86, 3 ad obsidendum; Hisp. 18, 4 quae in oppido ad defendendum comparantur. Quod edebatur, ad se defendendum, et perversam praebet sententiam (praestabat enim muris se tueri) neque ullum apud Polionem talis constructionis exemplum reperitur. Cf. 8, 2 ad naves conquirendas; 39, 2 ad impediendos milites; 39, 5 ad intercludendos hostes.

rum numerus duarum legionum instar erat. Caesar circum 3
oppidum vectus natura loci perspecta redit in castra. Non- 4
nemo culpae eius inprudentiaeque adsignabat, quod neque
quae circum loca peterent, gubernatoribus [praefectis] prae-
ceperat neque, ut mos ipsius [consuetudo] superioribus tem-
poribus fuerat, tabellas signatas dederat, ut in tempore his
perlectis locum certum peterent universi. Quod minime 5
Caesarem fefellerat: namque nullum portum Africae terrae,
quo classes decurrerent, pro certo tutum ab hostium praesidio

1 numerus *om.* *A* ‖ instar] *Walchius:* intus *O* ‖ 2 *redit *A;* rediit *R* ‖ 3 *neque quae] neque *O* ‖ 4 *circum loca *O;* certum locum *Aldus, vulg.* ‖ *peterent] *hoc loco nos: in O ante* praeceperat ‖ *[praefectis] *nos:* praefectis *A;* praefectisque *R* ‖ 5 *mos] more *O* ‖ *[consuetudo] *inclusimus* ‖ 6 signata *A* ‖ dediderat *AP* ‖ iis *A* 8 nam neque *A* ‖ *Africae terrae *L;* terrae Africae *R*

---

1 *instar*] Caes. III 66, 1 quod i. legionis videretur; b. Alex. 19 cohortium trium i. exposuit. Livius 26, 28, 11 milites dati duarum i. legionum. Cf. Arch. lex. lat. II 584. — *circum o. vectus*] Hac praepositionis forma prisci scriptores non usi sunt nisi additis verbis motum significantibus. Cf. Arch. lex. lat. V 294. — 4 *quae circum loca*] 'quae' cum post 'neque' excidisset, ex coniectura 'quid' suppletum et ordo verborum paululum turbatus est. Opponuntur autem loca navigantibus ad dextram sinistramque sita verbis infra scriptis (locum certum peterent) ita ut aut complura loca classibus destinata intellegenda sint, aut pluralis numerus longiorem orae maritimae tractum significet. Aliter Stoffel II 283. Arrideret Novákii coniectura: neque gub. pr. quid peterent praeceperat, nisi refragaretur verborum collocatio. — [*praefectis*] Etsi concedendum est praefectos ex conexu sententiarum intellegi posse praefectos navium (Livius 21, 6, 4. 23, 26, 4 pr. nav. Flor. 3, 6, 40 legatis atque praefectis), tamen Caesar tabellas signatas aut gubernatoribus aut praefectis dedisse censendus est; tradidisse autem re vera gubernatoribus et ex petendi verbo colligitur et ex loco Frontini strat. 1, 1, 2: Himilco tabellas, in quibus scriptum erat, quam partem peti vellet, universis gubernatoribus (τοῖς κυβερνήταις Diod. 14, 55. Polyaen. 5, 10, 2) dedit signatas. — *praeceperat*] = praecepisset, quia non re vera culpa in Caesare residebat, sed illi castigatores id sibi persuadebant. Usurpatur autem verbum de mandatis coram datis, quibus hoc loco opponuntur litterae signatae. Cf. ad 8, 4. — 5 *mos ipsius*] Quod in codd. est 'consuetudo', adhaesit fortasse ex loco Caesaris I 21, 3 (ut erat superiorum dierum consuetudo) a grammatico in margine adscripto. Cf. infra 47, 2 quod Caesar non more superiorum temporum . . . continebat, et adnot. ad 33, 1 paratos. — 7 *quod*] = sed hoc, id tamen: nam pronomen relativum non solum loco demonstrativi positum est, sed idem vim particulae sive copulativae sive adversativae habet: 75, 4 quae res Caesarem non fefellerat; 80, 1 quod futurum Caesarem non fefellerat. — 8 *Africae terrae*] ut 26, 4 praeter ipsam A. t. Sic iam apud Ennium ann. 358 M. Africa . . . terra; sat. VII quos gerit A. t. politos. Inverso ordine 24, 3 terrae A. Ad aliud dicendi genus pertinent, quae leguntur apud Caes. 1, 30 terram Galliam, apud Livium terram Italiam et t. Hispaniam. — 9 *decurrerent*] Cf. Köhler, Acta Erlang. I 464. — *tutum*] idem fere quod vacuum.

fore suspicabatur, sed fortuitu oblatam occasionem egressus
aucupabatur.
1 4. L. Plancus interim legatus petit a Caesare, uti sibi
daret potestatem cum Considio agendi, si posset aliqua ra-
2 tione perduci ad sanitatem. Itaque data facultate litteras
conscribit et eas captivo dat perferendas in oppidum ad
3 Considium. Quo simulatque captivus [cum] pervenisset litte-
rasque, ut erat mandatum, Considio porrigere coepisset,
priusquam acciperet ille, *Unde*, inquit, *istas?* Tum captivus:
4 *Imperatore a Caesare.* Tum Considius, *Unus est*, inquit,

1 *fortuitu *A et rec.;* fortuito *P;* fortuito casu *L* ‖ 3 interim *in L post* petit *scriptum et sec. m. deletum* ‖ 7 [cum] *F inter versus; om. cod. Petavianus* ‖ 10 imperatore *Barthius:* immo *O* ‖ *tum] *ALF*; tunc *R*

---

1 *fortuitu*] Prisc. 15, 24 (II 79, 19 H.): forte . . pro fortuitu, quod a 'fortuitus' derivativo nomine fit. Quae explicatio quamquam falsa est — neque enim fortuītu (Plaut. Aul. 164 in versu trochaico: fortuitu fecerit; corripuit primus Iuven. 13, 225) eiusdem generis est, cuius circuĭtus — tamen de ipsa forma dubitare non licet, nedum codicum auctoritate neglecta ad similitudinem adverbii gratuīto ubique corrigere 'fortuito'. Quod scripserunt Cornificius 1, 11, 19 et Cic. de divin. casu et fortuito, Apuleius met. 9, 12 casu fortuito, defenditur quidem similitudine aliarum locutionum, veluti noctu clam, luce palam, sed nihil valet ad confirmandam codicis L scripturam, quae vel ordine verborum glossatoris manum prodit. — *egressus*] Landung. Caes. 5, 8, 3. III 23, 3. — 2 *aucupabatur*] 58, 3. Vocabulum Plautinum, Most. 4, 2, 42: num quis est sermonem nostrum qui aucupet; sed constanter ille activa forma utitur, et plerumque obiecto non addito. Florus 3, 13, 1 studium populi ac favorem aucupabatur.

4. 4 *si posset aliqua r.*] Pronominis plenior forma maiore vi posita; scilicet Plancus omnia experiri in animum induxerat, quae ad Considium Caesaris partibus conciliandum pertinerent. — 5 *perduci ad san.*] Hirtius b. Gall. 8, 22, 1. b. Alex. 24, 2. — 7 *simulatque*] cum plusquamperfecto coniunctivi Asinius coniunxit, ut 8, 1 simulatque . . legissent; quare 'cum' a grammatico olim adscriptum fuisse et per se credibile est et confirmatur c. 50, 4, ubi in omnibus codicibus praeter Leidensem 'postquam cum' scriptum est. Cf. Landgraf, Untersuch. zu Caesar, p. 30 sq. — 8 *porrigere*] compositum ex por (umbr. osc. pert, in dialecto Cretensium *πορτί*, graece *προτί, πρός*) et regere, proprie de iis dicitur, qui manum (dextram) gratulandi, sublevandi, precandi, tradendi causa protendunt, veluti apud Cic. p. Cael. 63 cum manum ad tradendam pyxidem porrexisset; sed iam Livius Andronicus trag. 22 scripserat: porrige (scil. opes). Cf. ad 17, 1. — *p. coepisset*] = porrigeret, quia actio porrigendi nondum ad finem perducta est. Eadem saepe apud Polionem aliosque est verbi coepi cum infinitivo coniuncti ratio, quae apud Graecos verborum *τυγχάνω, φθάνω* cum participio coniunctorum; non enim exprimit summam sententiae, sed adverbii quasi munus sustinet. — 10 *tum Considius*] ut § 3 tum captivus; 16, 2. 3 ter. Hor. sat. 2, 6, 115 tum rusticus; 2, 8, 33 tum Vibidius Balatroni, et sic passim.

Scipio imperator hoc tempore populi Romani; deinde in conspectu suo [statim] captivum interfici iubet litterasque nondum perlectas, sicut erant signatae, dat homini certo ad Scipionem perferendas.

5. Postquam una nocte et die ad oppidum consumpta neque responsum ullum a Considio dabatur, neque ei reliquae copiae succurrebant, neque equitatu abundabat et ad oppidum oppugnandum non satis copiarum habebat et eas tiro-

2 *statim *om. A* ‖ interfici captivum *L* ‖ 3 homini certo homini *L* ‖ 7 habundabat *L;* habundat *A* ‖ 8 expugnandum *L*

---

1 *hoc tempore*] = nunc, ut uno tempore = simul (ad 6, 1), nullo tempore = numquam, longo t. (longtemps) = diu. — 2 [*statim*] Cf. 46, 1 ante pedes centurionem interfecit. — 3 *sicut erant signatae*] sigillo impresso obsignatae, ut Nepos Pelop. 3, 2 epistolam, sicut erat signata, sub pulvinum subiciens. Val. Max. 6, 5, 6 scrinium, ut erat signatum. Asinius in huius generis enuntiatis constanter copulam particulae comparativae subiunxit: 17, 2 ut erat instructus; 77, 4; 78, 9; 18, 5 uti erant instructi; 7, 3 ut est nuntiatum; 4, 3 ut erat mandatum; 88, 7 ut erat imperatum. Cuius rei apud Ovidium, qui eidem legi obtemperavit (ex. gr. met. 6, 244 sicut erant iuncti) causa cognosci potest haec, quod idem saepius scripsit 'sicut erat' (ὡς εἶχε. Met. 6, 657 sicut erat sparsis furiali caede capillis), unde facilis erat transitus ad perfecti et plusquamperfecti formas passivas. Suet. Cal. 45 sicut erant loricati; Claud. 34 s. erat togatus; Otho 8 s. erant cruenti. Contraria ratione usus Curtius 9, 7, 10 sicut nudatus erat; 10, 4, 2 sicut vincti erant; 8, 10, 30 s. imperatum erat; 9, 8, 19 etc.

5. 5 *una nocte et die*] Cum Polio 1, 1 scripserit 'nullo die intermisso' et sic constanter, ex nostro loco non colligi potest eum hoc substantivum pro feminino quoque accepisse; immo ex 'una' cogitatione supplendum 'uno', ut 10, 2 magno metu ac tristimonia; 19, 2 hac mente et conatu; 22, 4; 38, 2 ab ultimo colle turrique; 39, 1 in unumquemque collem turremque; 89, 5 pro natura sua et pro instituto; Polio ap. Cic. epist. 10, 32, 4 ullam finem aut modum. Caes. 3, 5, 2 vir et consilii magni et virtutis (genetivis duplicata copula quasi de industria disiunctis). Sall. Cat. 10, 1 cuncta maria terraeque. Cic. Verrin. 2, 62 maxima barba et capillo. In elegantiore tamen orationis genere adiectivum duplicem formam induit, velut apud Cic. imp. Cn. Pomp. 7 uno nuntio atque una significatione; Verrin. 3, 53 magna impensa magnoque instrumento; Caes. I 61, 3 magnos equitatus magnaque auxilia. — 6 *postquam . . dabatur*] als immer keine Antwort kam: expectatio enim non semel destituta est, cui rei significandae inserviret perfectum, sed in horas destituebatur, quod imperfecto exprimitur. — *reliquae copiae*] ad naves vento dispersas (2, 5. 3, 1) potius pertinet, quam ad reliquam exercitus partem Lilybaei nondum in naves impositam (2, 3). — 7 *equitatu*] qua copiarum parte Considius praevalebat. — *neque . . abundabat*] insignis λιτότης, quippe cui ne iustus quidem unius legionis equitatus esset. — 8 *non satis cop.*] vix unam legionem, cum Considius oppidum duabus teneret (ad 3, 1). — *et eas tironum*] 10, 4 parva cum copia et ea tironum; 31, 7 copiae paucae tironumque: rectius scripsisset 'maximam partem tironum', si vera sunt, quae dixit 6, 5. 10, 1.

num, neque primo adventu convulnerari exercitum volebat, et oppidi egregia munitio et difficilis [ad oppugnandum] erat accessus, et nuntiabatur, auxilia magna equitatus oppidanis suppetias venire, non est visa ratio ad oppugnandum oppidum commorandi, ne, dum in ea re [Caesar] esset occupatus, circumventus a tergo ab equitatu hostium laboraret.

1 **6.** Itaque castra cum movere vellet, subito ex oppido

2 *[ad oppugnandum] *inclusimus: est in O, nisi quod in L* ad pugnandum *et in V* difficilis erat ad oppugnandum accessus ‖ accessus erat *L;* erat ascensus *AD* ‖ 3 nuntiabatur *FD* ‖ 5 re *om. LP* | *[Caesar] *inclusimus: inverso ordine* est Caesar *A* ‖ *esset *Aldus et fortasse FD:* est *ALPV*

---

1 *adventu*] per euphemismum = congressu, concursu. b. Gall. 8, 3, 3. — *convulnerari*] vocabulum Polioni quasi proprium, quippe qui novem locis, ac primus quidem, quantum scimus, et solus inter aetatis Augusteae scriptores, eo usus sit. Proxime accedit ad huius verbi usum 'concidere', et ipsum ex sermone militari vel vulgari haustum, de quo diximus ad 41, 1: eiusdem generis sunt confidere 1, 4; commorari (ad 2, 2); condensare 13, 1; commigrare 20, 4; fugae se commendare 34, 2; comminari 71, 1. Quid! quod talibus compositis ita sive usus sive abusus est, ut substitueret ea nullo significationis discrimine simplicibus; cf. ad 2, 4 consequi. Neque idem hoc compositionis genus ad substantiva et adiectiva transferre dubitavit, cuius rei sufficiat exempla proposuisse convallis (ad 7, 6) et condensus (14, 2. 50, 1). Rarius ac multo tempore post hac licentia particulae corruptae sunt, veluti sic, consic, quod mansit in sermone Italorum (così). — 2 *difficilis accessus*] non probanda codicum quorundam lectio 'ascensus', quamquam b. civ. II 34, 1 (a Polione?) scriptum est: vallis difficilis ascensu; nam Adrumetum in plano situm erat, ita tamen, ut loca palustria muros subire vetarent. Ceterum Caesar in eadem re substantivo 'aditus' utitur: 3, 25, 2 facilis; 7, 36, 1. II 25, 1 difficilis aditus. — [*ad oppugnandum*] inclusimus, quia eadem iisdem verbis sententia et paulo supra et infra expressa est; praeterea codicum LV discrepantia et incisorum aequabilitas (egregia munitio, difficilis accessus) huic coniecturae adstipulantur. — 3 *neque . . n. n. et . . n. et et*] polysyndeto excusatur Caesaris consilium, qui non solum de obsidione desperavit, sed etiam iter ab hoste avertit: quippe particularum multitudine multas quoque Caesari huius rei fuisse causas indicatur, quarum potissima memoratur 7, 4. — *nuntiabatur*] numero singulari seq. accusativo cum infin. ut 12, 1; nomin. cum infin. 1, 4. — 4 *suppetias venire*] s. proficisci 25, 5; ire 39, 4. 41, 2; occurrere 66, 3. 68, 3; mittere 75, 5: vocabulum priscae latinitatis, spretum Caesari ac Ciceroni, Sallustio, Livio. Plaut. Men. 5, 7, 31 s. adveni. Varro sat. Men. 220 R. s. ire; suppetiari Naevius, Apuleius. Cf. Köhler, Acta Erlang. I 401 sq. — *visa ratio*] 42, 1 non est visa ratio propius accedendi; simplicius 25, 1 non est visum dare spatium convalescendi. — 5 *dum esset occ.*] 25, 4 dum proficisceretur: 'Caesar' utpote explicandi gratia adscriptum ac pravo loco insertum eiecimus.

6. 7 *castra movere*] postridie eius dici, quem Caesar frustra consumpserat. — *subito*] quod neque in bellis Alexandrino et Hispaniensi neque in Hirtii commentario VIII belli Gallici legitur, viginti duobus

erupit multitudo, atque equitatus subsidio uno tempore eis
casu succurrit, qui erat missus a Iuba ad stipendium acci-
piendum, castraque, unde Caesar egressus iter facere coeperat,
occupat et eius agmen extremum insequi coeperunt. Quae 2
res cum animadversa esset, subito legionarii consistunt, et
equites, quamquam erant pauci, tamen contra tantam multitu-
dinem audacissime concurrunt. Accidit res incredibilis, ut 3
equites minus XXX Galli Maurorum equitum duo milia loco
pellerent fugarentque in oppidum. Postquam repulsi et 4
coniecti erant intra munitiones, Caesar iter constitutum ire

2 cassi *L* ‖ erat *inter versus add. in L, incertum an secunda manu; quare etiam* qui *fortasse delendum est* ‖ 3 et iter *ALPV* ‖ 4 *occupat *APV;* occupant *vulg. om. L* ‖ 7 concurrerunt *L* ‖ 8 duo *A;* ·II· *L*

---

locis in b. Afr. invenitur, 'repente' ne uno quidem. Semel cum perfecto verbi deponentis (47, 1 est exortus) coniunctum est, ter cum perfecto coepit, sexiens cum praesenti historico (ad 89, 4). An scribendum erumpit? — 1 *multitudo*] intellegendi sunt septingenti equites Considii legionibus additi (33, 3); verbum erumpendi de equitatu usurpatum 69, 4. — *uno tempore*] = simul; 30, 2. 34, 6. 42, 1; item apud Caesarem; = aliquando Caes. III 15, 3. — 2 *Iuba*] Hiempsalis filius, rex Numidiae et Gaetulorum, qui Curionis legiones ad Bagradam flumen deleverat (Caes. II 40) et annis 47 et 46 quoque ad causam Pompeianorum se adiunxerat, cum ei summa administrandi belli non permissa esset, initio equitatu solo Scipionem iuvisse videtur; maiores copias adduxit post proelium ad Ruspinam, 25, 1. — 4 *occupat*] Cassius Dio 42, 58, 4 *προσέβαλε* (sic) *τῷ Ἀδρυμήτῳ, ἀποκρουσθεὶς δὲ καὶ προσέτι καὶ ἐκ τοῦ στρατοπέδου βιαίως ἐκβληθείς κτλ.* — *coeperunt*] Constructio ad sensum, Ciceroni non probata, sed Asinio et Sallustio. 71, 2. As. Cic. epist. 10, 33, 3 ita festinavit uterque, tamquam nihil peius timerent. Sall. Cat. 23, 6 nobilitas invidia aestuabat et quasi pollui consulatum credebant. — 6 *quamquam*] Asinius ex numero fuisse videtur eorum scriptorum, qui particula *etsi* consulto abstinuerunt et aut *tametsi* aut *etiamsi* substituerunt, ne enuntiata concessiva confunderentur cum condicionalibus particula *et* antecedenti sententiae adnexis, veluti Sallustius et Seneca rhetor. — 8 *minus triginta*] i. e. turma male plena. Cum Caesar centum quinquaginta equites haberet (3, 1) et iterum iterumque lacessitus a Numidis partem equitatus (intellege fere dimidiam) in extremo agmine collocandam esse videret (6, 5), sequitur ut initio itineris pauciores etiam agmen novissimum clauserint. Cf. 70, 4. Recte autem Ruspinam versus profectus maiorem equitum partem ad loca exploranda antecedere iusserat. Falso interpretantur hunc locum et Nipperdeius praef. p. 202 et Stoffel II 108. — *duo milia*] Ex hoc loco colligitur Pisonem cum tribus milibus equitum Maurorum non Adrumetum pervenisse. — 9 *pellerent fugarentque*] 28, 2 pulsus fugatusque. Evitavit scriptor tritam illam verborum fundere fugare allitterationem, sicut pro orare et obsecrare maluit scribere 33, 1 orare et petere; 74, 1 petunt et obsecrant. — 10 *iter const. ire*] 75, 6 iter inceptum ire coeperunt: figurae etymologicae exemplum priscum sermonem redolet, quia nec Caesar nec Cicero, immo ne Sallustius quidem probavit. Livius 21, 27, 2 unius diei i. i.

5 contendit. Quod cum saepius facerent et modo insequerentur, modo rursus ab equitibus in oppidum repellerentur, cohortibus paucis et veteranis, quas secum habebat, in extremo agmine collocatis et parte equitatus iter leniter cum reliquis
6 facere coepit. Ita, quanto longius ab oppido discedebatur,
7 tanto tardiores ad insequendum erant Numidae. Interim [in itinere] ex oppidis et castellis legationes venire, polliceri frumentum, paratos se esse, quae imperasset, facere. Itaque eo die castra posuit ad oppidum Ruspinam, Kal. Ianuariis.

3 *et] *P et L, nisi quod in hoc* t *in rasura;* ex *R* ‖ 4 l. agere cum r. c. *L* ‖ 5 itaque *A* ‖ 6 *[in itinere] *inclusimus;* inter versus *L* ‖ 7 *polliceri *AFD;* et polliceri *R* ‖ 8 *paratos se esse] paratos esse *L P*; paratosque esse *A* ‖ 9 usurpinam *O*

---

1 *facerent*] Maurorum id fuisse videtur consilium, ut Gallos equites equosque lacessendo fatigarent. — *modo . . modo rursus*] 70, 5. 71, 1. 82, 1 modo . . modo, neque alios scriptores in altero membro 'modo rursus' scripsisse constat; quare, nisi mavis rem in glossematis suspicionem vocare, rursus cum 'repellerentur' coniungendum esse videtur, ut 30, 1 rursus in castra se recipere; 3, 3 rursus redire, 11, 3. 32, 2. 76, 2. — 3 *paucis*] duabus tribusve ex octo vel decem, quae cum secutae erant. — *et veteranis*] = et iis vet. cf. 10, 3 parva cum copia et ea tironum, nisi praestat *set* emendare. Quod vulgo editur 'ex veteranis' explicari nullo pacto potest; neque enim masculino genere dictum esse potest pro 'veteranorum', et si intelleguntur cohortes veteranae (b. Alex. 2, 3; legiones veteranae Asinius passim) Caesar censendus est sex minimum cohortes veteranas habuisse, quod pugnat cum 3, 1 et cum iis quae adnotavimus ad 5 (tironum). — 4 *leniter*] = lente, Polioni etsi non proprium, tamen mirum quantum adamatum: 12, 2 consequi; 18, 5 se recipere; 41, 2 accedere; 70, 2 placide leniterque procedens. Caes. I 80, 1 lente atque paulatim proceditur; II 40, 1 lentius subsequitur. Afranius 139 Rib. — 5 *discedebatur*] discedere non ubique est 'in diversas partes abire', sed haud raro pro abscedendi verbo ponitur spreto a Caesare, Sallustio et a Cicerone uno tantum loco (de div. 2, 37) posito. Polio ap. Cic. epist. 10, 31, 6 nullum vestigium abs te discessurus. Cf. 7, 4 digredi. — 6 *Numidae*] iidem, quos § 3 Mauros dixit. — 7 *legationes*] Cassius Dio 42, 58, 4 *μετέστη πρὸς Ῥούσπινα, καὶ δεχθεὶς ὑπ' αὐτῶν χειμάδιόν τε ἐν αὐτῇ κατεσκευάσατο καὶ ἐκεῖθεν ὁρμώμενος ἐπολέμει.* — 8 *paratos se esse*] 92, 1 se paratos esse . . reservare; Caes. 2, 3, 3 se paratos esse imperata facere, ad quorum locorum similitudinem pronomen addidimus. — *quae imperasset f.*] 33, 1 quaecunque imperasset facturos; b. Alex. 69, 2 (= Pol.) facturum omnia quae imperata essent; Asin. Cic. epist. 10, 32, 5 quodcunque imperassetis facturum; Sall. Iug. 46, 5 omnia quae imperarentur facere; Cic. Verr. 2, 172 facturos se si quid (= quicquid) imperasset: Caesar constanter, id est XIV locis, imperata facere. — 9 *Ruspinam*] Plin. n. h. 5, 25 R. oppidum liberum; 15, 82. Strabo p. 831 *Καῖσαρ Σκιπίωνα πρὸς Ῥουσπίνῳ πρῶτον νικῶν.* Cassius Dio 42, 58, 4 *πόλιν Ῥούσπινα.* Hodie Monastir. Cf. Göler, Das Treffen bei Ruspina. 1855. Stoffel II 282. Tissot Reinach II 165: 'La distance totale de Ruspina à Hadrumète est de 120 stades.' ibid. 727 sq.

7. Inde *postero die* movit et pervenit ad oppidum Leptim, 1
liberam civitatem et inmunem. Legati ex oppido [obviam]
veniunt, libenter se omnia facturos, quae vellet, pollicentur. 2
Itaque centurionibus ad portas [oppidi] et custodiis inpositis,
ne quis miles [in oppidum] introiret aut iniuriam faceret
cuipiam incolae, non longe ab oppido secundum litus facit
castra. Eodemque naves onerariae et longae nonnullae casu 3
advenerunt; reliquae, ut est nuntiatum, incertae locorum
Uticam [versus] petere visae sunt. Interim Caesar a mari 4
non digredi neque mediterranea petere propter navium erro-

1 **postero die*] *addidit Novák* ‖ Leptim *AD;* leptī *LPF;* Leptin *Nipperd. Kran. Dint.* ‖ 2 *[obviam] veniunt: veniunt *L*; veniunt obviam *D* ‖ 3 pollicerentur *LP* ‖ 4 *[oppidi] *inclusimus: inverso ordine* oppidi portas *L* ‖ 5 *[in oppidum] *inclusimus* ‖ 6 cuiquam *L* ‖ 8 *est *L;* est ei *R* ‖ 9 [versus] *inclusimus*

7. 1 *postero die*] ut 75, 2. Cf. 19, 4 post diem VI. — *movit*] hoc uno loco non addito obiecto castra. — *Leptim*] Intellegitur Leptis minor, *Λέπτις ἡ μικρά*, Lepti (punice לבת, Lebta) in nummis, Lepte minus in tabula Peutingeriana, altera Lepte in codice Iustinianeo; hodie Lamta. Tissot-Reinach II 169 sq. Plin. n. h. 5, 25 oppida libera Leptis, Hadrumetum, Ruspina, Thapsus. — 2 *inmunem*] olim singula in dies talenta vectigal Carthaginiensibus dedisse auctor est Livius 34, 62, 3. — [*obviam*] rectius omittitur, quia Caesari, cum ad oppidum pervenisset, non poterant legati obviam venire. Cf. 6, 7. — 3 *quae vellet*] Haec verba nec omnium codicum fide comprobata nec prorsus necessaria tuenda potius collato b. Alex. 69, 2 facturum omnia Pharnacen, quae imperata essent. Cf. 6, 7. — 4 [*oppidi*] explicandi causa additum esse ipsa codicum discrepantia monet ut statuamus; praeterea neque loco simillimo 88, 7 (omnibus portis custodias ponit) genetivum addidit Asinius et oppidi nomen intra paucos versiculos quinquiens positum est. — 6 *secundum litus*] Cf. ad 1, 1. Spe potiundi Adrumeto deiecto Caesari alia oppida marituma occupanda erant, ut naves tempestate dispersae tuto ad eum pervenire possent. — *facit castra*] sex locis belli Africi, apud Caesarem inverso ordine 'castra facere'. Landgraf p. 57. — 7 *nonnullae*] quibus ita auctae sunt Caesaris copiae, ut qui prope Adrumetum non amplius tria milia peditum exposuisset, iam viginti tres cohortes (9, 1. 10, 1) haberet. — 8 *ut est nuntiatum*] Cf. ad 4, 4. — *incertae locorum*] 21, 3: ex sermone poetarum petitum. Ennius trag. 351 summarum rerum incerti; Ovid. trist. 3, 3, 3 i. salutis; secutus est Livius 9, 43, 4 incerti rerum omnium, et passim. — 9 *Uticam petere*] Sic de navigantibus 2, 2 insulam p. Paconiam; 3, 4 certum locum; 96, 1 Hispaniam; Caes. II 7, 2; Cic. Planc. 97 Dyrrhachium. Quod cum grammaticus interpretaretur: Uticam versus navigare vel cursum habere, pars glossematis ipsis Asinii verbis inserta est. Fecerat autem Uticam Scipio sedem belli. — 10 *digredi*] *ἀποχωρεῖν*. In verbis compositis saepius dis, di praepositioni ab substitutum est, ut de discedendi verbo ad 6, 6 adnotavimus; abgredi (cf. abgregare) nemo umquam dixit, propterea quod assimilatione consonantium abiturum erat in aggrediendi (= adgrediendi) formam. — *mediterranea*] Livius 25, 25, 2 m. insulae; in mediterraneo Plin. n. h. 2, 204; substant. fem. gen. (la méditerranée) Florus dial. cum mediterraneam (plagam add. Ritschelius) concupissem; et ita

rem, equitatumque in navibus [omnem] continere, ut arbitror, ne agri vastarentur; aquam in naves iubet conportari. Remiges interim, qui aquatum [e navibus] exierant, subito equites Mauri neque opinantibus Caesarianis adorti multos iaculis

1 *[omnem] *inclusimus: habent hoc loco codices, nisi quod in L post* equitatumque *sup. versum additum est* ‖ 2 devastarentur *V* ‖ 3 *[e navibus] *inclusimus:* ex navibus *L* ‖ equites Mauri subito *L*

omisso substantivo (terra, regio, pars) iam priscae latinitatis scriptores dixisse colligere licet ex Paulo Fest. 123 'mediterream potius quam mediterraneam Sisenna dici putat'. Caes. 5, 12, 4 m. regiones. Adiectivi in substantivum conversi simile exemplum est: maritima, maret'ma, ital. la maremma. — 1 [*omnem*] non attinebat pronomen addere, cum Caesar illo tempore CL non amplius haberet equites: 3, 1. — *ut arbitror*] Ut satis nota sunt opinor, credo, paratactice orationi inserta ('reor' Cic. Tusc. 1, 94), ita insolens in tali sententia 'arbitror'; 'ut arbitror' Cicero, Quintilianus, cuius locutionis exempla suppeditant lexica Mergeti et Bonelli. Ceterum Mommsenus Caesarem hoc ideo fecisse suspicatur, ut ab hostium multitudine oppressus sine mora vela in altum dare posset. Neque tamen negari potest hoc quoque fuisse Caesaris consilium, ut clementia tam Romanorum quam Afrorum animos sibi conciliaret. — 3 *aquatum . . exierant*] Cato orig. apud Non. p. 208 aquatum ire; Sall. Iug. 93, 2 castris aquatum egressus; infra b. Afr. frumentatum ter; ecflagitatum 22, 5. Quae quo magis frequentata erant in sermone castrensi, eo magis Caesarem monendum est admisisse quidem frumentatum et pabulatum, ab aliis vero, cuius generis sunt aquatum, exploratum, lignatum, praedatum (b. Alex. 10, 2?) consulto abstinuisse. Caes. I 81, 4 aquandi causa egredi e castris; ibid. ad aquam copias educunt; Alex. 10, 2 aquandi causa remiges exponere. (Val. Max. 9, 6, 1 aquam petitum egredi.) Caes. III 76, 1 per causam pabulandi; ibid. 3 lignandi pabulandique causa progrediebantur; I 14, 3 hibernorum causa (= hiemandi causa, hiematum). Sic Asinius infra 24, 2 pabulandi aut aquandi gratia (ad 68, 1). Cum enim paucas ad modum supinorum formas in usu esse videret idemque nollet accusativos supinis subicere, praetulit gerundivi (gerundii) formam, I 18, 1 ad explorandum locum; II 24, 2 ad exploranda castra; III 38, 2 ad explorandum iter. Idem fere de Livio dicendum est. Cf. Richter, De supinis linguae latinae, I. II. III. IV. V. Progr. Regimont. 1856—1860. — [*e navibus*] haec a ludi magistro addita esse ipsa praepositionis forma indicat, quia Asinius scripsit 'ex navibus' 20, 1. 34, 6, ut ex nausia 18, 4. — 4 *neque opinantibus*] 66, 1 neque opinantes insidiatores; b. Alex. (Polio) 63, 5 neque opinantibus omnibus. Haec forma illis temporibus novata; apud Terentium Heaut. 186 et auctorem belli Hisp. necopinans, apud Caesarem inopinans, aliis necopinus et inopinus, quae omnia Cicero consulto evitavit. Cf. Mus. Rhen. 37, 101 sq. — *Caesarianis*] Hoc vocabulo novicio auctores belli Alex. 59, 1 et b. Hisp. 34, 1 non usi sunt nisi iniecta simul Pompeianorum mentione; apud Asinium et substantivi et adiectivi loco fungitur, cum 'Iulianus' plerumque adiectivi munus sustineat. Scilicet ducebantur temporibus rei publicae liberae ab Africa et Sulla Africanus, Sullanus, a Tullio Tullianus, a substantivis tertiae declinationis in -o, -onis exeuntium Milonianus, Neronianus (quamquam Cic. ad Attic. 15, 26, 4 maluit scribere Tullianum caput quam Ciceronianum), non item a substantivis tertiae declinationis in -r finitorum, veluti a Caesare et praetore Caesarianus

convulnerarunt, nonnullos interfecerunt. Latent enim in insidiis cum equis in convallibus, ut subito existant, non ut in campo comminus depugnent. 6

8. Caesar interim in Sardiniam nuntios cum litteris et 1
in reliquas provincias finitimas dimisit, ut sibi auxilia, commeatus, frumentum, simulatque litteras legissent, mittenda curarent. Exoneratis partim navibus longis Rabirium Postumum

1 in *om. L* ‖ 2 *in convallibus *L;* in convalles *P;* inter convalles *R* ‖ *ut subito existant *Em. Hoffmann;* et subito existunt *O* ‖ 6 frumentum mitterent qui simulatque *L* ‖ 7 *Exoneratis *nos:* ex onerariis *L;* exoneratisque *R* ‖ Postumum *LFV;* Postumium *R*

---

et praetorianus. Bello autem civili exorto, cum, qui a Caesaris partibus starent, proprie dicendi essent Iuliani, Caesariani quoque vulgo dici coepti sunt, quia alterius ducis praevaluit cognomen. Cf. Schnorr in Arch. lexic. lat. I 177 seqq. — *adorti*] hoc verbo Polio quattuordecim locis, aggrediendi ne uno quidem, Sallustius contra illo nusquam, hoc viciens quater, Caesar denique utroque promiscue usus est. — *iaculis*] vocabulum ab Asinio constanter de Numidis dictum. — 2 *in convallibus*] Convallis cum significet vallem cum declivitate montium dextra sinistra adsurgentium, nulla re a nomine simplici differt, nisi quod maiore vi dictum est ideoque in sermone vulgari praevaluit; ita factum est, ut Asinius quinquies, auctor belli Hispaniensis quater eo uteretur, uterque autem, quod maius est, substantivo vallis abstineret. Infra 66, 1 insidiatores in convallibus latentes; 50, 1; Caes. 3, 20, 4 quas in convalle in insidiis conlocaverat; 5, 32, 2. Aliter Livius 26, 10, 6 de Numidis: nullos aptiores inter convalles tectaque hortorum et cavas undique vias ad pugnandum futuros rati. — *ut subito existant*] 69, 1 cum equitatu ex collibus primis existunt (69, 4 ex proximis collibus erumpunt), ut apud Graecos ἐξίστασθαι, praesertim de insidiantibus. Hunc verbi usum primus induxisse videtur Polio, post eum adsciverunt Livius (25, 21, 3 qui signo dato simul omnes e latebris existerent) et Curtius. Caesar III 37, 5 ex insidiis consurrexerunt. Tac. hist. 2, 24 donec insidiae (= insidiantes) coorerentur. Supplendum autem in enuntiato primario *ita,* unde haec efficitur sententia: 'insidiandi rationem eam esse, ut . . existant quidem, non autem . . depugnent. Cf. 17, 1 et ad 47, 3. Varro r. rust. 1, 2, 6 non arboribus consita Italia, ut tota pomarium videatur? — *non ut*] Cf. vix ut, prorsus ut, omnes ut. Infra ad 88, 6 et Arch. lex. lat. IV 618 sq. — 3 *c. depugnent*] hoc loco = pugnent, ut 29, 1 minutis proeliis inter se depugnare; 45, 3 pro cuius dignitate triciens depugnavi; Caesar 1, 52, 4. 7, 50, 1. I 58, 4. II 6, 3 comminus pugnare. Maiore vi dicitur de certamine singulari 94, 1; de gladiatoribus Asinius apud Cic. epist. 10, 32, 3.

8. 4 *nuntios cum litteris*] 20, 3; 26, 4 litteras nuntiumque et similiter apud Caesarem; opponuntur nuntii (litterae) cum mandatis (mündliche Aufträge) 55, 1. Asinius ap. Cic. ep. 10, 33, 4 haec mihi scribuntur et nuntiantur. — 7 *exoneratis*] Plaut. Stich. 531 hodiene exoneremus navem? Falso autem edebatur 'exoneratisque', quia Rabirii expeditio non cum nuntiis in Sardiniam missis cohaeret, sed cum iis, quae § 2 et 3 narrantur (dimisit, mittit, iubet, iubet). — *partim*] magna ex parte, nisi excidit: partim onerariis. — *Rabirium Postumum*] eques Romanus, anno urbis c. septingentesimo a Cicerone defensus. Cf. Suet. div. Iul. 12 et infra 26, 3.

in Siciliam ad secundum commeatum arcessendum mittit.
2 Interim . . . . . cum decem navibus longis ad reliquas [naves
onerarias] conquirendas, quae deerrassent, et simul mare
3 tuendum ab hostibus iubet proficisci. Item C. Salustium
Crispum praetorem ad Cercinam insulam versus, quam adversarii
tenebant, cum parte navium ire iubet, quod ibi
4 magnum numerum frumenti esse audiebat. Haec ita imperabat
unicuique, ita praecipiebat, uti fieri possent neque
locum excusatio nullum haberet nec moram tergiversatio.
5 Ipse interea ex perfugis et incolis cognitis condicionibus
Scipionis, et qui cum eo bellum contra se gerebant, mirari —

2 decem *A hoc loco et 86, 1* || *[naves onerarias] *inclusimus* || 3 requirendas *L* || 4 Salustium *ALFVD;* Sallustium *R* || 5 scripum *A* || cerinam *LPF;* celerinam *A* || 7 frumentum *P* || 8 uti] ut si *AD corr.* || possent *Kraner:* posse *O* (uti fieri non posse *Nipp.*) || neque *D corr.;* necne *O* || 9 *nullum *ALP et meliores;* ullum *D corr.* || 10 profugis *LF* || 11 segregabat *A* || *mirari *Novák:* miserari *O*

---

1 *secundum commeatum*] reliquas veteranorum maxime legiones nondum collectas, cum Caesar naves solveret. 2, 3. 34, 4. || *arcessendum*] Cf. ad 12, 2. || 2 *Interim*] Aut excidit aut latet in ipsa particula accusativus nominis proprii; nam 'unicuique' § 4 indicio est praeter Rabirium et Salustium tertium quendam nominatum fuisse. Cf. Froehlich, p. 70. — *reliquas*] 2, 5. 3, 1. 5, 1. 7, 3. tam longas quam onerarias. — 3 *deerrassent*] 11, 4. Sall. hist. 3, 56 D. in navigando cohors a ceteris deerravit. Livius 37, 13, 1 aberrantis ex agmine navis. Plautus utriusque generis composita promiscue adhibuit, velut: deterrere de agro et absterrere de frumento. — *mare t.*] ad m. t. — 4 *Salustium*] clarissimum rerum Romanarum scriptorem Caesaris partes secutum. — 5 *ad Cercinam versus*] Plinius n. h. 5, 41 C. cum urbe eiusdem nominis libera: hodie Chercara. Similiter infra 23, 3 ad insulas Baleares versus; 37, 2. 62, 2. 80, 3. b. Hisp. 18, 5 et sic iam Caesar uno loco 6, 33 ad Oceanum versus, item Varro ac Sallustius, nusquam Cicero. Cf. Köhler, Acta Erlang. I 441. — 7 *magnum numerum frumenti*] proprie dicitur de mensura modiis acta, 21, 1. 65, 2. 97, 4. b. Gall. 8, 34, 3; opponitur frumenti vis, i. e. immensa. Sall. Iug. 92, 7. — *imperabat . . praecipiebat*] Imperantur, quae utique et statim facienda sunt, praecipiuntur ea quorum effectus ex aliis rebus adhuc incertis pendet (Verhaltungsmafsregeln erteilen). Cf. 2, 3. 3, 4. 13, 2. — 8 *fieri*] = perfici, si sana est codicum scriptura. — *neque . . nullum*] duplex negatio, quae editoribus omnibus displicuit, etsi abhorret a facundia Tulliana et Caesaris elegantia, adeo tamen ab aliis illius temporis scriptoribus non est spreta, ut eam Asinio abiudicare non ausim. Cf. Lentulus ap. Sall. Cat. 35, 3 non quin aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere non possem, quam optimorum codicum lectionem defendit H. Schnorr, Reden und Briefe bei Sallust, 1888. p. 28. Livius 43, 13, 1 non sum nescius neque nuntiari nulla prodigia neque in annales referri. 32, 26, 18. — 9 *excusatio . . moram*] Cf. 26, 3. — 11 *mirari*] ut 35, 1 mirari et requirere. Ter. Phorm. 92 nos mirarier. Caecilius Statius 193 hic gaudere et mirarier. Sall. Iug. 64, 2 itaque mirari eius consilium et monere etc. Cic. Verr. 4, 34 mirari stultitiam alii.

regium enim equitatum [Scipio] ex provincia Africa alebat —, tanta homines esse dementia, ut malint regis [esse] vectigales quam cum civibus in [patria] suis fortunis esse incolumes.

9. Caesar a. d. III. Non. Ian. castra movet; Lepti sex 1
cohortium praesidio cum Saserna relicto ipse rursus, unde
pridie venerat, Ruspinam cum reliquis copiis convertit ibique
sarcinis exercitus relictis ipse cum expedita manu proficiscitur circum villas frumentatum oppidanisque imperat, ut
plostra iumentaque omnia *se* sequantur. Itaque magno 2
numero frumenti invento Ruspinam redit. Huc eum idcirco

1 *[Scipio] *inclusimus:* scipio *sec. m. inter versus ante* alebat *L* || 2 *[esse] *om. A; del. D corr.;* esse regis *inverso ordine F V* || 3 *[patria] *inclusimus* || *suis *L;* in suis *R* || 5 ad *AL; cf. ad 1, 1* || Leptim *O* || sex *A, ut 55, 2. 90, 3;* VI *vulg.* || 8 exercitui *ALPFV* || 9 frumentumque (frumentatumque *P*) oppidanis *L* || 10 plostra *APFV;* plaustra *R* || *se] *addidimus* || 11 invento frumenti *A* || huc *Davisius:* hoc *O* || idcirco *om. A*

---

1 *provincia Africa*] cf. Mommsen, hist. Rom. V 626 sq. — *alebat*] 6, 1 equitatus missus a Iuba ad stipendium accipiendum; idem respicit quod sequitur vocabulum vectigales. — 2 *regis*] quod hoc nomen et ipsum Romanis summo odio fuit et Iuba rex omnium superbissimus. Cf. 57, 3. — 3 *incolumes*] 57, 3 usu venisse hoc civi Romano, incolumi patria fortunisque omnibus Iubae barbaro oboedientem fuisse. Cic. Sull. 61 si in omni fortuna incolumem habere non potuerunt.

9. 6 *cum Saserna*] ut 29, 2; 57, 1 cum C. Saserna, quia opponitur M. Aquino. — 7 *Ruspinam*] Aucto militum numero (7, 3) vires iam duobus oppidis obtinendis sufficiebant. 'R. était, de toutes les villes maritimes que l'ennemi n'occupait pas, la moins éloignée de la Sicile. Elle s'élevait à l'extrémité d'un vaste promontoire dominant la mer de 20 à 25 mètres, du haut duquel la vue s'étendait au loin et jusqu'à Hadrumetum, du côté par où les convois devaient arriver.' Stoffel II 116. — *convertit*] absol. = se convertit (27, 1. 83, 2) aut = iter convertit (Caes. 7, 56, 2) quod substantivum post 'convertit' excidere poterat. — 8 *sarc. relictis*] Stoffel II 289: De tous les camps occupés par les armées de César, il n'en est pas de comparable à celui de Ruspina sous le rapport de la force des ouvrages et des défenses, qui y furent accumulées. — 9 *villas*] cf. ad 65, 1. Nomen, quo iam Fannius et Sisenna usi sunt, videtur esse deminutivum = vicla, ut pauculus, pauclus, paullus. De mutato genere cf. Arch. lex. lat. IV 180 sqq. Varro ling. lat. 5, 35 qua vehebant, viae dictae, quo fructus convehebant, villae; id. r. rust. 1, 2, 14 vellam non villam (rustici appellant), quo vehunt et unde vehunt. Fortasse ad femininam deminutivi formam confugiebant, ne villus confunderetur cum villus, villi, masc. (= pilus) aut cum vellus, eris, n. — 10 *plostra*] forma vulgaris pro plaustrum 21, 2. 75, 3; cf. Köhler, Act. Erlang. I 371. — *se sequantur*] addidimus pronomen coll. 12, 2 iubet equitatum se consequi; 37, 2 iubet legiones se consequi; 66, 1 imperat legiones se veteranas sequi; 63, 1.

existimo se recepisse, ut maritima oppida post se ne vacua relinqueret praesidioque firmata classi receptacula muniret.

1 **10.** Itaque ibi relicto P. Saserna, fratre eius, quem Lepti proximo oppido reliquerat, cum legione, iubet conportari ligna in oppidum quam plurima; ipse cum cohortibus VII, quae ex veteranis legionibus in classe cum Sulpicio et Vatinio rem gesserant, ex oppido Ruspina egressus proficiscitur ad portum, qui abest ab oppido milia pass. duo, ibique classem

1 **se recepisse*] recepisse *O;* recepisse se *Gemoll* ‖ maritima *O* 2 *classi] ad classi *AU;* ad classim *LP*; ad classem *V* ‖ 3 serserna *A;* seserna *LPUFV* ‖ fratri *A* ‖ eius] suo *L* ‖ 4 leptim *O* ‖ 8 ab *om. A* ‖ pass. *ALPUF*

---

1 *se recepisse*] necessarium esse pronomen reflexivum probabit index verborum; vulgo: haec (scil. frumentum et plostra) recepisse, quod ideo perversum, quia plostrorum multitudo non praesidii loco esse poterat. Simili modo se excidit ante reficere 34, 6, quod ex similitudine litterarum r et ſ explicatur. — *ut . . ne*] admodum frequens apud scriptores priscos, Ennium, Plautum, Terentium, Varronem, quamquam ne Ciceronem quidem formulam anxie fugisse constat. Cf. Gust. Landgraf ad Cic. or. pro Roscio Amer. 20, 55 pag. 241. Caes. III 56, 1. Livius 34, 17, 8. — *vacua*] a defensoribus (62, 4. 5) vel, ut ipse Asinius explicat, praesidio firmata. — 2 *classi*] Cic. Verr. 2, 3 nisi receptaculum classibus pateret; Livius 41, 23, 2 fugientibus rec. Macedonia. Cum autem dativus 'classi' congrueret cum ablativi forma, quam probaverant Coelius Antipater et Sisenna, grammaticus quidam, qui in sermone vulgari praepositionem ad dativo substitui posse sciret, explicandi causa 'ad classim' suprascripsisse videtur. Ceterum ipsum Asinium scripsisse 'ad classim' non prorsus incredibile est; cf. Caes. 7, 85 utrisque ad animum occurrit. Publilius Syrus 192 fortuna ad hominem plus quam consilium valet. Vitr. 4, 1, 6 ad onus ferendum essent idoneae; 6, 1, 5 ad parandam pecuniam dedi studium; 10, 2, 14 ad solvendum non esse. Sed ita codicum auctoritate utendum esse videbatur, non ut Asinium iusto sordidiorem redderemus, sed ut sui similiorem. — *muniret*] Digna est, quae legentibus proponatur, Novakii coniectura: haberet; scilicet cum grammaticus quidam 'firmata haberet' uno muniendi verbo interpretaretur, quod saepius factum esse videmus, alterum pristinae scripturae verbum a librariis servatum, alterum glossemate recepto deturbatum est.

10. 4 *Lepti proximo oppido*] Ne quis codicum scriptura 'Leptim' abusus emendandum esse putet 'Lepti, in pr. o.', quod non minus recte dictum esset quam 'Neapoli, in celeberrimo oppido' (Cic. p. Rab. Post. 10), monendum cap. 9 quoque in codicibus per errorem scriptum esse 'Leptim' pro Lepti, et Asinium praepositionem omisisse 28, 1: Thapsi, oppido maritumo. — 6 *cum Sulpicio*] Intellegendus P. Sulpicius Rufus, legatus Caesaris in Gallia (b. Gall. 4, 22. 7, 90) et bello etiam civili eius causam secutus (b. civ. I 74. III 101), ut ex hoc loco colligitur, una cum Vatinio in Illyriam missus erat. De praepositione cf. ad 56, 3. — *Vatinio*] P. Vatinio, homine in quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii (Vell. 2, 69), a Cicerone et conciso (Cic. Q. fr. 2, 4, 1) et paullo post urgente Caesare defenso. Cum in Gallia Caesaris legatus fuisset (b. Gall. 8, 46) et

sub vesperum cum ea copia conscendit. Omnibus in exercitu 2
insciis et requirentibus imperatoris consilium, magno metu
ac tristimonia sollicitabantur. Parva enim cum copia et ea 3
tironum, neque omni exposita, in Africa contra magnas co-
pias et insidiosae nationis equitatumque innumerabilem se
expositos videbant, nec quicquam solatii in praesentia neque
auxilii [in suo consilio] animum advertebant, nisi in ipsius

6 *nec *L ut 82, 4;* neque *R* ‖ solatium *A* ‖ 7 *auxilii *L;* auxilium *R* ‖ *[in suo consilio] *nos:* in suorum consilio *O*

---

bello civili (III 19. 100) Brundisium defendisset, in Illyriam missus prospere pugnavit contra Octavium (b. Alex. 44 sq.). Eius epistolae apud Cic. epist. 5, 9. 10. — 1 *sub vesperum*] 52, 1. 73, 4; item ap. Caesarem: vesperam ex Sallustio adnotavit Charisius p. 223, 27 K. — *cum ea copia*] = cum iis copiis; § 3 parva cum c. contra magnas copias; 38, 3 pedestrem copiam (ut b. Hisp. 6, 4); 80, 4 cum expedita c. Similiter Sallustius hist. inc. 35 D. tam levi c. (cum l. c. ?); Tac. an. 2, 52 cum levi c.; Pompeius ap. Cic. epist. Att. 8, 12[a], 1. 3. 4; 8, 12[c], 1. 2 cum (ea, hac, ista, omni) c. Caesar aliique scriptores, qui hunc usum ignorant, substantivis manus (sic ipse Asinius 9, 1 cum expedita manu; 71, 2 etc.) aut armatura (quinquiens ap. Asinium levis a.) utuntur. — *Omnibus insciis . . sollicitabantur*] Constructio in oratione elegantiore non ferenda, si quidem qui ignari sunt Caesaris consilii iidem sunt cum iis qui sollicitantur; excusatur tamen ea re, quod iam Plautus sermonis vulgaris licentiam secutus Mil. 559 scripsit: si ego me sciente paterer. Minus horridam verborum compositionem habes 2, 1 (legionibus . . quaeque legio), magis etiam vituperandam, sed a nobis correctam 18, 2 (hostes suis firmatis). Cf. ad 15, 3. 18, 5. Ceterum Cato (r. rust. 5, 4 insciente domino) et Caesar 1, 19, 1. 5, 7, 5 participii forma utuntur, item Cicero, etsi non omnibus, plurimis tamen locis; adiectivo Asinius infra 37, 2: omnibus insciis. Livius modo veterum usum retinuit, modo novum arripuit. — 2 *magno metu ac tristimonia*] De genere adiectivi cf. ad 5, 1. 57, 4. Antiquissimis linguae latinae substantivis adnumeranda sunt, quae in -monia finiuntur: quorum caerimonia ductum est a nomine cerus = creator, in carmine Saliorum servato; plurima ab adiectivis secundae ac tertiae declinationis, acrimonia (Naev., Cato, Accius, Cornif.), aegrimonia (Plaut.), castimonia (Cic.), falsimonia (Plaut.), sanctimonia (Cornif.), tristimonia Novius, Asinius); nonnulla a verbis, scilicet alimonia (Varro, Apul., Gell.), parsimonia (Plaut.), querimonia (Plaut.). Neutra eiusdem generis excepto alimonio (Varr.) sunt posterioris latinitatis, tristimonium Petronii, castimonium Apulei, aegrimonium et sanctimonium scriptorum ecclesiasticorum, parsimonium inscriptionum (Corp. inscr. VIII 152, 2), caerimonium denique glossariorum. Quare Naevii fabulae praetextae, quae plerumque inscribitur Romulus sive Lupus, potius alterum 'Alimonia' titulum fuisse credibile est quam 'Alimonium'. Cf. Donat. in Ter. Ad. 4, 1, 21. Trieber, die Romulussage, Mus. Rhen. 43, 569, adnot. 2. — 3 *copia*] i. e. sex legionibus, quarum quinque erant tironum 1, 5. 2, 1. — 4 *neque omni*] excipiuntur eae naves, de quibus dictum est 11, 1. — 5 *et insid. nat.*] = et insidiosae quidem nationis, ut 6, 5 paucis et veteranis cohortibus. — 7 *auxilii*] oppos. solatii, ut apud Quintilianum 9, 3, 79 non praesidio, tamen solatio. — [*in suo consilio*] glossema ortum ex § 4 in eius consilio.

imperatoris vultu, vigore mirabilique hilaritate: animum enim
4 altum et erectum [prae se] gerebat. Hic adquiescebant [ho-
mines] et in eius scientia et consilio omnia sibi proclivia
omnes fore sperabant.

1 **11.** Caesar una nocte in navibus consumpta iam caelo
albente cum proficisci conaretur, subito navium pars, de qua
2 timebat, ex errore eodem conferebatur. Hac re cognita Caesar

1 vultus *L;* vulgu *P* ‖ 2 *[prae se] *inclusimus* (praesagerebat *L*) ‖ *hic *APV;* huic *R* ‖ *[homines] *inclusimus;* omnes *LV*

---

1 *hilaritate*] non adeo fuit Asinius sermonis prisci amator, ut saeculo suo obtruderet vocabula qualia sunt: hilaritudo, claritudo, acerbitudo, celeritudo, necessitudo, sed praetulit formas in -as, -atis exeuntes. — 2 [*prae se*] *gerebat*] locutio, quae nullo simili exemplo defendi possit. Dicuntur enim homines animum virilem, fortem, mitem, adversus divitias invictum, mixtum gaudio et metu etc. gerere, item praesertim apud poetas ingenium callidum, ferum pectus, pectora secura, mentem sollicitam, corda diversa et id genus alia; dicuntur iidem laetitiam, dolorem, odium prae se ferre et quae his sunt similia; nusquam autem neque animum prae se gerere neque animum prae se ferre. Ut autem illud est 'habere aliquid, aliqua re instructum esse', hoc 'animi affectum vultu significare', ita hoc loco scriptor hilaritatis in vultu conspicuae hanc addit causam, quod Caesar suis rebus confidebat, idque nemo certius affirmare poterat quam Asinius, quippe qui Caesari esset proximus. In magno igitur versantur errore Draeger aliique, qui hoc loco freti prae se gerere eodem sensu dici putant quo prae se ferre. — *hic*] scil. in vultu vigore hilaritate, non in animo, quippe qui oculis cerni non possit. Cf. Cic. Deiot. 5 in tuo ore voltuque acquiesco. 'Huic' si Asinius ad Caesarem relatum voluisset, scripsisset potius 'et in huius scientia'; vultum autem intellegendum esse ideo statuere non licet, quia praeterquam quod adquiescere alicui rei nemo ante Senecam philosophum (epist. 24, 1) dixisse videtur, plurali *his* opus erat. — *adquiescebant*] iidem qui (§ 2) metu sollicitabantur. Quod vulgo additur 'homines' aut interpolatori debetur, aut, si librarii socordiae tribuas, cum L reponendum 'omnes'; melius tamen id pronomen alteri enuntiato reservandum esse existimavimus, ut sententia geminatione vocabuli argute exiret. Cic. har. resp. 12 meam domum omni religione una mente omnes liberaverunt; id. sen. grat. 24 omnes ex omnibus oppidis cives excitare. B. Afr. 58, 1 universas omnium copias. — 3 *proclivia*] prona, facilia. Sall. Iug. 114, 2 omnia suae virtuti prona esse.

11. 5 *caelo albente*] 80, 3 et b. civ. I 68, 1 (= Asinius P.), praeeunte Sisenna fragm. 103 P. (= Quintil. 8, 3, 35); Paulus Dig. 28, 2, 25, 1 albescente caelo, ad exemplum Vergilii Aen. 4, 586 ut primum albescere lucem Vidit. — 6 *pars*] cf. 1, 5 et 7, 3. Ex verbo 'reliquos' (§ 2) autem colligitur Caesarem sex legiones habuisse et duo milia equitum. — *de qua timebat*] Cic. Att. 7, 6, 1 de re p. valde timeo; Caes. 5, 57, 2 de periculo. — 7 *e. conferebatur*] de navibus; ut Plaut. Bacch. 797 pulchre haec confertur ratis; infra 63, 4 naves in cothonem se contulerant. Caesar utitur verbo conveniendi. — *Hac re cognita*] ut 12, 2. 31, 1. 33, 3. 55, 2. 65, 3. Sprevit Asinius (praeter unum locum 62, 5) cum Cicerone ac Sallustio illum verborum ordinem Caesari, Livio, aliis frequentatum, quo subiectum enuntiati

celeriter de navibus imperat omnes egredi atque in litore
armatos reliquos advenientes milites expectare. Itaque sine 3
mora navibus [eis] in portum receptis et advectis militum
equitum copiis rursus ad [oppidum] Ruspinam redit atque
ibi castris constitutis ipse cum cohortibus expeditis XXX
frumentatum est profectus. Ex eo cognitum est Caesaris 4
consilium, illum cum classe navibus [onerariis], quae de-
errassent, subsidio ire clam [hostibus] voluisse, ne casu in-
prudentes [suae naves] in classem adversariorum inciderent,
neque eam rem eos voluisse scire, qui in praesidiis relicti

2 advenientis *Nipperd. Dinter Kraner* ‖ 3 *[eis] *inclusimus* ‖ 4 *equitum] equitatum *A;* equitatumque *L V;* equitumque *R* ‖ *[oppidum] *om. L* ‖ 6 *cognitum est *A (cf. 19, 2):* est cognitum *R* ‖ Caesaris] regis *A* ‖ 7 *[onerariis] *inclusimus* ‖ 8 *[hostibus] *om. L* ‖ 9 *[suae naves] *inclusimus* ‖ 10 qui *om. P V; hic et iterum ante* relicti *L*

---

primarii ablativa absoluto inseritur, veluti Caes. 2, 11, 2 hac re statim Caesar per speculatores cognita; Plancus ap. Cic. epist. 10, 15, 2 quibus rebus ego cognitis cunctatus non sum. — 1 *de navibus . . egredi*] 34, 6 ex navibus egressos, ut quater ap. Caesarem, b. Alex. 20, 3. 4. Sed in sermone vulgari saepius *de* in locum praepositionis *ex* successit, veluti in formulis de manibus elabi, emittere, extorquere, ipsi Ciceroni probatis; in linguis autem Italorum, Francogallorum etc. victrix illa hanc prorsus extinxit. — 3 *navibus*] pronomen eis vel hanc ob causam delendum erat, quod nusquam substantivo ab Asinio postpositum est. — *advectis*] idem fere quod expositis. — *militum*] = peditum. Caes. 5, 10, 1 milites equitesque. Sall. Iug. 65, 4. Hinc asyndeton 'militum equitum' eodem iure excusandum, quo apud Sall. Iug. 97, 5 equites pedites permixti (sic scr. cum aliquot optimae familiae codicibus), apud Livium 25, 6, 20 peditum equitum acies concurrunt; 27, 13, 9 ut omnes, equites pedites, armati adessent; 40, 44, 3. Cf. infra 18, 5 cohortes turmas et ad 83, 2. — 4 *rursus . . redit*] pleonasmi quoddam genus, quoniam non agitur de altero reditu: 32, 2. 76, 2; rursus se recipere 25, 5. 33, 5. 63, 5. 85, 2; rursus renovare 14, 3. 18, 2. — 5 *castris*] Statuendum est decem cohortes quas Caesar praesidii causa Ruspinae collocaverat (10, 1) in ipso oppido egisse; sed adventu navium numerus copiarum ita auctus erat, ut oppidum tantae multitudini non sufficeret. Cf. 20, 1. — *cohortibus e. XXX*] i. e. dimidia parte exercitus. — 6 *frumentatum est profectus*] ipso die, quo naves appulerant. Plut. Caes. 52 *ἦν γὰρ οὔτε σῖτος τοῖς ἀνδράσιν ἄφθονος οὔτε ὑποζυγίοις χιλός, ἀλλὰ βρύοις ἠναγκάζοντο θαλαττίοις, ἀποπλυθείσης τῆς ἁλμυρίδος, ὀλίγην ἄγρωστιν ὥσπερ ἥδυσμα παραμιγνύντες ἐπάγειν τοὺς ἵππους.* Cassius Dio 43, 2, 1 *τὸν Καίσαρα πρὸς κώμας ἐπὶ σῖτον ἐξεληλυθότα.* — 7 *navibus*] longis et onerariis, quia et pedites et equites (§ 3) vehebant. — 8 *clam*] adverbii munere fungitur 65, 1. 88, 3. 93, 1 ut constanter apud Ciceronem; cum accusativo coniungitur a scriptoribus priscae latinitatis, cum ablativo a Caesare (Asinio?) b. civ. II 32, 8 clam vobis, si sana est librorum scriptura. Cf. Plut. Caes. 52 *λαθὼν ἀνήχθη πάλιν ὑπὲρ τῆς μείζονος ὀρρωδῶν δυνάμεως.* — *inprudentes naves*] adiectivum de hominibus (53) poetarum more in res translatum. — 10 *in praesidiis*] Ruspinae et Lepti.

[sui milites] fuissent, ne propter suorum paucitatem et hostium multitudinem [metu] deficerent.

1 **12.** Interim, cum iam Caesar progressus esset a castris circiter milia pass. III, per speculatores et antecessores [equites] nuntiatur ei, copias hostium haud longe ab sese visas. Et hercules cum eo nuntio pulvis ingens conspici coeptus
2 est. Hac re cognita Caesar celeriter iubet equitatum universum, cuius copiam habuit in praesentia [non magnam], et sagittarios [quorum parvus numerus] ex castris arcessi,

1 *[sui milites] *inclusimus;* milites *A* ‖ *ne *corrector archetypi codicis A, in quo est* ne nihil (*id est* $\overset{\text{ne}}{\text{nihil}}$); nihil *LPV;* ne hi *Nipperdeius* ‖ 2 *[metu] *inclusimus* ‖ 3 cum Caesar iam *LD* ‖ 4 spiculatores *L* ‖ *[equites] *inclusimus* ‖ 5 ei] et *A* ‖ 6 *hercules] hercule *O* ‖ 8 *[non magnam] *om. L;* non magnum *AUD* ‖ 9 *[quorum parvus numerus] ex castris *nos:* q. p. ex c. n. *AV*; q. p. ex c. exierat n. *UFD* ‖ *arcessi *AUF;* arcessiri *R;* arcessit *D corr.*

1 [*sui milites*] ab eodem grammatico adscripta esse patet, qui supra addidit [suae naves]. — 2 [*metu*] *deficerent*] si re vera scripsit Asinius, quod tamen vix adducor ut credam, per brevitatem dictum esset pro: animo deficerent et metu afficerentur. Caes. II 31, 8 neque tanti timoris (sum), ut deficiam.

12. 3 *cum iam*] 69, 4 cum iam Caesar existimasset; 39, 2. 42, 1. 52, 1. 70, 1. — 4 *speculatores*] Caesar 5, 49, 8 speculatoribus in omnes partes dimissis e x p l o r a t, quo commodissime itinere vallem transire possit. Hinc apud Caesarem et Hirtium frequens exploratorum mentio, nulla in bellis Africano et Hispaniensi, quorum auctores in uno speculatorum nomine acquiescunt. — *antecessores*] Caesari antecursores, apud Livium praecursores; 'equites' inclusimus, quia neque antecessor neque speculator adiectivi munere fungitur. — 5 *haud longe*] 30, 2. 48, 2 haud ita longe; 48, 5 haud ita diu; similiter apud Cornelium Nepotem: contra ea Caesar hac particula semel omnino usus est 5, 54, 5 in formula 'haud scio'. Cf. Herm. Planer, De haud et haudquaquam negationum usu (1886) p. 10, et supra ad 2, 6. — 6 *et hercules*] Asinius ap. Cic. epist 10, 33, 3 et hercules..collocaram; nusquam apud Caesarem, Hirtium, auctorem belli Hispaniensis. Cf. ad 16, 1 mehercules. — 8 *cuius copiam habuit*] „über die er im Augenblicke verfügen konnte", ut 43 frumento, cuius in castris copiam habuerat, incenso, nec multum abit, quod Sallustius scripsit de Boccho Iug. 111, 1 quoniam copiam Iugurthae haberet. Profectus autem erat Caesar cum paucis equitibus, id est antecessoribus, quia nullo de hostium adventu nuntio accepto nihil nisi frumentationem mente agitabat; accedebat, quod plerique equites longa iactatione maritima ita essent impares itineri proelioque, ut Caesar eos in castris prope Ruspinam relinquendos esse existimaret. (Cass. Dio 53, 2 τὴν ἵππον μηδέπω καλῶς ἐκ τῆς θαλάσσης ἐρρωμένην). Quam sententiam qui non perspexit, adscripsit verba 'non magnam', satis frigida ac molesta, quia § 3, quot fuerint equites memoratum; nec Caesar 'in praesentia' tantum parvam equitum copiam habuit, sed per totum bellum hac parte copiarum inferior fuit. — 9 *sagittarios*] centum quinquaginta, § 3: hic quoque, quod additum est 'quorum parvus numerus', eodem nomine laborat, quo glossema [non magnam];

atque ordinatim [signa] se leniter consequi; ipse antecedere cum paucis armatis. Iamque cum procul conspici hostis 3
posset, milites in campo iubet galeari et ad [eam] pugnam parari; quorum omnino numerus fuit XXX cohortium, equitum ↀCC, sagittariorum CL.

13. Hostes interim, quorum dux erat Labienus et duo 1

1 *[signa] *inclusimus* ‖ se consequi leniter *L* ‖ 2 *procul conspici hostis *A;* h. p. c. *L;* p. h. c. *R* ‖ 3 *[eam] *om. A et sic iam Aldus* ‖ 4 *equitum ↀCC *nos:* equitibus (equitum *D pr. m.*) CCCC *AL;* cum equitibus CCCC *R* ‖ 5 *sagittariorum] et sagittariorum *δ;* sagittariis *R* ‖ CL̃] ·& *A;* 7 *L*

---

praeterea desideratur aliquid, quod ad paucitatem equitum referatur, veluti 'quorum item parvus numerus'; denique numquam in talibus sententiis Asinius omisit copulam. Cf. 3, 1 cuius numerus in praesentia fuit trium milium; 3, 2 quorum numerus duarum legionum instar erat; 12, 3 quorum numerus fuit XXX cohortium; 21, 2 quorum maximus numerus fuit. — *arcessi*] hanc restituimus verbi formam et auctoritate codicis antiquissimi confirmatam et ab Asinio ipso aliis locis usurpatam, scil. supra 8, 1 arcessendum; Cic. epist. 10, 32, 4 arcessisset; ibid. 10, 33, 1 arcessistis. — 1 [*signa*] nulla sunt equitum, immo substantivum explicandi causa pronomini *se* additum: cf. 37, 2. 63, 1. 66, 1. Itaque hanc vides fuisse sententiam glossatoris: Caesar equites signa cohortium (legionum) sequi iubet. — *antecedere*] Cf. ad 82, 2 obsecrare. — 3 *galeari*] quod fiebat ante ipsam pugnam; sed excepto participio galeatus nemo praeter Asinium verbo g. usus est. Caesar 2, 21, 5 ut ad galeas induendas tempus defuerit; Tac. 12, 38 positis loricis et galeis. — 4 *parari*] concinnitatis causa propter id quod supra scriptum est galeari; se parare b. Alex. 13, 4. 6. Livius 9, 14, 1. — *omnino*] ut fere in numeris computandis, Caes. 4, 19, 4; in Dinteri editione mero typothetae errore omissum videtur. — *equitum MCC*] Quod ad rem attinet, numerus CCCC in codicibus traditus adeo non congruit cum proelio apud Ruspinam facto, ut Stoffel II 286 aut MCCCC aut MM corrigendum esse putet. Cuius sententia ut in summa re probanda est, ita numerus duum milium omnem probabilitatis modum excedit, si quidem universum Caesaris equitatum fuisse duum milium ipse Asinius tradidit 2, 1. Iam de hac summa subductis iis, qui aut ipsi defessi erant aut propter equorum languorem Caesarem sequi non poterant (cf. supra ad § 2), et cum cura perpensa codicum scriptura, in quibus aliquotiens numerus millenarius (∞) cum ЄO, CO, CC confunditur (34, 4. 38, 3. 77, 3. 80, 1), mille ducentos fere Caesari illo die praesto fuisse invenies. Ceterum orationis ea forma, quae plerisque editoribus placuit, (numerus fuit XXX cohortium cum equitibus . . sagittariis) ideo narrationi parum convenit, quia quod ut gravissimum primo et praecipuo loco positum est, XXX cohortium, iam 11, 3 dictum erat; quod autem hoc loco novum proditur de numero equitum et sagittariorum, non potest quasi appendicis loco additum esse. Denique hoc reputandum mil. pass. eq. similia, quae per compendia scribi solent, casibus non distingui.

13. 6 *dux erat*] numero singulari, quia Labieno summa imperii permissa erat absente Scipione. — *Labienus*] T. Attius Labienus, antea Caesaris in Gallia legatus, anno 706 u. c. ad partes Pompeianas transgressus et in pugna apud Mundam occisus. b. Hisp. 31, 9.

Pacidei, aciem derigunt mirabili longitudine non peditum, sed
equitum [confertam], et inter eos levis armaturae Numidas
et sagittarios pedites interposuerant et ita condensaverant,
ut procul Caesariani pedestres copias arbitrarentur; dextrum
2 ac sinistrum cornu magnis equitum copiis firmaverant. [In-
terim] Caesar aciem derigit simplicem, ut poterat, propter
paucitatem; sagittarios ante aciem constituit, equites dextro
sinistroque cornu opponit et ita praecipit, ut providerent, ne
multitudine equitatus hostium circumvenirentur: existimabat
enim acie instructa cum pedestribus copiis se dimicaturum.

1 **14.** Cum utrimque expectatio fieret neque Caesar sese
moveret et cum suorum paucitate contra magnam vim hostium
artificio magis quam viribus decernendum videret, subito ad-

1 *Pacidei *O;* Pacidii *editores* ‖ mirabili longitudine *A et rec.;* longitudinem *(omisso adiectivo) L P;* longitudine *P corr.;* mirabilem in longitudinem *Forchhammer* (*cf. 59, 2*) ‖ 2 *[confertam] *del. Novák;* consertam *L* ‖ 4 Caesareani *A* ‖ arbitraremur *A* ‖ 5 ac] a *A* equitatum *L P U F* ‖ *[Interim] *inclusimus* ‖ 6 ut poterat *L pr. m. in rasura* ‖ 8 cōponit *A* ‖ 10 se *et hoc loco et ante* enim *A; post* enim *R* ‖ 11 sese moveret *Lipsius:* se removeret *O*

---

1 *Pacidei*] quorum alterum occisum esse legimus 78, 10. De forma nominativi plur. cf. 28, 2 Titi et quae adnotavimus ad 32, 3 de genetivis veluti Mari. De nomine cf. Pacideianus apud Lucilium Ciceronem, Horatium. — *mirabili longitudine*] magnopere gaudet Asinius vocabulis mirabilis, mirificus, mirifice, quibus Caesar ne uno quidem loco usus est; nam 'mirificis operibus' (b. c. III 112, 1) ab Asinio scriptum esse docuit Landgraf p. 82. Cf. 88, 5. — 2 *confertam*] suspicionem movet, quia ubique cum ablativo (instrumentali) coniungitur, non cum genetivo; sin autem appositionis loco additum esse statuas (aciem derigunt . . et confertam quidem), id ipsum insequenti enuntiato (condensaverant) expressum est; quare grammaticus adscripto hoc vocabulo id monere voluit aciem condensatam dici quoque posse confertam. — 3 *interposuerant*] primum levis armaturae pedites equitum alis intermiscuerant, tum demum in aciem producebant. — 4 *arbitrarentur*] infinitivo (esse) non addito, ut 35, 2 quos arbitrabantur suis rebus amicissimos; b. Alex. 17, 3: quare non opus est coniectura: pedestres *esse* copias a. 'arbitraremur' ut optime conveniret Asinio testi pugnae oculato, praesertim deleto 'Caesariani', ita reiciendum est, quia scriptor commentarii nusquam se ipsum bello interfuisse disertis verbis prodidit. — 5 [*Interim*] Frangitur vis oppositionis (hostes interim aciem derigunt . . Caesar aciem derigit) repetita particula temporali, qua legentes in eum errorem inducuntur, ut Caesarem aliud quoddam atque Labienum fecisse sibi fingant. — 6 *ut poterat, propter paucitatem*] verba distinximus commate: Caesar simplicem, non triplicem derexit aciem propter paucitatem, eamque unam ita instruxit, ut poterat (bestmöglichst). Aliter interpretatus est haec verba Goeler. — 10 *cum p. copiis*] contra pedestres copias; § 2.

14. 11 *expectatio fieret*] 51, 3 quo facilius conloquia fieri possent. — 13 *decernendum*] decertandum; b. Hisp. 5, 7. Caesar III 41, 1 acie instructa decernere.

versariorum equites sese extendere [et in latitudinem pro-
movere] collesque conplecti [et Caesaris equitatum extenuare]
simulque ad circumeundum conparare se coeperunt. Caesa- 2
riani equites eorum multitudinem aegre sustinebant. Acies
interim mediae cum concurrere conarentur, subito ex con-
densis turmis pedites Numidae levis armaturae [cum equitibus]
procurrunt et inter legionarios [pedites] iacula coniciunt. Hic 3
cum Caesariani in eos impetum fecissent, illorum equites
refugiebant; pedites interim resistebant, dum equites rursus
cursu renovato peditibus suis succurrerent.

1 *equites *P pr. m.;* equitatus *L;* equitatum *AUF* ‖ *[et in latitudinem promovere] *inclusimus* ‖ 2 *[et Caesaris equitatum extenuare] *inclusimus; ceterum* extenuari *AL et rec.* ‖ 3 circumveniendum *L* ‖ se *om. L* ‖ coeperunt *AL;* coeperant *R* ‖ 6 *[cum equitibus] *inclusit Novák* ‖ 7 procurrerunt *L* ‖ [pedites] *inclusit Oudendorp* ‖ coiciunt *L;* conittunt *A;* coniciunt *R* ‖ 10 succurrent *A*

---

1 *equites*] in dextro ac sinistro cornu collocati, ut ex sequentibus apparet (13, 1); quare, quod edebatur 'equitatus', id est universus equitatus, cuius pars mediam aciem tenebat, huic loco minus aptum est. Opponuntur § 2 Caesariani equites. — 2 [*et . . extenuare*] ita interpretantur: Labieni equites Caesarianos numero inferiores et ipsos se extendere coegerunt; quod tamen nullo exemplo comprobari potest. Cf. 59, 2 Numidas extenuatos. Grammaticus autem Asinii verba (extendere . . que . . que) temere turbavit duobus infinitivis copula *et* insertis. — 3 *circumeundum*] 'circumveniendum' hanc ob rem improbandum esse duximus, quia Asinius verbi circumveniendi formis non usus est nisi passivis; cf. 15, 2 paucitatem circuire. — 5 *condensis*] 50, 1 olivetum crebris arboribus condensum. Adiectivum a Caesare ac Cicerone spretum ex sermone poetarum (nam de Sisennae loco frg. 31 iure dubitant) veluti Lucretii desumpsit Asinius; eodemque amore vocabulorum compositorum ductus non solum condensandi verbum (13, 1) praetulit simplici, sed etiam multa id genus alia, de quibus dictum est ad 2, 4 (consequi), 7, 5 (convulnero), 7, 6 (convallis). Cf. ad 51, 5 conplures. Perperam autem Goeler corrigi iubet 'extensis', quia non agitur de equitibus in cornibus collocatis, quos se extendisse scripsit Asinius § 2, sed de media equitum acie peditibus interpositis condensata (13, 1). — 6 [*cum equitibus*] mediam aciem cum Caesariani procul pedestrem esse existimassent (13, 1), mox equorum corporibus conspectis in contrarium errorem inciderant, ut hanc quoque equitum (id enim intellegitur ex voce 'turmis') esse putarent; nunc demum praeter opinionem mixtum esse utrumque copiarum genus vident. — 7 *procurrunt*] aliquot passus. — *inter legionarios*] medios in legionarios, ut b. civ. III 50, 1 intra (var. inter) multitudinem tela coiciebant; quamquam aliis locis Asinius praepositione in utitur: 70, 4 iacula in legionarios coicere; ibid. pila in Numidas c.; 72, 5 in elephantos pila c., neque aliter Caesar et Hirtius. — *hic*] magis temporis quam loci habet significationem (wenn dann die Cäsarianer etc.). — 10 *cursu renovato*] denuo procurrentes. B. civ. III 93, 1 rursus renovato cursu pila miserunt.

1 **15.** Caesar novo pugnae genere oblato, cum animum
adverteret, ordines suorum in procurrendo turbari — pedites
enim, dum equites longius ab signis prosecuntur, latere
nudato a proximis Numidis iaculis vulnerabantur; equites
autem hostium pila [milites] facile cursu vitabant —, edicit
per ordines, ne quis miles ab signis IIII pedes longius pro-
2 cederet. Equitatus interim Labieni suorum multitudine con-
fisus Caesaris paucitatem circuire conatur: qui [equites Iuliani]

1 *novo pugnae genere *L;* n. g. p. *R* ‖ 3 a signis *A* ‖ prosecuntur *L;* persequuntur *R* ‖ 5 *pila] pilum *A UF;* palam *R* ‖ *[milites] *inclusimus;* militis *UF editt.* ‖ *facile cursu *L;* cursu facile *R* 8 *conatur *UF, D pr. m.:* non conatur *R;* non moratur *Nipperdeius* ‖ *qui *O; om. editt.* ‖ *[equites Iuliani] *del. Forchhammer*

---

15. 3 *prosecuntur*] in sermone militari = procurrendo persequi, vi particulae p r o addito adverbio 'longius' aucta; sic longius prosequi Caes. 4, 26, 5. 5, 9, 7. 52, 1. II 41, 4. III 51, 3. Hisp. 14, 2. 3; nusquam longius persequi. — 5 *pila*] 16, 4 hostium iacula vitare, et cf. ind. verb. s. v. pilum et iaculum. Singularis pilum sensu collectivo stare non poterat, quia similia substantivorum res significantium exempla apud Asinium, Caesarem aliosque rerum scriptores non inveniuntur; quod enim legitur 31, 2 'usque eo locum optinerent, donec ab hoste telum missum ad se perveniret', non de telorum multitudine dictum est, sed ita praecepit militibus Caesar, ut loco cederent, simulac *primum* telum ab hoste missum ad se pervenisset. — [*milites*] vel, ut vulgo corrigunt 'militis' cum substantivo 'pila' coniungi non potuit, quia vel concinnitatis causa scribendum fuit *militum;* quamquam ne hoc quidem sententiae satisfaceret, cum 'nostrorum' aut tale quid 'equitibus hostium' opponendum esset. Sed re vera omnino genetivo opus non est; pila enim per se intelleguntur Romanorum, ut iacula Numidarum. Cf. ind. verb. s. v. — 6 *procederet*] 'Das Mafs eines kräftigen Ausfalles, worunter die Fechter den Abstand von der Ferse des rückwärts stehenden Fufses bis zur Spitze des vorgeschobenen Fufses verstehen, ist nahezu vier Fufs heutigen Tags und war es auch bei den Römern. Bei dem Ausfalle mit dem Schwerte konnte jedenfalls der linke Fufs in der Linie der Front bleiben und diese somit streng erhalten werden. Im ersten Gliede ist für den Wurf des Pilums auch nicht mehr als 4 Fufs nötig gewesen, weil man zum Wurfe den rechten Fufs zurücksetzte und dann erst einen Sprung vorwärts machte (Veget. 1, 20).' Goeler, pg. 26. — 7 *suorum*] genetivus concinnitatis (pro 'sua multitudine') respondet verbis 'Caesaris paucitatem'. — 8 *conatur*] non multum diversum a 'coepit' (ut colligas ex 14, 2 concurrere con.), cui opponuntur § 3 verba prosperum eventum indicantia 'puncto temporis circumventis'. Nipperdeius coniecturam suam ita legentibus commendavit, ut in b. Gall. 8, 34, 4 eodem modo in codicibus (moratur α, conatur β) variatum esse moneret; sed praeterquam quod eodem iure emendari poterat 'non cunctatur', ut ap. Sall. Cat. 44, 6 ne cunctetur propius accedere, Asinius non desistere, non dubitare, non intermittere in deliciis quidem habet, non morari tamen seq. infinitivo neque ipse scripsit nec Caesar. — *qui . . cedere*] constructione κατὰ σύνεσιν ad paucitatem referendum; quod cum grammaticis minus clare dictum esse videretur, erat qui interpretaretur 'pauci', alter

[pauci] multitudine hostium defessi equis convulneratis paulatim cedere; hostes magis magisque instare. Ita puncto 3
temporis omnibus [legionariis] ab hostium equitatu circumventis [Caesarisque copiis] et in orbem conpulsis, intra cancellos omnes coniecti pugnare cogebantur.

16. Labienus in equo capite nudo versari in prima 1
acie; simul suos cohortari, nonnumquam legionarios Caesaris

1 *[pauci] *inclusimus* ‖ 2 *hostes *A;* hostis *R* ‖ 3 temporis horae *L et rec.* ‖ *[legionariis] *inclusimus* ‖ 4 *[Caesarisque copiis] et *nos:* Caesarisque copiis (*omissa copula*) *O* ‖ intra cancellos] *U marg.* insolentissima admodum iactantia Labieni; *quae verba potius pertinent ad 16, 1*

'equites Iuliani'. Cf. ad 95, 1 manum, qui. Infinitivus historicus in enuntiato relativo apud Sall. Iug. 59, 3 quibus illi freti . . sequi, cedere; 70, 5 in quis . . accusare, testari deos. Cf. Car. Hübenthal, De usu infinitivi historici ap. Sall. et Tac. 1881. p. 36 sq. — 2 *hostes*] Quamquam nonnullis ab Asinio locis 'hostis' sensu collectivo dictum est, tamen neque indulsit huic usui nec orationis variandae causa more Taciteo singularis ac pluralis formas miscere solet; nam 61, 2 frenatus Labieni eques opponitur 'universo equitatui Numidarum' et ipsi nomini collectivo. — *magis magisque*] apud Catullum ἀσυνδέτως magis magis, ut apud Aristophanem πλέον πλέον, apud Menandrum μᾶλλον μᾶλλον (cf. Bernhardy ad Suid. s. v. μᾶλλον μᾶλλον); usitatissimum magis magisque inde a Plauto, rarius magis et magis; poetis usurpatum magis atque magis, item magis ac magis, quod argenteae latinitatis scriptores adsciverunt. — *puncto temporis*] ut 18, 5; horae (horae momento Hor., Liv.) interpretamentum est grammatici. — 3 *omnibus . . omnes*] Hoc ablativi absoluti exemplum ab altero, quod legitur 10, 3 eo differt, quod non solum subiectum enuntiati primarii idem est cum subiecto ablativi absoluti, sed ipsum nomen sive pronomen idem bis positum est. Quod orationis vitium ut removeretur, grammaticus quidam ablativo subiecti substitutum voluit 'legionariis', inscite admodum, quoniam et pedites et equites in orbem compellebantur; alter paulo rectius substituit 'Caesaris copiis', quo in ordinem verborum recepto copula (et) extrita est. — 4 *in orbem conpulsis*] Cum pedites ab equitum multitudine circumventi in orbem coeunt, non id agitur, ut iusta sit circini figura, sed huius rei maxime proprium est, ut conferti terga tuta praestent ab equitum incursione. Quod idem quodammodo de Caesaris cohortibus valet. Quamquam enim latera cohortium minutis intervallis vel ad nihilum redactis ab equitibus non premebantur, posteriores tamen ordines adversus equites a tergo circumvectos converti necesse erat. Cum autem 'in orbem coire' vocabulum sit solemne in re militari, falso Goelerus interpretatus est in unum omnes cohortes orbem constitisse, quod quomodo in re trepida fieri potuerit non satis intellegitur; immo singulas cohortes in orbem se tutatas esse sumendum est. Cf. Sisenna ap. Non. 141 densi in orbes; Liv. 23, 27, 6 undique pulsi (= compulsi) coire in orbem. Veget. 1, 26. — *intra cancellos*] Festus p. 46: canceri dicebantur ab antiquis, qui nunc per deminutionem cancelli (cancer = carcer, κάρκαρον?). Sententia: Caesarianis loco se movere et ultro progredi non licuit.

ita appellare: *Quid tu*, inquit, *miles tiro? Tam feroculus es? Vos quoque iste verbis infatuavit? In magnam mehercules vos*
2 *periculum inpulit. Misereor vestri.* Tum miles, *Non sum*, inquit, *tiro, Labiene, sed de legione X. veteranus.* Tum La-
3 bienus, *Non agnosco*, inquit, *signa decumanorum.* Tum miles: *Iam me, qui sim, intelleges;* simul cassidem de capite deiecit, ut cognosci ab eo posset, atque ita pilum viribus contortum, dum in Labienum mittere contendit, equi graviter adverso

1 tiro *om. A* || ferus oculus *L;* ferox *D pr. m.* || 2 *mehercules] mehercnlem *LP;* mehercule *A cett.* || 3 n̄ri *L* || 5 decimanorum *L;* decemanorum *A* || tum ait miles *ALPUF;* ait *om. D* || 6 qui *AD;* quis *R* || intellige *L* || ciecit *L*

---

16. 1 *miles tiro*] Cic. Phil. 11 39 tirones milites. — *feroculus*] vocabulum sermoni vulgari proprium; Turpil. 107 heia quam ferocula est! Ad idem genus pertinent audaculus Petronii, loquaculus Lucretii; posterioris aetatis sunt feliculus, dicaculus, curraculus, veraculus. Abest autem ab hoc enuntiato, sicut a praecedente, particula interrogativa, quia verbis 'quid tu?' satis declaratur sequentia quoque non esse affirmantis. — 2 *infatuavit*] verbum item in sermone urbano evitatum. B. Alex. 58, 3 (Asin.) Cornelissen Mnemos. N. S. XVII 52 coniecit: milites adeo infatuabantur (codd. fatebantur), ut etc. — *mehercules*] per ellipsin = ita me Hercules iuvet (amet), ut medius fidius. Falso Cicero orat. 157: libentius dixerim mehercule quam mehercules; rectius Sallustius quattuor locis mehercules. Asinius apud Cic. epist. 10, 32, 4 retinui, aegre mehercules; ib. 10, 33, 3 hercules. — 4 *de legione*] In sermone castrensi, cum cuius quis fuerit legionis memoratur, saepius praepositione de quam genetivo uti solebant; ex. gr. b. Hisp. 13, 3 speculator de legione secunda; 18, 3 signifer de legione prima; Livius 33, 36, 5 tribuni de legione secunda. Similiter Corp. inscr. lat. I 1065 Lutatius . . de familia Mitredatis. Cf. Clairin, Du génitif latin et de la préposition de. Paris. 1880. p. 91. — 5 *signa*] cum signa decumanorum et numero legionis et aliis insignibus propter singularem virtutem concessis distincta essent, Labienus longiore spatio interiecto ea oculis cernere non poterat. Cf. Alfr. de Domaszewski, Die Fahnen im röm. Heere. 1885. pg. 50 sqq. — *decumanorum*] Caes. 1, 40, 15 quodsi praeterea nemo sequatur, tamen se cum sola decima legione iturum, de qua non dubitaret, sibique eam praetoriam cohortem futuram; III 89, 1 (de pugna Pharsalica) X. legionem in dextro cornu collocaverat. Cum autem legionem decumam non interfuisse proelio Ruspinensi constet (c. 53), aut miles finxit illud, quo maiorem Labieno incuteret terrorem, aut nescio quomodo cum quintanis ex Sicilia profectus erat. Aliter Stoffel II 294. Nipperd. Proleg. 219. — 6 *qui sim*] qualis, quam fortis sim; quis sim = quod sit mihi nomen. Si autem vera est codicum R scriptura, Asinius hoc, quod Ciceronis aetate invaluit discrimen, ignorasse et more priscorum scriptorum quis pro qui posuisse, vel potius militem sermone prisco usum induxisse censendus est. Cic. Catil. 3, 2. Sall. Cat. 44, 5. — 7 *cognosci*] ut Labienus militem non esse adulescentulum, sed veteranum cognoscere posset. — *ita*] deiecta casside; cf. 17, 1. — 8 *m. contendit*] non est 'omnibus corporis viribus adnititur pilum emittere', quia hoc faciens non poterat eodem tempore equum percutere; immo significat (cf. ind. verb.) 'festinat mittere', id est festinanter mittit, ipsaque militis festinatio causa fuit teli aberrantis. Nisi

pectori adfixit et ait: *Labiene, decumanum militem, qui te petit, scito esse.* Omnium tamen animi in terrorem coniecti, 4
et maxime tironum: circumspicere enim Caesarem nec quicquam amplius facere nisi hostium iacula vitare.

17. Caesar interim consilio hostium cognito iubet aciem 1
in longitudinem quam maximam porrigi [et] alternis conversis cohortibus, ut una post, altera ante signa tenderet: ita coronam hostium dextro sinistroque cornu mediam dividit

1 decimum *AL* (*et in L sup. scr.* ł anū) ‖ 2 animi *inter versus L* ‖ 3 *nec quicquam amplius] neque amplius *O* ‖ 6 in longitudine quam maxima *ALPUFV* ‖ *[et] *inclusimus* ‖ 7 altera *Ablancourt;* alteram *O* ‖ contenderet *Domaszewski* ‖ 8 corona *APV*

---

forte 'mittere' glossema est. Cf. Verg. Aen. 10, 521 inde Mago procul infensam contenderat hastam, quae Servius interpretatur: adversam iecerat. — *graviter*] ad 'adfixit' referendum. Pacuvius 259 gr. ictum; Attius praetext. 25 gr. saucium; Sall. Cat. 61, 7 gr. vulneratus. — 1 *adfixit*] Appian. b. civ. 2, 95 *Λαβιηνὸν ὁ ἵππος εἰς τὴν γαστέρα πληγεὶς ἀπεσείσατο καὶ αὐτὸν οἱ παρασπισταὶ συνήρπαζον.* Infra 29, 3. — 3 *nec quicquam amplius f.*] 89, 4 vitam sibi neque amplius quicquam deprecatur. Cum ultima pronominis quicquam syllaba adverbio amplius hausta esset, quod litterarum reliquum erat, in 'neque' corrigebatur. Fortasse tamen facere a grammatico additum est: cf. Suet. Domit. 3 nec quicquam amplius nisi muscas captare.

17. 5 *consilio hostium*] 19, 2. — 6 *in longitudinem porrigi*] Cum legionarii a dextro ac sinistro cornu compulsi (15, 3) nimis conferti essent, id agendum erat, ut vir a viro, cohortes a cohortibus suis, ut initio proelii, inter se distarent intervallis; quod ut fieri posset, alternae cohortes, id est ex triginta, quas acies simplex habuit quindecim, convertebantur (machten Kehrt) et ita quidem, ut acie duplici instructa secunda post primam, quarta post tertiam consisteret. Cf. Domaszewski, röm. Fahnen pg. 4 adnot. Verbis autem 'in l. quam maximam' id quoque significare poterat Asinius, extenuatum (59, 2) esse aciem octo ordinibus ad sex redactis. De verbo porrigendi cf. 30, 2 porrecta equitum multitudine; 60, 5 tertiam aciem usque ad . . legionem porrexerat. Sall. Iug. 52, 6 aciem latius porrigit. Livius 25, 21, 6 in longitudinem porrecta acies. Caesar hoc verbo (nam de loco b. Gall. 2, 19 dubitatur) abstinuit, quia omnem praepositionis port (*πρός*) memoriam extinctam videbat. Caes. I 58, 1 producta longius acie; III 92, 2 ut acies distenderetur. Cf. 14, 1 et ad 4, 3. — [*et*] copula delenda, quia nisi alternae cohortes conversae et in secundam aciem reductae intervalla reliquissent, acies porrigi non potuisset. — 7 *ut . . tenderet*] 'stand'. Cum signiferi in primis ordinibus medium locum obtinerent, cohortes autem octonis fere ordinibus consisterent, prima, tertia, quinta etc. quae non movebantur, post signa tendebant, id est, maior militum pars (septeni ordines) post signiferum stabat; secunda, quarta etc. conversae pari modo ante signa tendebant. 'Contenderet' esset summa virium contentione pugnare (18, 4), quod parum congruit cum iis, quae scripta sunt 16, 4: nec quicquam amplius facere nisi hostium iacula vitare. — 8 *ita*] conversis alternis cohortibus et acie in longitudinem porrecta. — *d. s. cornu*] quaternis vel senis cohortibus in dextro ac sinistro cornu collocatis, quas fuisse veteranorum ex eo veri simile est, quod in pugna apud Thapsum

et unam partem ab altera exclusam equitibus intrinsecus adortus cum peditatu telis coniectis in fugam convertit neque longius progressus veritus insidias se ad suos recipit;
2 idem altera pars equitum peditumque Caesaris facit. His rebus gestis ac procul hostibus repulsis convulneratisque ad sua praesidia sese, ut erat instructus, recipere coepit.

1 **18.** Interim M. Petreius et Cn. Piso cum equitibus Numidis MDC [electis] peditatuque [eiusdem generis] satis
2 grandi ex itinere recta subsidio suis occurrunt. Atque hostes [suis] ex terrore firmati[s] rursusque renovatis animis legionarios conversis equis [recipientes] novissimos adoriri et

2 *convertit *L;* vertit *R* ‖ 3 recepit *LVD* ‖ 4 ita *L* ‖ fecit *ALPUV* ‖ In rebus *A* ‖ 6 *ut *A;* sicut *R* ‖ 7 Cn.] M. *L* ‖ 8 MDC] *ut 19, 6:* MC *UF;* CCC *ALP* ‖ *[electis] *om. L* ‖ *[eiusdem generis] *om. L* ‖ 9 recto *LP* ‖ concurrunt *A;* occurrerunt *LD* ‖ atque hostes *recc.;* at cohortes *ALPV* ‖ 10 *[suis] *et* firmati[s] *nos:* suis *et* firmatis *O* ‖ 11 *equis *D pr. m.:* equitibus *R* ‖ *[recipientes] *inclusimus* ‖ adorti *L*

---

cornua veteranis legionibus firmatae erant: 81, 1. — 1 *intrinsecus*] vocabulum a Caesare, Hirtio, Cicerone, Sallustio non usurpatum. Cf. Cato r. rust. 21, 4. Lucr. 6, 1146. Varro r. rust. 2, 11, 7. Ex improviso equites Caesariani primis peditum ordinibus tecti ex mediis cohortibus erumpebant. — 2 *convertit*] Caes. 1, 52, 6 cum hostium acies in fugam conversa esset. Verbum compositum (cf. ad 5, 1 convulnerare) participio 'coniectis' accommodatum est, ut 41, 1 concisis convulneratisque. — 3 *progressus veritus*] participia non eiusdem sunt dignitatis, sed hoc illi subiectum: progressus, quippe qui vereretur. — *ad suos*] ad mediam aciem. — 4 *altera pars*] dimidium equitem, item cohortes in altero cornu collocatae. — 6 *ut erat i.*] 18, 5 ita uti erant instructi: aliorum librorum scriptura 'sicut' ex pronomine sese orta est.

18. 7 *M. Petreius*] Pompeii antea in Hispania legatus (Vell. 2, 48, 1); App. b. civ. 2, 95 *Λαβιηνός τε καὶ Πετρήιος, οἱ τοῦ Σκιπίωνος ὑποστρατηγοί.* — *Cn. Piso*] cf. 3, 1. — 8 *Numidis MDC*] numerus correctus ex 19, 4; codicum corruptela (CCC) tamen antiquissima, quippe cui explicandae causa a ludi magistro additum sit *electis.* — *peditatu . . grandi*] adiectivum, quod proprie magnitudinem significat, ad collectiva translatum est (gr. aes alienum); sed gr. praesidium, gr. familia sim. praeter Iustinum 41, 4, 8 (g. exercitum) et Eutr. 7, 2 nemo scripsisse videtur. Caes. 6, 36 maximus equitatus. Cf. Köhler, Act. Erlang. I 397. — *satis*] adiectivis grandis et magnus adiunxit 34, 3. 50, 1, ut 'oppido' adi. pauci: adverbium comicis maxime frequentatum. Cf. Ed. Wölfflin, Lat. Comparation p. 23. — 9 *recta*] scil. via, 40, 2. Hisp. 3, 6. Plaut. Rud. 851, Amph. 1042 etc. ap. Terentium, Cornificium, Ciceronem (praesertim in epistulis), Vitruvium, Petronium, Apuleium: Caes. I 69, 4 recto itinere. Cf. Mus. Rhen. 37, 119. — 9 *occurrunt*] fugientibus (17, 5 repulsis) 66, 2. 68, 3. 85, 1 auxilii ferendi causa. — 10 [*suis*] primum *sui* verbo 'hostes' explicandi causa supra scriptum fuit, ne intellegerentur Petreiani equites, sed ii, quibus succurrebatur (§ 1 subsidio suis occurrunt); mox pronomen cum participio (firmati) ablativo absoluto accommodatum est. — *r. renovatis a.*] Cf. 14, 3. Caes. III 74, 3 ad recreandos animos. — 11 *conv. equis*] 52, 3. 70, 4. 75, 5; *equitibus* probari non potest, cum

impedire coeperunt, quo minus in castra se reciperent. Hac 3
re animadversa Caesar iubet signa converti et medio campo
redintegrari proelium. Cum ab hostibus eodem modo pugna- 4
retur nec comminus ad manus rediretur, Caesarisque equites
iumenta ex nausia recenti, siti, languore, [paucitate] vulneri-
bus defatigata ad insequendum hostem perseverandumque
cursum tardiora haberent, dieique pars exigua [iam] esset
reliqua, cohortibus equitibus[que] circumdatis cohortatur,
ut uno ictu contenderent neque remitterent, donec ultra
ultimos colles hostes reppulissent atque eorum essent potiti.
Itaque signo dato iam hoste languide tela neglegenterque 5
mittente subito inmittit cohortes turmas suorum; atque puncto
temporis hostibus nullo negotio campo pulsis, post colle
deiectis nacti locum atque ibi paulisper commorati, ita,
uti erant instructi, leniter se ad suas recipiunt munitiones.

1 se in castra r. *A* ‖ 3 redintegrare *A* ‖ 5 *nausia *ALUFD;* nausias *PV;* nausea *editt.* ‖ recentis *AD pr. m.* ‖ *[paucitate] *inclusimus* ‖ 6 defatigata uulneribus *A* ‖ 7 tardiorem *ALP* ‖ *[iam] *incl.* ‖ *esset reliqua] esset iam r. *A;* r. e. *R* ‖ 8 equitibus *Aldus;* equitatibus *AD (nisi quod in A* q *sup. vers.);* equitibusque *LP* ‖ cohortatus *ALPUF* ‖ 9 ut *L inter versus* ‖ remitterent bellum *L* ‖ 10 fines *sup. scr. pr. m.* colles *A* ‖ reppulissent *PU;* repulissent *R* (*cf. 52, 3. 87, 5*) ‖ 11 *iam hoste *L;* iam hostes *P;* iam hostes iam (*omisso* languide) *A;* cum iam hostes *UFD* ‖ 12 *mittente] remittente *L;* mittendi *APV;* mitterent *UFD* ‖ *turmas *ALP*; turmasque *R* ‖ 13 *colle *PV;* collem *AL;* collemque *UFD*

hostes et equites iidem sint. — [*recipientes*] scribendum saltem erat 'se recipientes'; sed verbum friget, non solum propter id quod sequitur, sed etiam quia idem iam 17, 2 (sese recipere coepit) dictum erat. — 2 *signa converti*] cf. append. hist. — 5 *nausia*] vocabulum graecum (*ναυσία* ion. *ναυτία* att.) iam a Plauto et Catone r. rust. 156, 4 (ubi scr. cum codd. nausia) receptum ac vel Caesari (III 28, 4 ubi in aliis codd. nausea, in aliis nausia scr.) et Ciceroni probatum: Livius 21, 26, 5 refectis ab iactatione marituma; Tac. hist. 1, 31 longa navigatione aegros. — [*paucitate*] fortasse ab eo additum est, qui 12, 2 adscripsit: non magnam. — 6 *perseverandumque cursum*] structura insolita et fortasse concinnitatis causa admissa pro 'perseverandumque in cursu'. — 8 *circumdatis*] pedites equites in medium acceptos ab incursu Numidarum defendebant. — *cohortatur ut*] 32, 4. 88, 6; seq. coniunctivo Caes. II 33, 1 cohortantur magno sit animo. Cf. 39, 2 imperat . . . occurrerent. — 9 *uno ictu*] uno impetu conisi. — *ultra ultimos c.*] figura etymol. Ter. Enn. 489 infra infumos esse. — 11 *iam hoste . . mittente*] coniunge: iam languide mittente; ablativus absolutus laxiore constructione pro dativo vel praepositione in (in hostem . . mittentem). Re vera tamen haec licentia eam habet explicationem, quod temporis significatio praevalet (dum mittunt) et in enuntiato primario facile cogitatione suppletur 'in eum'. Cf. 23, 2. — 12 *cohortes turmas*] Cf. ad 11, 3. — 13 *post colle deiectis*] 69, 3 loco pulsa et deiecta de colle. Singulari hoc loco (*μετέωρόν τι* Cass. Dio) utitur scriptor, quia de eo colle dicit, quem pleraque pars hostium tenebat. Aliter Cassius Dio 43, 2, de quo cf. append. hist. — 14 *nacti locum*] = potiti collium, § 4.

Itemque adversarii male accepti tum demum se ad sua praesidia contulerunt.

1 **19.** Interim ea re gesta et proelio dirempto ex ad-
versariis perfugere conplures ex omni genere hominum, prae-
2 terea intercepti [hostium] nonnulli equites peditesque. Ex
quibus cognitum est consilium hostium, eos hac mente et
conatu venisse, ut novo atque inusitato genere proelii tirones
legionarii paucique perturbati Curionis exemplo ab equitatu
3 circumventi opprimerentur, et ita Labienum dixisse pro con-
tione, tantam sese multitudinem auxiliorum adversariis sub-

4 perfugere *Gudius;* perfugae *O* ‖ *conplures] plures *O* ‖ *praeterea *L;* et praeterea *R* ‖ 5 [hostium] *incl. Oudendorp* ‖ *nonnulli *nos:* complures *O* ‖ 7 uti *P et rec.* ‖ 8 legionarii a *A;* legionariique *D* ‖ 9 circumdati *LP* ‖ Labienum *edit. vet.;* Iubam *O* (dixisse Iubam *L*) 10 tantam multitudinem se *L* ‖ adversariis *A et rec.;* adversariis Caesaris *LPUFVD*

---

1 *male accepti*] 41, 1 = multis vulneribus acceptis, ex sermone castrensi et vulgari petitum. Lentulus ap. Cic. epist. 12, 14, 4 in oppugnando male acceptus. Nepos Eum. 8, 1 cum male acceptum coegit redire. Translate Caelius ap. Cic. epist. 8, 11, 3 accipitur satis male a Curione (sc. verbis).

19. 3 *Interim ea re gesta*] Coniunxit A. quod optimi scriptores evitaverunt, particulam temporalem cum ablativis absolutis, ut 85, 3. 62, 1; saepius subiecto praemisso, ut 17, 1. 25, 2. 67, 3. 79, 2. — *proelio dirempto*] De Caesaris victoria dicit Strabo 17, 12 *Καῖσαρ πρὸς Ῥουσπίνῳ νικῶν*, de clade Appianus et Cassius Dio; Asinius innuit nec vicisse Caesarem nec victos discessisse hostes. Cf. append. hist. — 4 *conplures*] 'plures' cum ab Asinio constanter dictum sit sensu comparativo, eam emendandi viam secuti sumus, ut quod in codicibus versu insequente scriptum est 'complures', huc retraheremus, illo contra loco aliud pronomen, velut nonnulli, excidisse statueremus. Quod collatis aliis locis similibus (75, 6. 78, 8. Hisp. 9, 4. 15, 4. 46, 6. Caes. III 40, 1 ubi in aliquot codd. scriptum est 'multis' pro 'pluribus') ultro se offerebat: perfugere multi . . intercepti conplures, ideo reiciendum erat, quia complures in altero orationis membro praecedente alio nomine numerali positum comparativam habet significationem, res ipsa autem monet ut lixas, calones, coquos transfugisse statuamus multos, milites interceptos esse pauciores: idem particula 'praeterea' indicatur, scil. transfugia fuisse crebriora, insidias armatis structas rariores. — 6 *hac mente et conatu*] cf. ad 5, 1. — 7 *tirones*] adiectivi loco positum; ideo paucique. — 8 *Curionis exemplo*] cuius exercitus ad Bagradam caesus erat; Caes. II 41 sq. Sall. Iug. 50, 1 existumans hostis (Numidas) crebro impetu et transvorsis proeliis iter suum remoraturos et lassitudinem et sitim militum temptaturos. — 9 *Labienum*] in codicibus scriptum est Iubam, quia § 3 extrema interpolatio de regis auxiliis addita erat. — *pro contione*] As. ap. Cic. epist. 10, 31, 5 pro c. dixisse; id. ap. Sen. suas. 6, 15 pro c. recitare; b. Alex 52, 1 (= Asin. P.) pro c. militibus exponit (beim Appell); Sall. Iug. 8, 2. Apud Caesarem et Ciceronem constanter 'in contione' dicere, queri, recitare, iurare, sim. Ille igitur contionem intellexit homines convocatos, hi conventum vel concilium.

ministraturum, ut etiam caedendo in ipsa victoria defatigati vincerentur atque a suis superarentur, quippe qui uel sine illorum fide sibi confideret, primum, quod audierat, Romae legiones veteranas dissentire neque in Africam velle transire; deinde, quod triennio in Africa suos milites retentos consuetudine fideles sibi iam effecisset [maxima autem auxilia haberet Numidarum equitum levisque armaturae], praeterea ex fuga proelioque Pompeiano [Labienus] [quos] secum a Buthroto transportaverat equites Germanos Gallosque quosque ibi postea ex hybridis libertinis servisque conscripserat, armaverat, equoque uti frenato condocefecerat [praeterea

2 vincerentur] cederentur *A* ‖ *qui uel *nos:* quis *LPUFVD; om. AD corr.* ‖ *sine illorum fide *Oudendorp:* in illorum fide *L;* in illorum *PUFVD;* non illorum *A et in marg.* q̄ ‖ 4 uellem *A* ‖ 5 consuetudine retentos *O* (*nisi quod A* consuetudinē); r. c. *Kraner* ‖ 6 autem *om. AD δ* ‖ *[maxima . . . armaturae] *inclusimus* ‖ 8 [Labienus] *del. Aldus* ‖ *[quos] *incl. Dübner* ‖ 9 *Buthroto *Fröhlich:* Brundisio *O* ‖ *quosque ibi] ibique *O, nisi quod P* que *inter versus* ‖ *10 hybridis *A;* hibridis *R* ‖ 11 *equoque uti frenato *AD corr.;* uti frenato *R;* uti frenatos *Nipperd.* ‖ *condocefecerat] condidicerat *ALPD corr.;* condocuerat *rec.;* constituerat *Nipperdey* ‖ *[praeterea . . . milibus] *incl. Vielhaber*

---

2 *qui uel*] 31, 7 munitiones vel sine defensoribus aditum prohibebant; quam facile autem particula uel (ut, t) post pronomen relativum excidere potuerit, ultro apparet. — *sine illorum fide*] Cum suos milites Labienus 'fideles' sibi effecisset, legiones Caesaris contra non in officio mansuras esse existimaret, Numidas nesciret utrum fidem praestaturi essent necne, vel omissis Iubae auxiliis rei suae confidebat. — 4 *dissentire*] Appianus b. civ. 2, 92 ὡς οὔτε τὰ ἐπηγγελμένα σφίσιν ἐπὶ τῷ κατὰ Φάρσαλον ἔργῳ λαβόντες οὔτε ἐννόμως ἔτι βραδύνοντες ἐν τῇ στρατείᾳ· ἀφεθῆναί τε πάντες ἐπὶ τὰ αὐτῶν ἠξίουν. — 5 *triennio*] intra, per triennium; 90, 3: id est ab anno 48 usque ad 46. — 7 *haberet*] praeterquam quod de auxiliorum multitudine supra dictum est, ipsa coniunctivi forma manum interpolatoris prodit. Cum enim recte scriptum esset: quod audierat (re vera), quod effecisset (ex persuasione sua), dicendum erat: quod habebat auxilia, quippe quae nulli essent dubitationi obnoxia. — 8 *a Buthroto*] Post cladem Pharsalicam cum plerique duces partium Pompeianarum, in quibus etiam Labienus, Catonem, qui Corcyram profugerat, secuti essent (Cass. Dio 42, 10), Cato autem ipse cum Pompeio filio a Corcyra Africam peteret (Appian. b. civ. 2, 87), Labienum equites suos Buthroti (Caes. III 16, 1 Buthrotum oppositum Corcyrae) navibus imposuisse verisimile est. Brundisium illo tempore a Caesarianis tenebatur. Caes. I 28, 1. III 100, 1. Cf. Fröhlich p. 78. — 10 *ibi*] in Africa; repetenda autem est loci significatio ex eo quod praecedit transportandi (trans mare) verbo. — 11 *armaverat*] eos armaverat. — *condocefecerat*] 27, 1 elephantos hoc modo condocefacere instituit; 71, 1 gladiatores condocefacere. Ut condoctus = condocefactus defendendum esset, ita condocuerat Asinius scribere non poterat pro condocefecerat. — *praeterea . . . milibus*] grammaticus, qui non satis perspiceret apud Ruspinam minorem copiarum Pompeianarum partem cum Caesare conflixisse, id monendum

regia auxilia, elephantes CXX equitatusque innumerabilis, deinde legiones conscriptae ex cuiusquemodi generis amplius
4 XII milibus]. Hac spe atque fiducia inflatus Labienus cum equitibus Gallis Germanisque MDC, Numidarum sine frenis VII milibus, praeterea Petreiano auxilio adhibito equitibus MDC, peditum ac levis armaturae quater tanto, sagittariis ac funditoribus hippotoxotisque [compluribus]: his copiis pridie Non. Ian., post diem VI., quam Africam attigit, in

1 *elefantes *A;* elephantis *PFV;* elephanti *L* ‖ equitatusque innumerabilis *O;* equitesque innumerabiles *Kraner* ‖ 2 *conscriptae *O;* conscriptas *Nipperdey* ‖ ex] et *AD corr.* ‖ 3 haec *A* ‖ atque *L δ rec.;* atque ea *R* ‖ *fiducia *Landgraf:* audacia *O* ‖ *inflatus *coniecit idem:* inflammatus *O* ‖ 5 VIII. militibus *A* ‖ 6 *quater *A et rec.;* quartum *LP* ‖ 7 *[compluribus] *inclusimus* ‖ 8 pridie] ·II· *LU;* ·II· d. *P* ‖ nonarum *A* ‖ VI] *Ciacconius;* tertium *vel* III *O* ‖ Africam *Caesar* attigit *Dinter*

---

esse putavit, quantae in universum fuerint in hoc bello Scipionis ac Iubae copiae; in his autem enumerandis nullam verborum superiorum rationem habuit usus et forma nominativi et addita particula praeterea, quam ex versu 7 arreptam iterare non dubitavit, cum ab ipso Asinio § 4 quoque scripta sit. — 1 *elephantes*] prava nominativi forma usus est interpolator, cum A., si discesseris a nomin. sing. elephans, nomen ad secundam declinationem rettulerit. Neque tamen defuit, qui supra scripta littera *i* corrigeret elephanti, qua male intellecta orta est scriptura 'elephantis'. Ceterum elephantorum hic mentio omnino non facienda erat, quorum apud Ruspinam nullus fuit usus. — *equitatus i.*] 1, 4 equitatus infinitus. — 2 *ex c. generis*] scil. hominibus; quae ellipsis cum insolentior esse videretur, grammaticus addidit 'militibus', quod postea in 'milibus' corruptum est. Tertull. pr. haer. 5 ab eiusmodi; id. ad ux. 2, 3 cum eiusmodi. — *amplius XII*] scil. legiones; interpolator autem quattuor regias et decem Scipionis computasse videtur. 1, 4. 20, 2. — 3 *spe atque fiducia*] Caes. I 20, 2. Alex. 12, 2. Nep. Haun. 8, 1. Florus 3, 5, 2. 3, 7, 2. Landgraf p. 29. — *inflatus*] cum reprehensione dictum, ut Liv. 24, 22, 8 inflata regiis animis ac muliebri spiritu; Velleius 2, 80, 2 inflatus viginti legionum numero in id furoris processerat. Cic. Mur. 33 classis spe atque animis inflata. Inflammatus contra dicitur de ira, furore, amore, rabie, cupiditate, libidinibus. — 4 *sine frenis*] cf. ad 61, 2. Neue, Formenl. II[2] 94. — 5 *auxilio*] copiae subsidio succurrentes, 18, 1; 20, 1: alio sensu dicuntur auxilia (regis Iubae, Afrorum). — 6 *quater tanto*] Plaut. Pers. I, 3, 73 ter tanto peior; Cic. Verrin. 3, 225 quinquiens tanto amplius; ibid. 3, 102 sexiens tanto; Plin. n. h. 14, 53 vicies tanto addito aquae. Pro 'bis tantum' dicitur alterum tantum; b. Hisp. 30, 1 accedebat a. t., et passim apud Livium; Plin. n. h. 6, 210 altero tanto amplior: cum cardinalibus coniunctum 'tantum' pluralis formam induit, veluti ap. Plaut. Trin. 530 tribus tantis minus; Front. epist. ad Marc. 5, 52 (67) pg. 91 Nab. decem tanta te amo; Plaut. Bacch. 4, 9, 11 sescenta tanta reddam; Pseud. 611 (632); sed hic usus scriptorum priscorum et priscos imitantium proprius esse videtur. Fallitur Madvigius, Adv. crit. II 286. Cf. Nägelsbach, lat. Stil.[8] § 93 extr. — 7 *his copiis*] insigne anacoluthiae exemplum, si quidem cum 'Labienus' coniungendum erat 'decertavit'; praeterea ad verbum 'attigit' supplen-

campis planissimis purissimisque ab hora diei quinta usque ad solis occasum est decertatum. In eo proelio Petreius graviter ictus ex acie recessit.

20. Caesar interim castra munire diligentius, praesidia 1
firmare copiis maioribus vallumque ab oppido Ruspina usque ad mare ducere et a castris alterum eodem, quo tutius *nuntii* ultro citroque commeare auxiliaque sine periculo sibi succurrere possent, tela tormentaque ex navibus in castra conportare, remigum partem [ex classe], Gallorum, Rhodiorum, epibatarumque armare et in castra evocare, uti, si posset, eadem ratione, qua adversarii levis armaturae interiecti, inter

1 plurimisque *LPV* ‖ 5 minoribus *A* ‖ 6 quotius *L;* quotinus *P* ‖ *nuntii *addidit Novák* ‖ 8 conportari *L* ‖ 9 *[ex classe] *inclusimus* ‖ 10 si *om. L* ‖ 11 armatura *D corr. et editt.* ‖ *interiecti *LP;* interiecta *A; del. Novák*

---

dum est 'Caesar'. Cf. 25, 1. 90, 3. — 1 *planissimis purissimisque*] Livius 24, 14, 6 puro ac patenti campo; purus, scil. ab humano cultu, ut dicit idem Livius 1, 44, 4. — 2 *decertatum*] summa virium contentione certatum. Livius per. 113 cum in Africam traiecisset, cum discrimine magno pugnavit. — *Petreius etc.*] Colligitur ex his verbis Asinium cap. 19 narrare, quae die insequenti ex perfugis et captivis comperisset; cap. 11—18 contra ea referunt, quae aut ipso proelii die aut postero mane commentariis diurnis mandaverat.

20. 4 *castra*] Cass. Dio 43, 4, 1 *ἐν φυλακῇ τὸ στρατόπεδον ἐς ὅσον ἐδύνατο ποιῶν ὁ Καῖσαρ.* 'On s'étonne de n'en trouver aucun vestige.' Stoffel II 291. — *diligentius*] 31, 7. — 6 *eodem*] 'Le camp de l'armée était à l'ouest de Ruspina; le premier retranchement joignait la place à la mer, l'autre allait du camp à la place: on voit donc que le *eodem* se rapporte à *oppidum* et non pas à *mare.*' Stoffel II 294. — *nuntii*] Adjutanten, Ordonnanzen; 31, 4 per speculatores et nuntios imperabat. 63, 1. 57, 1. Liv. 25, 30, 5 (de re militari) legatos commeare ultro citroque. Caes. 7, 36, 7 ut tuto (scrib. *tuti*) ab repentino hostium incursu etiam singuli commeare possent. — *quo tutius . . . sine periculo*] De eadem notione bis expressa cf. ad 1, 2: cum autem in sermone latino usus adiectivorum negativorum non tam late patuerit quam apud Graecos, saepe in locum particulae *in* privativae successit praepositio sine, veluti 29, 3. 51, 5 facile et sine periculo (*ἀκινδύνως*); 19, 4 sine frenis = infrenatus; 31, 1 modeste sine tumultu (*ἀθορύβως*); 72, 4 pars corporis sine tegmine nuda; 73, 2 homines apertos minimeque insidiosos. Nostro loco autem praeterea notandum in altero membro relanguisse vim comparativi ac proprie scribendum fuisse: ut eo tutius . . . et minore cum periculo (Caes. 5, 50, 3) etc.; eadem inconcinnitas in iisdem verbis est 33, 2 quo tutius id et sine periculo (= *ἀκινδυνότερον*) facere possent. — 8 *conportare*] comportari iubere. — 9 [*ex classe*] supervacaneum est, quia nulli sunt remiges extra classem; sin autem ad 'evocare' pertineret, propius verbum collocandum erat, ut supra 'ex navibus in castra'; 68, 2 ex oppido in collem. — 10 *armare . . . evocare*] *ὕστερον πρότερον*, qua figura Asinius mirum quantum delectatus est. Cf. ad 21, 3. — *si posset*] interponi vel fieri (ut 54, 4. 5 quantum pote = q. potest fieri). — 11 *interiecti*] scil. equitibus; nam quod sequitur 'inter equites' *ἀπὸ*

equites suos interponeretur, sagittariisque ex omnibus navi-
bus Ityraeis [Syris] et cuiusque generis deductis [in castra]
2 [compluribus] frequentare suas copias — audiebat enim,
Scipionem post diem tertium eius diei, quo proelium factum
erat, adpropinquare, copias suas cum Labieno et Petreio
coniungere; cuius copiae legionum VIII et equitum III milium
3 esse nuntiabantur —, officinas ferrarias instruere, sagittas-
que telaque uti fierent [complura] curare, glandes fundere,
sudes conparare, litteras in Siciliam nuntiosque mittere, ut
sibi crates materiesque [congererent ad arietes], cuius inopia

1 *interponerentur *ALPV;* interponeretur *R* || sagittariique *O* || 2 itireis *ALPV* || *[Syris] *inclusimus;* sciris *A* || *deductis] ductis *O* || *[in castra] *inclusimus* || 3 *[compluribus] *inclusimus* || *frequentare *Novák:* frequentabat *O* || 6 cuius] quorum *APVD corr.;* eorum *L* || 7 *sagittasque *A;* sagittas *R* || 8 ut *A* || *[complura] *inclusimus* || 9 comparatae *A* || 10 *materiesque *Novák;* materiemque *O* || *[congererent ad arietes] *inclusimus;* congeri ad a. *R praeter A*

κοινοῦ dictum est, id quod etiam verbis 'eadem ratione' confirmatur. 81, 1 levi armatura inter equites interiecta. Caes. 7, 36, 4. 80, 3. II 34, 2. An participium a grammatico adiectum est? — 1 *omnibus*] quia ceterorum, praeter sagittarios, epibatarum partem tantum evocavit. — 2 *Ityraeis*] Ituraei, qui Libanum montem finitimasque regiones incolebant, Vibio Sequestri dicuntur 'usu sagittae periti'. Flav. Vopisc. Aurel. 11, 2 habes sagittarios Ityraeos trecentos. Quod codices addunt, Syris, non dictum est ut Insubres Galli, sed explicandi gratia adscriptum; nam apud Vibium Seq. commemorantur: Ityraei, Syri, ut Gaetuli, Afri; Lapithae, Thessali; Leleges, Carii. Caesar III 4, 3 sagittarios ex Syria. Cf. Corp. inscr. lat. VIII 2394. 2395. IX 1619. — *deductis*] 41, 1 ex omnibus praesidiis cohortes deduxit, scilicet ut exercitum firmaret; 58, 1 copias de castris deducunt. — 3 *frequentare*] augere, firmare, nova verbi significatione. Suet. Aug. 46. Hac emendatione probata duodecim § 1—3 sese excipiunt infinitivi historici, cum Plautus ne quinque quidem deinceps ponere ausus sit (Amph. 1110 circumvisere, pergunt, trahere, ducere, persequi). Sall. Iug. 101, 11 usque ad septem progressus est; qui sermonem priscum affectant, Apul. met. 8, 7 ad duodecim, Fronto p. 207 Nab. ad septemdecim. — 6 *coniungere*] id est: velle coniungere. — *legionum VIII*] Appian. b. civ. 2, 96 *Σκιπίωνος ὀκτὼ τέλεσι πεζῶν . . . προσδοκωμένον παρέσεσθαι.* — 7 *sagittasque telaque*] Quamquam apud As. nullum praeterea inveniatur exemplum binorum nominum particula que bis posita coniunctorum, Ennius tamen passim ita scripsit, ann. 219. 220 M. divumque hominumque, 385 noctesque diesque (quod vel Cicero uno loco de fin. 1, 51 ad exemplum Ennii proferre ausus est; cf. Madvig ad h. l.): Asinii autem orationem propiorem esse Ennio constat quam Caesari aut Ciceroni, quibus haec polysyndeti forma utpote poetarum propria displicuit. Cf. Livius 43, 17, 3 oneribusque impensisque. — 8 *glandes*] plumbeas in usum funditorum, quorum Pompeius (Caes. III 4, 3) duas cohortes habuerat. Cf. W. Vischer, Antike Schleudergeschosse. Bas. 1866 = Kleine Schriften, II 240 sq. Ipsos quoque legionarios interdum fundis usos esse constat ex b. Hisp. 13. 18; de inscriptionibus glandium cf. Mommsen, Corp. inscr. lat. I 188 sq. — 10 *[congererent ad arietes]*

in Africa esset, praeterea ferrum, plumbum mitteretur. Etiam 4
animum advertebat, frumento se in Africa nisi inportaticio uti non posse: priore enim anno propter adversariorum dilectus, quod stipendiarii aratores [milites] essent facti, messem non esse factam; praeterea ex omni Africa frumentum adversarios in pauca oppida et bene munita conportasse omnemque regionem [Africae] exinanisse [frumento], oppida praeter ea [pauca], quae ipsi suis praesidiis tueri poterant, reliqua dirui ac deseri, et eorum incolas intra sua praesidia coëgisse commigrare, agros desertos ac vastatos esse.

21. Hac necessitate Caesar coactus privatos ambiendo 1
et blande appellando aliquantum numerum frumenti in sua

2 *animum advertebat *AP;* animadvertebat *LVD* ‖ *inportatitio *A et rec.;* inportato *LPD* ‖ 3 anno enim *A* ‖ dilectus *L;* delectus *R* ‖ 4 stipendii *LP* ‖ *[milites] *incl. Fröhlich* ‖ 6 intra *D?* ‖ 7 *[Africae] *inclusimus* ‖ *[frumento] *incl. Novák* ‖ 8 *[pauca] *inclusimus* ‖ 9 *ac deseri *A;* atque deleri *R* ‖ 10 vacuatos *D* ‖ 12 numerum *L inter versus*

Nec quomodo crate opus fuerit ad arietes satis intellegitur, nec de congerenda, id est in unum locum conferenda (Afr. 91, 2. Hisp. 41, 5) materie dicendum erat, sed de mittenda in Africam; accedit, quod pronomen relativum 'cuius' a substantivo suo dirimi non potest. — 1 *ferrum, plumbum*] de asyndeto cf. ad 83, 2. — 2 *animum advertebat*] cf. ad 28, 1. — *frumento*] Africam fertilissimam fuisse frumento satis constat. Hor. carm. 1, 1, 10 quicquid de Libycis verritur areis. Sen. Thyest. 356 non quicquid Libycis terit fervens area messibus. — *inportaticio*] Arch. lex. lat. V 421 sq. Sall. Iug. 44, 5 vinum advecticium; Cic. rep. 2, 2, 4 merces adventiciae. — 4 *stipendiarii*] non qui stipendium solvunt (zinspflichtig), sed qui stipendia faciunt vel stipendio merent, id est milites; 43 cohortibus stipendiariis. Livius 8, 8, 3 clipeis antea Romani usi sunt, dein, postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clipeis fecere. — 7 *exinanisse*] Caes. I 48, 5 civitates exinanitae, quod Afranius paene omne frumentum Ilerdam convexerat. — *praeter ea quae . . . reliqua*] 95, 2 praeter equites qui . . . fugerant, reliquos interficit. — 8 *poterant*] in enuntiatis relativis accusativo cum infinitivo insertis aliquotiens legitur indicativus. 42, 1. — 9 *dirui*] ad moenia spectat, non ad aedificia. — *deseri*] 26, 5 oppida castellaque dirui deserique; Cic. ad Q. fr. 1, 1, 25 urbis dirutas ac paene desertas. — 10 *agros desertos*] Cic. Verr. 3, 120 ut agros desererent, arationes derelinquerent: gradatio, quae inest in verbis dirui atque deseri, desertos ac vastatos, rhetorum scholam redolet.

21. 11 *necessitate coactus*] 24, 4. 55, 2. Ter. Andr. 632 coacti necessario, ut b. Hisp. 24, 2. 32, 1. Caesar tamen et Cicero hoc abundantiae genere plerumque abstinuerunt, Gall. 6, 12, 5 necessitate adductus; id. III 24, 4 n. permotus. Cf. Acta Erlang. I 447. II 62. — *privatos*] Tabulae censoriae ap. Varr. l. lat. 6, 86 magistratos privatosque, et sic Caesar quoque ac Cicero, quamquam hic haud raro addidit viri sive homines. — 12 *aliquantum numerum frumenti*] substantivum in codice Leidensi inter versus scriptum et in aliis codicibus alio loco collocatum ut supervacaneum est, ita defenditur loco Sall. Iug. 74, 3 armorum aliquanto numero.

praesidia congesserat et eo parce utebatur. Opera interim
ipse circuire cotidie et alternas cohortes in statione habere
2 propter hostium multitudinem. Labienus saucios suos, quo-
rum maximus numerus fuit, iubet in plostris [deligatos]
3 Adrumetum deportari. Naves interim Caesaris onerariae
errabundae male vagabantur incertae locorum atque castro-
rum suorum; quas singulas scaphae adversariorum conplures
4 adortae incendebant atque expugnabant. Hac re nuntiata
Caesar classes circum insulas portusque disponit, quo tutius
commeatus subportari possit.

1 et *om.* *A* ‖ 2 *circuire cotidie *A;* circumire cottidie *L;* cot. c. *R* ‖ *alternas] adterras *A;* alteras *R* ‖ cohortis *P ut videtur et editt.* ‖ 4 numerus maximus *A* ‖ *[deligatos] *om.* *A* ‖ 6 vacabantur *PV;* vacabant *A* ‖ 7 singulas] singulae *ALPV, nisi quod in L littera post* singulae *erasa est* ‖ 8 incendebant *rec.;* incenderant *ALP* ‖ 9 Caesar *Scaliger:* Caesari *O praeter D, qui verbum omittit* ‖ *disponit *L;* disposuit *R* ‖ 10 comportari *AL* ‖ possit *L;* posset *R*

---

1 *congesserat*] 20, 3. 87, 2. 91, 2; Caesar verbo comportandi utitur praeter II 37, 5. — 2 *alternas*] dimidiam partem cohortium, ut 17, 1. Primum autem tenendum, in statione dictum esse sensu collectivo, ut omnes, quae pro castris agant, intellegendae sint cohortes, ut 38, 3 equitatu in statione disposito. Caes. 4, 32, 1 qui pro portis castrorum in statione erant; I 75, 3 iis cohortibus, quae erant in statione ad portas. Accedit quod 'ad ternas cohortes' (ita enim vulgo editur, quod dictum esse putant pro 'ad tres cohortes') pugnat cum 81, 1 quinis cohortibus ad ipsa cornua (= in utroque cornu) collocatis, ubi distributiva vocabuli vis servatur. Denique apud Caesarem, Livium alios trini dicuntur quidem pro numero cardinali, non item terni. Cf. Neue II² 166. (Nisi forte Asinius ternas cohortes scripsit, quia singulis diebus et deducuntur statione et novae in eorum locum succedunt.) — 4 [*deligatos*] iam ante cognitam codicis A scripturam nonnullis suspectum visum est, quia aetate Asinii de cura vulneratorum dicebatur obligari vel colligari; deligare eadem significatione primus usurpasse videtur Celsus; post eum Quintilianus. — 5 *onerariae*] hoc loco: commeatu onustae. — 6 *male*] cum errabundae coniungendum. — *incertae l. a. c. s.*] neque Africae situm cognitum habebant aut oram maritimam quibusque locis tuti ab hostium incursione escensionem facere possent, nec sciebant Ruspinae Caesarem castra communivisse, quippe qui Lilybaci de Carthagine sive Utica petenda cogitasset. Cf. ad 2, 2 Aponiana, et 7, 3. — 8 *incendebant a. exp.*] ὕστερον πρότερον cuius ratio haec est, ut primo loco ponatur, quod sit gravissimum, altero adiciatur, quod prius faciendum erat. Cf. 20, 1 armare et evocare; 46, 4 dimittendos, edictum proponendum; 54, 4 abesse proficisci; 58, 2 concursuros accessuros; 69, 1 offerunt existunt; 87, 7 defenderent desisterent. Quo in orationis genere priscos scriptores asyndeto (Plaut. Pseud. 283 at dabit, parabit), Tacitum plerumque particula que usum esse recte monuit E. Hauler, Arch. V 578 sq.; Asinius nulli certae legi se obstrinxit. — 9 *Caesar*] Quod in optimis codicibus traditum est Caesari, defendi posset, si dativus participio praepositus esset (cf. ad 10, 2 insciis et ad 18, 5 hoste . . . mittente); 80, 4 quod postquam Caesari nuntiatum est. — *disponit . . . possit*] praesens historicum praecedente ablativo absoluto, ut 9, 1. 36, 2. 74, 2. 92, 3.

22. M. Cato interim, qui Uticae praeerat, Cn. Pom- 1
peium filium multis verbis assidueque obiurgare [non desistebat]. *Tuus, inquit, pater, istuc aetatis cum esset et animad-* 2
vertisset, rempublicam ab nefariis sceleratisque civibus oppressam bonosque aut interfectos aut exilio multatos patria civitateque carere, gloria et animi magnitudine elatus privatus atque adulescentulus paterni exercitus reliquiis collectis plane oppressam funditus deletam Italiam urbemque Romanam in libertatem vindicavit,

2 *[non desistebat] *inclusimus* ‖ 4 *nefariis *Em. Hoffmann:* narduis *L et rec.;* arduis *AD;* uarduis *PUF;* perditis *Davisius* ‖ civibus] hominibus *L, sup. scr.* t ciuibus ‖ 5 bonosque] senatoresque *L* 6 privatusque adolescentulus *LD corr.* ‖ 7 *plane] paene *vel* pene *O* *funditus *ALP;* funditusque *R* ‖ 8 et del. *UFD* ‖ Romam *L* ‖ in *om. A*

22. 1 *M. Cato*] M. Porcius Cato, pronepos Censorii, stoicus et rei publicae liberae defensor acerrimus. — *interim*] hac particula transitus paratur a Caesaris rebus ad partes Pompeianorum. — 2 *multis verbis*] 90, 1 multis verbis accusatos. — [*non desistebat*] Cum per se requiratur tempus perfectum propter additam temporis significationem (assidue), tum Asinius verbi desistere cum negatione coniuncti unum perfectum admisit; 25, 3 agros vexare non destitit; 28, 2. 75, 6. 84, 3. Asinius ap. Cic. epist. 10, 32, 4 legiones non destitit incitare pollicitationibus. Cf. ad 26, 6. Praeterea tenendum infinitivis historicis haud raro addi particulas temporales veluti 'saepe, saepius' (Sall. Tac.), 'cotidie' (Sall. Asin.), 'interim', ut hoc loco Sall. Iug. 39, 2. 86, 2; Asinius novies. — 3 *istuc aetatis*] Velleius 2, 29, 1 Pompeius tris et viginti annos natus privatis ut opibus ita consiliis magna ausus magnificeque conata executus ad vindicandam restituendamque dignitatem patriae etc. Verba ex sermone familiari petita castigantis sunt veluti ap. Ter. Heaut. 110 ego istuc aetatis non amori operam dabam. Cic. id aetatis, ea aetate. — 4 *nefariis*] nefarii dicebantur bellis civilibus adversarii, praesertim qui populi causae faverent; 46, 2 abducite istos nefario scelere contaminatos et caede civium saginatos; hoc loco intellegendi Marius, Cinna, Carbo. Sic Cicero quoque in orationibus passim coniunxit sceleratus et nefarius, sed huic constanter secundum locum tribuit. Similiter Sallustius Cat. 52, 36 nefario consilio sceleratorum civium. Quod in editionibus est 'perditis', de fortunarum potius ruinis moribusque corruptis dicitur. Cf. Cic. Phil. 5, 6 tu civem sceleratum et perditum Gallorum et Germanorum pecunia instrues? — 5 *patria civitateque c.*] Cum sollemnis sit formula 'patria carere' apud Terent. Heaut. 85, Ciceronem, Nepotem, Tacitum, cui raro substituitur 'car. civitate' (Cic. leg. 3, 26), Asinium veri simile est scripsisse 'c. patria'; similis tamen verborum abundantia apud Sallustium Iug. 14, 11. 17 in oratione Adherbalis: exul (extorris) patria domo. Cf. supra 8, 5 cum civibus in patria. — 6 *privatus*] quamvis esset homo privatus. — 7 *plane oppressam*] Asinius ap. Cic. epist. 10, 31, 5 omnis civis plane studeo esse salvos, et similiter tribus praeterea locis epistularum, quamobrem hanc nostram coniecturam alteri (penitus) praeferendam esse duximus: 'paene' perversum est, quod paene oppressum non potest dici, quod idem funditus est deletum, et quia supra rem publicam oppressam fuisse dixerat. Asyndeton bimembre nihil habet offensionis; non solum enim participia sunt eiusdem notae, sed etiam (probata coniectura nostra) adverbia. — 8 *urbem Romanam*] Sic Asinius

idemque Siciliam, Africam. Numidiam, Mauretaniam mirabili
3 *celeritate armis recepit. Quibus ex rebus sibi eam dignitatem,*
quae est per gentes clarissima notissimaque, conciliavit adule-
4 *scentulus atque eques Romanus triumphavit. Atque ille non*
ita amplis rebus patris gestis neque tam excellenti maiorum
dignitate parta neque tantis clientelis nominisque claritate prae-
5 *ditus in rempublicam est ingressus. Tu contra et patris nobi-*
litate [et dignitate] et per te ipse satis animi magnitudine dili-
gentiaque praeditus nonne eniteris et proficisceris ad paternas
clientelas auxilium tibi reique publicae atque optimo cuique
ecflagitatum?
1 **23.** His verbis hominis gravissimi incitatus adulescen-

1 *Mauretaniam *A;* Mauritaniam *R* ‖ 2 armis *om. A* ‖ ex *om. L* ‖ 3 adolescentulus *L;* adulescentulusque *A;* adolescentulusque *R* ‖ 4 ille *L in marg. pr. m.* ‖ 6 dignitate maiorum *AUFV* ‖ neque . . . parta *om. LP* ‖ 8 *[et dignitate] *inclusimus;* dignitate et nobilitate *A* ‖ 9 nonne] non *coni. Novák* ‖ 11 et flagitatum *PUFV*; efflagitatum *AL* ‖ 12 gravissime *A* ‖ adulescentulus *A;* adolescentulus *R*

---

orator in oratione scribendum esse existimavit, ut verbis suis maiorem adderet gravitatem; 98, 2 ubi res gestae simpliciter narrantur: urbem Romam. Ac videtur illud ex oratione poetarum, veluti Ennii, depromptum esse; Ovid. met. 14, 849 Romanae conditor urbis; adscivit Livius (cf. adnot. nostra ad 21, 57, 1), nec multum diversa, quae apud eundem leguntur 26, 37, 6 moenia Romana. — 1 *Mauretaniam*] non Mauritaniam, ut edebatur, 23, 1. 95, 1. Sallustius, Pomponius Mela, Plinius nat. hist. et constanter inscriptiones. Cf. Wilmanns, Exempl. II p. 442. — *mirabili celeritate*] Cic. de imp. Cn. Pomp. 34: haec qua celeritate gesta sint, praetereunda non sunt. — 2 *armis recepit*] Sall. Cat. 11, 4 armis recepta re publica. — *quibus ex rebus*] 72, 5 quibus ex rebus largiter erat consecutus. — 3 *per gentes clarissima*] Lucr. 1, 120 per gentes Italas hominum quae clara clueret; oratio Lepidi apud Sall. hist. I § 1 clementia et probitas vestra, quibus per ceteras gentis clari estis. — *adulescentulus*] vim orationis et numeris et homoeoteleutis (conciliavit — triumphavit) auribus commendatae infregerunt, qui substantivo particulam que subiecerunt. — 4 *triumphavit*] Bis triumphum egit eques Rom. ex Africa anno u. c. 672, secundum ex Hispania a. 682, tertium pro consule per biduum ex Asia de regibus Mithridate et Tigrane. — 6 *claritate*] suppl. tanta: cf. ad 5, 1. — 7 *est ingressus*] non solum accessit ad rem publicam, sed summa vi ultro se intulit in novum vitae cursum periculi plenum. Cf. Sall. hist. frgm. Aurel. 1, 5 consulatum ingressi. De ordine verborum cf. in fine periodi collocata 2, 4 est consecutus; 11, 3 est profectus; 19, 4 est decertatum; 23, 1 est ingressus; 26, 4 est potitus, etc. de quibus dictum esse videtur illud Sen. epist. 100, 7: omnia ad certum modum et ad unum exemplar adstricta sunt. — 8 *diligentiaque*] studium rerum optimarum, Streben, Strebsamkeit. — 9 *eniteris*] futurum. Sall. Iug. 31, 17 vos . . nonne summa ope nitemini? — 11 *ecflagitatum*] Cic. de orat. 3, 18 admonitum venimus te, non flagitatum.

23. 12 *gravissimi*] quamquam in Caesaris favorem inclinabatur Asinius, ita tamen incorrupto iudicio usus est, ut de Catonis virtute recte iudicaret. Cf. 88, 5. Idem postea in historiis Brutum et Cassium

tulus cum naviculis cuiusquemodi generis XXX, inibi paucis rostratis, profectus ab Utica in Mauretaniam regnumque Bogudis est ingressus expeditoque exercitu numero [servorum, liberorum] duum milium, cuius partem inermem, partem habuerat armatam, ad oppidum Ascurum accedere coepit; in quo oppido praesidium fuit regium. Pompeio adveniente oppidani usque 2

1 cuiusmodi *L* ‖ 2 Mauretaniam *A;* Mauritaniam *R* ‖ 3 expedito *A* ‖ numerum *APUVD* ‖ *[servorum, liberorum] *incl. Novák* 4 *duum] duo *A;* II *R* ‖ *habuerat armatam *A;* a. h. *R* ‖ 5 Ascaurum *L*

multis laudibus celebravit, Tac. ann. 4, 34. — 1 *cuiusquemodi generis*] 36, 2 dilectus libertinorum, servorum, denique cuiusquemodi generis hominum; 71, 1 contra eiusmodi hostium genera, et in interpolatione 19, 3: pleonasmi quoddam genus Varroni (l. lat. 9, 20 cuiusmodi fructuum genera) et Sallustio (Cat. 39, 6 cuiusque modi genus hominum) familiare ac ne Ciceroni quidem (Epist. 7, 23, 3) anxie evitatum. Hinc scriptores Afri novam formulam effinxerunt pronomini huiuscemodi accommodatam 'cuiuscemodi', Fronto p. 161, 14 N. Apul. flor. 15. — *inibi*] proprie est adverbium loci, apud Plautum Pers. 1, 3, 44 marsupium, inibi (= in eo) paulum praesidi (argenti), ap. Catonem, Cic. leg. agr. 1, 20 superbia nata inibi (Capuae), quem locum omisit Merguetus. Translate 'inibi esse' significat 'iam in eo esse, ad id, ad eum locum adductum esse', darauf und daran sein, ut apud Caec. Stat. 188 non sum liber, verum inibi est; Pacuv. 205 R.; Cic. Phil. 14, 5. Hoc denique loco Asinius primus et solus particula usus est pro 'in his' (1, 5), vel ut in prologo Pl. Capt. 5 scriptum est: in ibus (sic ex coniect. hiatus causa; inibi codd.) emit olim amissum filium. — 2 *Bogudis*] Bogud, filius Bocchi maioris, rex Mauretaniae ac Tingitanae, a Caesare rex declaratus ideoque Pompeianis invisus, postea victor in pugna apud Mundam. Nominativi forma legitur b. Alex. 62, 1 et apud Prisc. 5, 10: 'Bogud' nomen barbarum, quod Livius in centesimo quarto declinavit 'Bogudis'. Ex nostro tamen loco iam ante Livium hac forma Asinium usum esse perspicitur; simul Priscianum vel eos potius grammaticos, quorum exemplis ille usus est, Livii libros manibus versasse apparet, non item Asinii, quem in historiis quoque, cum easdem res plenius describeret, hanc formam retinuisse credibile est. Cf. ad 79, 2 ab Aggar. — 3 *servorum, liberorum*] Cum neque asyndeton quicquam offensionis habeat (cf. ad 83, 2 et apud Plautum ac Terentium 'servos ancillas') nec nominum ordo (Caes. I 34, 2. 51, 2. III 14, 3. 32, 2), tamen et verborum collocatio glossema ostendit, quia voci 'numero' statim subiungendum erat, quot fuerint milia (70, 4. 78, 1. 95, 1), et genetivos adiectivis inermem et armatam adscriptos fuisse ultro apparet. — 4 *duum*] ut scriptum est in codice L 70, 4, et in AL 75, 1; aliter 78, 1. — *habuerat*] habebat, cf. ad 43. — 5 *Ascurum*] quod nullus veterum scriptorum praeter Asinium memoravit. — *in quo oppido*] Usu solemni in enuntiatis relativis iterantur substantiva res, dies, locus, lex, bellum, similia et in legibus edictisve et apud oratores rerumque scriptores. Hygin. fab. 164 oppidum, quod oppidum. Cf. Phil. Thielmann, De sermonis proprietatibus, quae leguntur apud Cornificium et in primis Ciceronis libris. Argentor. 1879. p. 24 sq. — 6 *Pompeio adveniente*] Cf. ad 18, 5 hoste . . . mittente. — *usque eo*] de tempore dictum = tamdiu, ut 31, 2, vel potius in unum miscentur significationes loci et temporis: tamdiu et usque ad eum locum. Cf. Arch. lexicogr. lat. VI 61 sq.

eo passi propius accedere, donec ad ipsas portas ac murum
adpropinquaret, subito eruptione facta prostratos perterritos-
3 que Pompeianos in mare navesque passim conpulerunt. Ita
re male gesta Gneus Pompeius [filius] naves inde avertit
neque postea litus attigit, classemque ad insulas Baleares
versus convertit.

1 **24.** Scipio interim cum iis copiis, quas paulo ante de-
monstravimus, Uticae grandi praesidio relicto profectus pri-
mum Adrumeti castra ponit, deinde paucos dies ibi commo-
ratus noctu itinere facto cum Labieni et Petrei copiis se
coniungit, atque unis castris factis III mil. passuum longe
2 considunt. Equitatus interim eorum circum Caesaris muni-
tiones vagari atque eos, qui pabulandi aut aquandi gratia
extra vallum progressi essent, excipere: ita omnes adversa-
3 rios intra munitiones continere. Qua re Caesariani gravi
annona sunt conflictati, ideo quod nondum neque ab Sicilia

3 conpulerunt] contulerunt *A;* compulerunt *R* ‖ 4 *[filius] *inclusimus; in L omissum esse falso scribit Duebner* ‖ advertit *A* ‖ 7 his *O* ‖ 9 *paucos dies ibi (*ut 66, 1*) *L;* ibi p. d. *R* ‖ 10 copiis] castris *L* ‖ se *om. AL; 'quidam'* se *ante* copiis *habent* ‖ 11 mil. *AL; de ceteris parum constat* ‖ 13 aut] atque *A* ‖ gratia] causa *L* ‖ 16 nondum ab *L*

---

1 *murum*] sensu collectivo, ut 56, 1; numero plurali 3, 2. — 2 *prostratos perterritosque*] ὕστερον πρότερον. — 4 *Pompeius*] scilicet filius, ut iam dictum est 22, 1; quare hoc vocabulo nostro loco non opus fuit. — 5 *ad insulas B. versus*] cf. ad 8, 3. — 6 *convertit*] Notanda scriptoris neglegentia quaedam; nam aliud potius verbum eligendum erat propter ea quae supra scripta sunt avertit et versus. Cf. 10, 3 exposita . . . expositos; 22, 4. 5 praeditus . . . praeditus; 23, 3 naves inde avertit . . . classem ad Baleares convertit; 63, 1 equo admisso omissis omnibus rebus.

24. 11 *mil.*] milia, ut Caes. 5, 47 tria milia passuum longe ab suis castris consedit; Afr. 67, 3. 68, 1. 77, 4. 80, 2. — 12 *circum*] cf. ad 3, 3. — 13 *aquandi gratia*] cf. ad 7, 5 aquatum. Quod in codice *L* traditum est 'aquandi causa', ex confusione notarum c̄a et gr̄a ortum esse videtur; Asinius autem genetivis gerundii vel gerundivi constanter addidit gratia, genetivis substantivorum (cf. ad 88, 5 partium gratia) et gratia et causa. Cf. ind. verborum. — 14 *p. essent*] coniunctivus iterativus. — 16 *annona*] Cassius Dio 43, 2, 4 *διηπόρει καὶ οὐκ εἶχεν ὅ τι πράξῃ. τόν τε γὰρ πόλεμον μηδέπω καλῶς διενεγκεῖν δυνάμενος, καὶ τὴν ἐν ταὐτῷ μονὴν χαλεπήν, κἂν οἱ πολέμιοί σφων ἀπέχωνται, διὰ τὴν τῆς τροφῆς ἀπορίαν, τήν τε ἀνάστασιν ἀδύνατον τῶν πολεμίων καὶ ἐκ τῆς ἠπείρου καὶ ἐκ τῆς θαλάσσης ἐπικειμένων οἱ ὁρῶν οὖσαν, ἠθύμει.* — *ideo quod*] 73, 3. 87, 2 4. 97, 3. 98, 2. Particulae ideo nec vola nec vestigium in libris Caesaris ac Sallustii excepto uno loco b. civ. III 11, 1, qui utrum a Caesare scriptus sit necne iure dubites. Nam Caesar illud 'propterea quod' in deliciis habuit, Cicero et hoc et 'idcirco quod'; 'ideo quod' in libris maxime, qui sunt de inventione et in orationibus Verrinis legitur. Tamquam

neque ab Sardinia commeatus subportatus erat, nec per anni tempus in mari classes sine periculo vagari poterant; neque amplius milia passuum VI terrae Africae quoquo versus tenebant pabulique inopia premebantur. Qua necessitate 4
coacti veterani milites equites, qui multa terra marique bella confecissent et periculis inopiaque tali saepe essent conflictati, alga e litore collecta et aqua dulci eluta et ita iumentis esurientibus data vitam eorum producebant.

1 Sardinia sunt commeatus *A* || *nec per *O*; neque per *vulg.* || 3 *quoquo versus *O*; quoque versus *Nipperdeius* || 4 tenebat *ALPV* || premebatur *LPV* || 5 *equites] equitesque *O* || multi *APV* || namque *A* || 7 algam e *APUFV*; alge *L* (*omissa praepositione* e) || collectam *AUF* || elata *A*

---

scopulum autem fugerunt Caesar ac Sallustius hanc particulam eadem de causa, qua alios a coniunctione etsi abhorruisse constat, scilicet ne in scriptura, quae tum erat continua, confunderetur cum 'id eo'. Sequentibus saeculis eo quod increbruit. Cf. Hellmuth, Acta sem. Erlang. I 158. — 3 *terrae Africae*] cf. 3, 5. — *quoquo versus*] in longitudinem et in latitudinem. Cato r. rust. 22, 4 foramen semipedem quoquo vorsum; 46, 1 in sesquipedem quoquo vorsum. Cic. Phil. 9, 17 locum sepulchro pedes triginta quoquo versus adsignet. Obseq. 24 lacus Fucinus per milia passuum quinque quoquo versum inundavit. Quod in codicibus Vitruvii passim scriptum est 'quoque versus', aut a librariis peccatum est, cum aliis eiusdem scriptoris locis recte traditum sit quoquo versus, aut Augusti temporibus in sermone vulgari alteram formam innovatam esse concedendum est, ductam a pronomine quisque. Falso Nipperdeius in quaestionibus Caesarianis p. 71. 72 quoquoversus non scribi nisi in sententiis relativis dixit: origo haec sane locutionis, ut diceretur 'quoquo versum est', quemadmodum dicebatur quoquo me verti, quoquo te verteris (Cic. epist. 7, 24, 1. Laelius 6, 22); sed postea copula *est* abiecta quoquo versum (versus) pro adverbio usurpari coeptum est. — 5 *milites equites*] ut 11, 3; milites autem intelleguntur pedites, qui equitibus in colligenda alga operam suam commodabant. Ita emendavimus, quia et copulam ex pronomine relativo ortam esse suspiceris, et infra bis bina nomina eadem particula conectuntur (terra marique; periculis inopiaque). — *terra marique*] ut Sall. Cat. 13, 3 vescendi causa terra marique omnia exquirere, quod praetulisse videtur Asinius numeri causa, ne quattuor nominibus bisyllabis deinceps positis languida existeret oratio. Asyndeti exempla habes apud Livium 41, 3, 1 terra mari trepidatur; 44, 22, 8 qua terra mari subvehantur commeatus. — 6 *inopia conflictati*] Caesar I 52, 3 ut magna inopia necessariarum rerum conflictarentur. — 7 *alga*] Plut. Caes. 52 *ἦν γὰρ οὔτε σῖτος τοῖς ἀνδράσιν ἄφθονος οὔτε ὑποζυγίοις χιλός, ἀλλὰ βρύοις ἠναγκάζοντο θαλαττίοις, ἀπολυθείσης τῆς ἁλμυρίδος, ὀλίγην ἄγρωστιν ὥσπερ ἥδυσμα παραμιγνύντες ἐπάγειν τοὺς ἵππους.* 'L'algue est un fucus saccharinus qui se trouve en abondance sur la côte orientale de la régence de Tunis, et dont les feuilles sont encore employées par les indigènes à la nourriture du bétail.' Tissot, Géographie comparée de la province Romaine d'Afrique, Paris. 1888. vol. II 734. Cf. Plinius nat. hist. 13 (25), 135 alga herbarum maris vocabulum intellegitur.

1 **25.** Cum haec ita fierent, rex Iuba cognitis Caesaris
difficultatibus copiarumque paucitate — non est visum dare
spatium convalescendi augendarumque eius opum: itaque con-
paratis equitum magnis peditumque copiis subsidio [suis]
2 egressus e regno ire contendit. P. Sitius interim [et rex
Bochus] [coniunctis suis copiis] cognito regis Iubae egressu
propius eius regnum copias suas admovere, Cirtamque, oppi-
dum opulentissimum eius regni, adortus paucis diebus pugnando

1 dum *O* ‖ 2 paucitatem *A* ‖ *dare] dari *O* ‖ 4 *[suis] *inclusimus: om. L* ‖ 5 Sitius *hoc loco O* ‖ *[et rex . . . copiis] *incl. Fröhlich;* coniunctis suis copiis *om. UF* ‖ 6 (Bochus *ALPUFD*)

---

25. 1 *cum haec fierent*] dum haec geruntur, interim. Cf. ad 33, 1. — 2 *non est visum*] scil. ei, Iubae; non placuit, οὐκ ἔδοξε; non est visa ratio, seq. genetivo gerundii 5, 1. 42, 1: anacoluthon autem adeo non leniendum coniecturis, ut haec ipsa orationis asperitas, quod iam veteres recte intellexerunt, Asinii sit propria. — *dare*] Cic. Cat. mai. 1, 1 visum est mihi de senectute aliquid conscribere; Sall. Iug. 89, 3 maiora aggredi tempus visum est. Codicum scriptura 'dari' ex glossemate 'dare ei' orta videtur. Cf. 44, 4. — 3 *convalescendi*] respirandi; se reficiendi, recreandi. — 4 *subsidio*] cum 'ire contendit' coniungendum, ut infra § 4; 11, 4. (6, 1 subsidio . . . succurrit.) Caes. 7, 62, 8; egressus e regno, ut 48, 1. — [*suis*] immo Scipioni (nisi forte ita scribendum, coll. 57, 2, ubi in omnibus codicibus *se* pro Scipionem scriptum est) et Pompeianis, qui erant in Africa provincia; suos enim, id est Numidas, illo tempore nec tueri necesse erat, nec si id voluit Iuba, e regno egrediendum erat. Ad equites 6, 1 commemoratos haec verba vix sunt referenda. De dativo omisso cf. 41, 2. Caes. 3, 3, 2 neque subsidio veniri neque commeatus supportari possent; 7, 36, 7 priusquam subsidio veniri posset; I 19, 1 Pompeium subsidio venturum. — 5 *P. Sitius*] Nuceria Campaniae ortus (Sall. Cat. 21, 3) et M. Tulli Ciceronis amicus olim et hospes (Cic. p. Sulla 58). In Mauretaniam profectus, ubi Catilinae consiliis favere dicebatur, ideoque accusatus in Hispania novum exercitum collegit, quo in Africam transgressus est, modo hunc, modo illum regulum adiuturus. Appian. b. civ. 4, 54 ὁ στρατὸς αὐτῷ γεγύμναστο λαμπρῶς. Cassius Dio 43, 3. Anno 46 ante Chr. Caesaris partes secutus fortuna secunda usus est, et ab illo in Africa parte agri donatus, quem militibus suis assignaret. Hinc Cirta apud Pomponium Melam 1, 30 dicitur: nunc Sittianorum colonia, quondam regum domus. Cf. Corp. inscr. lat. VIII 7641 PIVS SITTIANVS; VIII 6246 SITIA.VS; VIII 5640. Hinc etiam Mileve prope Cirtam dicitur 'colonia Sarnensis', a Sarno flumine (Suet. rhet. 4). De ipso nomine Sitius sive Sittius cf. Praefat. — 6 *Bochus*] una cum fratre Bogude (23, 1) rex fuit Mauretaniae idemque Caesarianus, cum Iubae invideret. Cass. Dio 43, 3, 1. Nec dubium quin Sitii consilia ita adiuverit, ut et parvam manum, quam ille ex Hispania adduxerat, copiis suis firmaret et ipse expeditionis socius esset (Appian. b. civ. 2, 96 *Βόκχον δ' ἑτέρον Μαυρουσίων δυνάστου Κίρταν καταλαβόντος κτλ.*): sed cum in sequentibus de uno Sitio dictum sit belli duce (36, 4), hic quoque Asinium mentionem eius fecisse parum credibile est: nam et adortus et capit ad unum Sitium referenda, et ablativus absolutus dissidet cum verbis 'copias suas admovere'. — 8 *pugnando*] ad 36, 4.

capit et praeterea duo oppida Gaetulorum. Quibus cum 3
condicionem ferret, ut oppido excederent idque sibi vacuum
traderent, condicionemque repudiassent, postea ab eo capti
interfectique sunt omnes. Inde progressus agros oppidaque
vexare non destitit. Quibus rebus cognitis Iuba, cum iam 4
non longe ab Scipione atque eius ducibus abesset, concepit
satius esse sibi, suo regno subsidio ire, quam, dum alios
adiuturus proficisceretur, ipse suo regno pulsus forsitan utra-
que re expelleretur. Itaque rursus se recipere, atque auxilia 5
etiam ab Scipione abduxit sibi suisque rebus timens elephan-
tisque XXX relictis suis finibus oppidisque suppetias pro-
fectus est.

26. Caesar interim, cum de suo adventu dubitatio in 1
provincia esset neque quisquam crederet ipsum, sed aliquem

2 offerret *L* ‖ 3 traderent] cederent *A* ‖ conditioneque *A* ‖ ab his *D* (*scil. Iuba et Bocho*); ab eis *rec.* ‖ 5 desistit *L* (*cf. ad 22, 1*); desistunt *D corr.* ‖ 6 *concepit] capit consilium *O* ‖ 7 *suo] suoque *O* ‖ 8 *pulsus *L*; expulsus *R* ‖ 9 se *om. ALPUFVD*

---

2 *condicionem ferret*] Caes. 4, 11, 3. I 24, 5. 32, 6. — 3 *repudiassent*] scil. illi, oppidani. — *capti*] captis oppidis comprehensi — 5 *Iuba*] Appian. b. civ. 2, 96 *Ἰόβας ἐς τὰ οἰκεῖα μάλιστα ἀνεζεύγνυ μετὰ τοῦ ἰδίου στρατοῦ, τριάκοντα ἐξ αὐτοῦ μόνους ὑπολιπὼν ἐλέφαντας τῷ Σκιπίωνι.* Cic. epist. 9, 6, 3 (a. 46 ante Chr.) de Caesaris in Africa adversariis: quasi utilius rei publicae fuerit eos etiam ad bestiarum auxilium confugere quam vel emori vel cum spe, si non optima, at aliqua tamen vivere. — 6 *concepit*] scripsimus ut in loco desperato, quia, ut sequentia (satius esse etc.) apte cohaereant, opus est verbo sentiendi, veluti 'perspexit, intellexit', quod supra scripto synonymo, loco deturbatum esse credere licet. Cf. 73, 3. Capere consilium ne neglegentissimus quidem scriptor cum accusativo cum infinitivo coniunxerit; gerundivum subiunxit Asinius 49, 2. 97, 1; infinitivum Caesar (7, 26, 1 consilium ceperunt ex oppido profugere; 7, 71, 1). — 7 *suo regno*] fort. scr. suis rebus, et § 5 sibi timens, ut 28, 2. — 8 *regno pulsus*] ad exemplum poetarum: Verg. Aen. 3, 249 pellere regno; 8, 333 pulsum patria. Hor. sat. 1, 6, 13 regno pulsus. Ovid. met. 10, 486 ambobus pellite regnis. Adsciverunt hanc constructionem Nepos (Alcib. 6, 4. Pelop. 1, 4), postea Livius 1, 40, 2 (se patrio regno pulsos) et Pompeius Trogus (Iustinus?) 2, 9, 6. 8, 6, 4; Caesar autem nulla exceptione scripsit regno expellere, item Cicero et Sallustius Iug. 14, 2, nec aliter Attius in Bruto 34 R. (Teque regno expellat). Ceterum verbo simplici praecedente, composito sequente et orationis vis augetur et sententia meliore clausula finitur. — *utraque re*] et provincia Africa, quam ei victori concesserat Scipio (Cass. Dio 43, 3 et 9) et regno Numidiae. — 9 *se recipere . . . abduxit*] Recte infinitivus historicus de actione continuata, perfectum indicativi de semel facta: similiter 61, 2 se conferre coepit . . . detinere.

26. 14 *ipsum*] Ut de Pythagora hoc pronomine (*αὐτός*, Quintil. 11, 1, 27) usi sunt discipuli, servi de domino et domina (ipsa; in sermone amantium Ipsima, Ipsimilla), sic Caesarem quoque *κατ' ἐξοχήν* ita dictum fuisse veri simile est. Cf. ad 44, 3 ille; b. Hisp. 3, 6 ipsi = Caesariani.

legatum in Africam venisse [cum copiis], conscriptis litteris
circum provinciam omnes civitates facit de suo adventu cer-
2 tiores. Interim nobiles homines ex suis oppidis profugere
et in castra Caesaris devenire et de adversariorum eius cru-
3 delitate acerbitateque commemorare coeperunt. Quorum la-
crimis querelisque Caesar commotus, cum antea constituisset
[e stativis castris] aestate inita cunctis copiis auxiliisque
accitis bellum cum suis adversariis gerere, *hieme gerere* in-
stituit litterisque celeriter [in Siciliam] [missis] ad Alienum
et Rabirium Postumum conscriptis per catascopium mittit, ut
sine mora ac nulla excusatione hiemis ventorumque quam
celerrime exercitus sibi transportaretur: Africam [provinciam]

1 *venisse cum copiis *L;* cum c. v. *R* ‖ 2 arcum *A* ‖ 3 fugere *L* ‖ 7 *[e stativis castris] *inclusimus:* stativis c. *A (initio paginae), F δ*; aestatis c. *V;* in stativis c. *D* ‖ 8 accitis *A:* agitis *PUFV;* aggeratis *L* ‖ *hieme gerere *addidimus;* iam nunc gerere *Em. Hoffmann* ‖ 9 *[in Siciliam missis] *inclusimus:* in Siciliam *A* ‖ 10 et ad Rabierum *L* ‖ *per catascopium] et per catascopum *O* ‖ mittit *LP;* missis *R* ‖ 11 ac *del. Novák* ‖ 12 celeriter sibi exercitus *L* ‖ in Afficam *L* ‖ *[provinciam] *om. A*

1 *conscriptis*] scriptis et missis, ut intellegitur ex praepositione circum, de qua cf. ad 3, 3. — 2 *facit certiores*] 48, 1. 65, 2; antiquiorem locutionem 'aliquem certum facere' Plauto usurpatam soli poetae retinuerunt, Verg. Aen. 3, 179. Ovid. met. 6, 268. 11, 415. — 5 *commemorare coeperunt*] statim, sine mora conquesti sunt; nisi forte coeperunt ab interpolatore ad explicandos infinitivos historicos additum est. Commemorandi autem verbum eo fortasse excusatur, quod Asinio, cum § 1 scripsisset certiorem facere de aliqua re, verbum aliquod eiusdem fere sententiae quaerendum erat; commonendi (Vorstellungen machen) audacius dictum videbitur de supplicibus, commiserandi accusativum flagitaret. — 7 [*e stativis castris*] nec cum 'accitis' coniungi potest, quia Lilybaei nulla erant stativa castra (2, 3), nec cum 'bellum gerere', quia Caesari ultro bellum inferenti necessario ex castris apud Ruspinam egrediendum erat; deinde haec verba, cum agatur de tempore belli gerendi, non ante 'aestate inita' poni debebant; postremo ipsa codicum discrepantia 'aestate' primum in 'aestatis', mox in 'stativis' abisse docet. — *aestate inita*] Caes. 2, 2, 1. 35, 2; erst mit Beginn. — *cunctis c.*] vocabulum Asinio adamatum; Caesar plerumque omnes copiae, raro totae copiae (b. Hisp. 16, 2), quod A. utpote in sermone urbano spretum non probavit. Cf. Arch. lex. lat. III 470. — 8 *hieme*] Cf. 75, 1 a. d. XII. Kal. April., qui dies ratione habita anni confusionis in Ianuarium incidit. — 10 *l. conscriptis*] = litteras conscriptas, vel cum conscripsisset litteras; de liberiore ablativi absoluti usu cf. ad 10, 2. — *catascopium*] Isid. orig. 19, 1, 18 scapha, quae et κατάσκοπος, navigium, quod latine speculatorium dicitur. Caes. 4, 26, 4 speculatoria navigia. Antiquior tamen forma est, sicut apud Graecos κατασκόπιον, ita in sermone latino catascopium teste Gellio 10, 25, 5. — 11 *quam celerrime*] Noluimus imputare Asinio, quod in codice L traditum est, quam celeriter: primum enim superlativus facile corrumpi potuit, quia supra scriptum est 'litteris celeriter missis', paulo

perire, funditus everti ab suis inimicis; quod nisi celeriter sociis foret subventum, praeter ipsam Africam terram nihil, ne tectum quidem, quo se reciperent, ab illorum scelere insidiisque reliquum futurum. Atque ipse in tanta erat festi- 4
natione et expectatione, ut postero die, quam misisset litteras [nuntiumque], classem exercitumque morari diceret, dies noctesque oculos mentemque ad mare depositos derectosque haberet. Nec mirum: animadvertebat enim, villas exuri, 5
agros vastari, pecus diripi, oppida castellaque dirui deserique principes civitatum aut *trucidari* aut in catenis teneri,

1 *funditus *L;* funditusque *R* ‖ 3 eorum *A* ‖ 4 erat in tanta *A* ‖ 6 *[nuntiumque] *incl. Novák; cui addunt* in Siciliam *AUFD* ‖ 7 *depositos *APUFV;* dispositos *LD et editt.* ‖ *derectos] directos *O* ‖ 8 enim *om. A* ‖ 9 diripi trucidari *O praeter A, in quo est* d. trucidare ‖ 10 *trucidari] interfici *O*

infra 'celeriter subventum' (cf. similem codicis Leidensis errorem 33, 4); deinde 31, 2 omnes codices conspirant in lectione 'quam honestissime'; denique quae proferuntur aliqua ex parte similia positivorum exempla, et continentur pleraque intra formulas quam magnus, quam multus, et leguntur in enuntiatis primariis, in quibus aut exclamatio aut ellipsis facile locum habet, veluti apud Caelium, Cic. epist. 8, 15, 2 habeo quam multa (= habeo — quam multa! aut habeo, nescio quam multa). Antonius ap. Cic. ep. Att. 10, 10, 2 tuum consilium quam verum est. A sermone urbano haud dubie alienum est, quod legitur in b. Hisp. 33, 3 cenam afferri quam opimam imperavit. Cf. Ziemer, Vergleich. Syntax der Compar. 72 sq. — 1 *funditus everti*] de asyndeto cf. ad 74, 1. — *quod nisi*] 52, 4. b. Alex. 63, 6 (= Asin. P.). Ter. Phorm. 155 quod ni fuissem incogitans; raro apud Ciceronem ac maxime in epistulis, nusquam apud Caesarem ac Sallustium. — 6 [*nuntiumque*] qui adscripsit, catascopum § 3 de homine intellexisse videtur. — 7 *depositos derectosque*] binis nominibus quater particula *et* vel *que* iunctis declaratur, in quanto res fuerit discrimine: ea fuit causa, cur quinto quoque membro (oculos derectos) addendum necessario esset alterum non solum similis significationis participium, veluti coniectos, conversos, intentos, sed etiam eiusdem formae et allitterationis suavitate gratum auribus; quod quam feliciter elegerit (depositos = defixos), videant alii. Interpretandum autem: oculos derectos ad mare (= in mare) et depositos ad mare (= in mari). De figura, quae dicitur ὕστερον πρότερον cf. ad 21, 3 incendebant. — 8 *nec mirum*] 73, 2. — 9 *dirui deserique*] coniungendum: oppida deseri (cum homines nobiles profugerent § 2), castella dirui; aut, si usus est figura, quam dicunt ὕστερον πρότερον, sententia est: oppida castellaque deseri, deserta dirui. Cf. 20, 4. An scribendum sive 'oppida castella dirui deserique', sive 'oppida castellaque dirui deseri'? — 10 *trucidari*] verbum et a Caesare et ab Hirtio spretum, Asinio praeter hunc unum locum usurpatum Epist. Cic. 10, 32, 2 trucidatus est. Parum recte adhuc coniungebatur: pecus diripi, trucidari, cum in pecoribus caedendis nulla sit crudelitas; contra infinitivus ad 'principes' relatus expulso glossemate 'interfici' allitterationem efficit cum 'teneri', similem illi alteri dirui deserique.

liberos eorum obsidum nomine in servitutem abripi; his se miseris suamque fidem inplorantibus auxilio propter copiarum
6 paucitatem esse non posse. Milites interim in opere exercere atque castra munire, turres, castella facere molesque iacere in mare non intermittit.

1 **27.** Scipio interim elephantos hoc modo condocefacere instituit. Duas instruxit acies, unam funditorum contra elephantos, quae quasi adversariorum locum obtineret et contra eorum frontem adversam lapillos minutos mitteret; deinde in ordinem elephantos constituit, post illos autem suam aciem instruxit, ut, cum ab adversariis lapides mitti

1 *abripi; his se] abripi hiis se *L*; abripuisse *APVD* ‖ 2 *miseris] in miseris *A;* in miseriis *LPVD* ‖ 3 esse] se esse *LD;* sese *APV* ‖ exerceri in opere *L* ‖ 5 *intermittit] intermittere *O* ‖ 6 condocerefacere *APV* ‖ 10 ordine *ALPUF* ‖ instituit *L*

---

1 *obsidum nomine*] Caes. 3, 2, 5. — 4 *moles iacere*] Hoc, si coniecturae locus est, Caesar ideo fecit, ut ostium portus coartaret vimque fluctuum frangeret. Cf. Caesar ap. Cic. epist. Att. 9, 14, 1 ab utroque portus cornu moles iacimus. — 5 *non intermittit*] hanc orationis ostendunt formam huius commentarii loci ad unum omnes 29, 1. (29, 3 non intermittebat in enuntiato temporali.) 32, 2. 3. 36, 1. 56, 1. 61, 6. Cf. ad 22, 1 non desistere.

27. 6 *elephantos*] quos ab Iuba acceperat, 25, 4. — *condocefacere*] 71, 1 tirones gladiatores; idem quod erudire (Suet. div. Iul. 26 tirones er.); Cic. nat. d. 2, 161 ut utamur domitis et condocefactis elephantis; part. perf. condoctus Plaut. Pseud. 449. — 7 *instituit*] non primus invenit, sed = coepit, morem secutus indigenarum. — 9 *adversam*] quamquam omitti poterat, tamen non est cur deleatur; Hor. sat. 1, 1, 103 frontibus adversis componere. Ovid. met. 2, 476. adversa premeris a fronte capillis; id. Trist. 1, 2, 30: similiter abundat participium ap. Sall. Iug. 85, 29 cicatrices advorso pectore, ubi qui 'corpore' scribant, falli docuit Fr. Vogel, Act. Erlang. I 362. — *lapillos minutos*] notione exiguitatis bis expressa; ter expressam habemus tam suffixo substantivi quam adiectivo parvitatem indicante et ipso forma deminutiva induto 54, 1 parvulam causulam; 63, 1 parvulum navigiolum (34, 2 parvulum navigium); Caes. civ. III 104, 3 naviculam parvulam (= As. Polio. Landgr. pg. 79). Talem abundantiam sermoni prisco et vulgari propriam fuisse demonstrant Cato r. rust. 21, 3 cupulae minusculae; Vitr. 8, 3, 11 fonticulus oppido quam parvulus; Apul. met. 9, 35 casula parvula; 6, 10 formicula parvula: quamquam ne Suetonius quidem ab ea abhorruit Claud. 34 cultellos parvulos. Prioris generis exempla habes apud Cic. nat. d. 2, 123 pisciculi parvi; Phaedr. 1, 2, 14 parvum tigillum; 1, 15, 3 parva fabella. Köhler, Act. Erlang. I 373. Philologus 34, 153 sq. — *minutos*] = parvos, sermoni prisco et vulgari vindicandum, si quidem, quos Cicero dixit pisciculos parvos, Terentio (Andr. 2, 2, 32) et Varroni (r. rust. 3, 17, 6) sunt pisciculi minuti. Plaut. Rud. 1335 curculiunculi minuti; Cic. Att. 5, 9, 1 minutis actuariis; Varro r. rust. 2, 5, 10 bestiolae minutae. Cf. ad 29, 1. — 10 *in ordinem*] noluimus Asinio imputare, quod in optimis codicibus propagatum est 'in ordine'; quamquam fieri potest, ut olim scriptum fuerit 'ordine'. — 11 *lapides*] quos modo dixit lapillos minutos. — *mitti coepissent*] Infinitivo praesentis passivi primus 'coepit' adiunxit

coepissent et elephanti perterriti se ad suos convertissent, rursus ab sua acie lapidibus missis sese converterent adversus hostem. Quod aegre tardeque fiebat: rudes enim ele- 2
phanti multorum annorum doctrina usuque vetusto vix edocti tamen communi periculo in aciem producuntur.

28. Dum haec ad Ruspinam ab utrisque ducibus ad- 1
ministrantur, C. Vergilius praetorius, qui Thapsi, oppido maritumo, praeerat, cum animum advertisset, naves singulas

1 convertissent] recepissent *L* ‖ 2 a sua *L* ‖ *sese] eos *O* ‖ 3 rudes *LP;* audes *AV;* audere *UFD* ‖ 5 periculo] proelio *L* ‖ 6 cum *V* ‖ amministrantur *AL* ‖ 7 Vergilius *UF;* Virgilius *R* ‖ petronius *A et D corr.* ‖ 8 mauritumo *V (id est* maritimo, *littera* u *sup. scripta bis inserta)* ‖ *animum advertisset *AUF;* animum adverteret *P;* animadverteret *L*

Cornificius 4, 9, 14 coepit defricari, constructione ex eo excusata, quod defricari medii loco positum est (sich abreiben lassen); infinitivos vere passivae significationis primus admisit Asinius, praeter hunc locum 82, 4 (signa coepere inferri), post eum Varro r. rust. 3, 9, 12 quadriduo post quam incubari coepit. Cf. ad 69, 3. — 2 *sese converterent*] 83, 2 bestiae perterritae sese convertere; 84, 4. Emendatione nostra probata idem subiectum (elephanti) habemus atque in antecedentibus, quod simili utriusque enuntiati conformationi (ut, cum se ad suos convertissent, rursus sese converterent adversus hostem) magis aptum est. Editoribus contra, qui codicum scripturam 'eos conv.' tuentur, ex verbis supra positis 'suam aciem' novum subiectum eliciendum est 'sui (Scipionis) milites', quod non fieri potest nisi in oratione nimis aspera. — 3 *rudes*] Non dicit elephantos in universum indociles esse, quod pugnat cum historia naturali (Plin. n. h. 8, 1 maximum animal est elephans proximumque humanis sensibus), sed elephantos a Iuba relictos (25, 5) nondum fuisse eruditos. Totum autem enuntiatum, si omnia sana sunt, paulo contortius est. — 4 *edocti*] Lamprid. Heliog. 21, 1 leones edoctos per mansuetarios; quare non opus est ut scribatur 'condoctos', cum praesertim erudire et edomare dicatur de equis et elephantis. — 5 *tamen communi p.*] Inverso sententiarum ordine dictum pro: quamquam in communi omnium, tam bestiarum quam hominum (cf. Caes. 1, 39, 4) periculo, in aciem produci possunt, tamen multorum annorum doctrina opus est; itaque Iubae elephantorum nullus poterat esse usus, cum recens adducti essent. An scripsit 'communi' pro 'ancipiti', id est a fronte et a tergo?

28. 6 *ab utrisque ducibus*] 53, 1 = ab utroque duce; intelleguntur enim Caesar et Scipio. Cf. ad 81, 1. — *administrantur*] cf. ad 33, 1 dum haec fiunt. — 7 *C. Vergilius*] praetor anno a. Chr. 62, postea pro praetore Siciliae multumque laudatus a Cicerone ad Q. fr. 1, 2, 2, 7, cui fuit familiarissimus, Cic. epist. 2, 19, 2. pro Planc. 95 sq. — 8 *animum advertisset*] Hanc pleniorem et antiquiorem formam reiecerunt Caesar et Sallustius, excepto forsitan uno loco b. Iug. 35, 8, ubi Iordanus cum nonnullis optimae familiae codicibus edidit 'animum adv.'; retinuerunt Cicero et Asinius 10, 3. 15, 1. 20, 4. 40, 1. 4, sed, ut par erat, nonnisi in formis activis. (Cf. 6, 2 quae res cum animadversa esset; 18, 3 hac re animadversa; 82, 2 animadverti.) Rarissima sunt exempla passiva, veluti apud Plaut. Trin. 1046 Non hoc puplice

cum exercitu Caesaris incertas locorum atque castrorum suo-
rum vagari, occasionem nactus navem, quam ibi habuit,
actuariam conplet militibus et sagittariis et eidem scaphas
[de navibus] adiungit ac singulas naves Caesarianas con-
2 sectari coepit. Et cum plures adortus esset, pulsus fugatus-
que inde discessisset, nec tamen desisteret periclitari, forte
incidit in navem, in qua erant duo Titi, Hispani adulescentes,
tribuni legionis v., quorum patrem Caesar in senatum le-
gerat, et cum his T. Salienus, centurio legionis eiusdem, qui
M. Messalam legatum obsederat Messanae seditiosissima ora-
tione apud eum usus, idemque pecuniam et ornamenta triumphi
Caesaris retinenda et custodienda curarat et ob has causas
3 sibi timebat. Hic propter conscientiam peccatorum suorum

3 *et eidem *AUFVD;* et eisdem *P;* et eis *L* ‖ 4 *[de navibus] *inclusimus* ‖ Caesarianas naves *UF* ‖ 5 complures *U* ‖ id adortus *P* ‖ 6 discessissetq. *A marg. sec. m. (fort.* q. = q̄, *id est quaere);* discessit sed *LPV* ‖ cum nec sic tamen *L* ‖ 7 Titi *O;* Titii *editt.* 9 Salienus *AL;* Sallienus *PFV* ‖ 10 Messalem *LPV* ‖ seditiosissima *Davisius:* et sed. *O* ‖ 11 est usus *D corr.* ‖ 12 has *om. PV*

---

animum advorti? (i. e. nullam legibus imponi poenam), Cic. Verr 5, 105 animum adverti (secundum codicem Parisinum); parum credibile autem Caesarem I 80, 4 scripsisse perfectum: qua re animum adversa, cum praesertim in aliquot libris traditum sit 'animadversa'. — 1 *incertas . . . locorum*] fortasse repetita sunt ex 21, 3. — 2 *occasionem nactus*] 62, 5. Asinius ap. Cic. epist. 10, 31, 1 nactus occasionem, et 'nactus' septem praeterea locis belli Africi. Prisc. 10, 21 (p. 513, 7 H.): nanciscor etiam nactum facit absque n. ut Probo et Capro et Pollioni et Plinio placet. (Caesar forma 'nanctus' usus est.) — *navem actuariam*] Ellipsi substantivi utitur Cicero in familiari genere dicendi, ad Att. 5, 9, 1 (minutis actuariis); ceteri plenius, aut navis actuaria aut navigium actuarium, Sisenna, Caesar, Sallustius. Nonius 535 M. actuariae, naviculae celeres, dictae, quod cito agi possint. — 3 *eidem*] scil. actuariae, quod multo simplicius est quam scriptura vulgata 'eisdem', scil. militibus; cf. 58, 4 in oppido . . . eidem autem [oppido] . . . erat oppositum. — *scaphas*] ut 21, 3; pro 'de navibus' noluimus scribere 'et naviculas', quia 44, 1 id vocabulum interpolatori debetur et quia particulam 'et' ter scriptam fuisse vix credi potest. — 5 *plures*] sensu comparativo. — 7 *Titi*] filii Titii, qui in legione vernacula (Hispanorum) anno a Chr. 47 tribunus militum fuerat; b. Alex. 57. — 8 *legionis V*] veteranae, 1, 5: hinc apparet eam legionem, cum Caesar Lilybaeo naves solveret, non plenam fuisse. — 10 *M. Messalam*] Consul cum Domitio Calvino anno a. Chr. 53, de ambitu accusatus et Hortensii opera absolutus, Caesarianus. Cic. ep. Att. 11, 22, 2 (anni 707 u. c.): Sulla cras erit hic cum Messala; currunt ad illum (Caesarem) pulsi a militibus, qui se negant usquam (scil. stipendia facturos), nisi acceperint (scil. praemia promissa). Pertinent haec ad Caesaris legiones in Campania seditione correptas et militiam in Africa detrectantes. — *seditiosissima or.*] 54, 5. — 11 *idemque*] quod Ciceroni alteram enuntiati relativi partem efficit, apud Asinium sui iuris est, ut apud Homerum.

persuasit adulescentibus, ne repugnarent seseque Vergilio
traderent. Itaque deducti a Vergilio ad Scipionem custodi- 4
bus traditi et post diem tertium sunt interfecti. Qui cum
ducerentur ad necem, petisse dicitur maior Titius a centurio-
nibus, uti se priorem [quam fratrem] interficerent, idque ab
eis facile impetrasse [atque ita esse interfectos].

29. Turmae interim equitum, quae pro vallo in statione 1
esse solebant [ab utrisque ducibus], cotidie minutis proeliis
inter se depugnare non intermittunt; nonnumquam etiam
Germani Gallique Labienani cum Caesaris equitibus fide data
inter se conloquebantur. Labienus interim cum parte equi- 2
tatus Leptim oppidum, cui praeerat Saserna cum cohorti-
tibus VI, oppugnare ac vi inrumpere conabatur; quod [ab

2 Vergilio *A (bis)* ‖ 3 *traditi *AD;* sunt traditi *LP;* traditis (*i. e.* traditi sunt) *UFV* ‖ *sunt interfecti *AUFVD;* interfecti *LP* ‖ 4 maior Titius *PV;* maior Titus *LUFD;* maiortius *A* ‖ 5 *[quam fratrem] *inclusimus* ‖ 6 *[atque . . . interfectos] *inclusimus* ‖ 7 *statione *V;* stationibus *R* ‖ 8 [ab utrisque ducibus] *incl. Nipperdeius* ‖ cottidie invitis *L* ‖ 9 intermitterent *L* ‖ 10 *Labienani *O;* Labieniani *editt.* ‖ dicta *A* ‖ 13 VI *Nipperdeius;* IIII *AD;* III *R* ‖ conabantur *A* ‖ *[ab defensoribus] *inclusimus:* a defensoribus *L*

---

1 *repugnarent*] resisterent. 62, 5. 63, 3. — 2 *traderent*] et *ut* se traderent Vergilio, in fidem Vergilii. — 3 *sunt interfecti*] Hunc potissimum verborum ordinem amplexum esse Asinium demonstrant qui infra scripti sunt loci: 24, 3 sunt conflictati; 39, 3. 50, 4 sunt potiti; 83, 4 sunt potitae; 85, 9 sunt interfecti. Cf. ad 22, 4 est ingressus. — 6 *atque . . . interfectos*] interpolationem ostendit praeter ea, quae de verbi impetrandi significatione ad 94, 2 adnotavimus, accusativus cum infin. contra grammaticorum praecepta a 'dicitur' suspensus.

29. 7 *in statione*] sensu collectivo, ut 31, 2 38, 2. 39, 2; et sic constanter apud Caesarem. — 8 [*ab utrisque ducibus*] ex 28, 1 huc delata sunt. — *minutis pr.*] ut 51, 6 de equitibus: proeliis minutis cominus dimicabant; Hisp. 5, 4 cotidiana m. proelia fiebant; eadem Caesari dicuntur parvula proelia 2, 30, 1; 5, 50, 1; vel levia (de equitibus) 7, 36, 1. 53, 2. — 9 *depugnare*] cf. ad 7, 6. imminuta vi verbi compositi; propria 94, 1 (de pugna singulari) ferro inter se d. — 10 *Labienani*] Adiectivum finxit Asinius a Labienus, ut a Rheno ducitur Rhenanus. Corp. inscr. lat. III 488 L. EROTI. (Liberto?) LABIENANO. Ceterum monendum a nominibus in -enus, -ena, -enum, quippe quae ipsa adiectivorum formam prae se ferant, parum recte derivari adiectiva in -anus; ex. gr. Picenum, adiect. Picenus, Picentinus, non Picenanus. — 12 *cohortibus VI*] 9, 1 Lepti sex cohortium praesidio cum Saserna relicto. — 13 *oppugnare*] non de iusta obsidione dictum, cui rei impares erant equites, sed, ut ex sequentibus apparet, idem fere est, quod nos dicimus 'berennen'. — [*ab defensoribus*] ut est vocabulum ab Asinio adamatum (31, 7. 56, 1), ita minime necessarium est, quia oppidum a Saserna cum sex cohortibus defensum esse patet, et adeo suspectum, quia eiusdem abundantiae generis exemplum (a defensoribus defendi) invenire non contigit. Si re vera ita scripsit

defensoribus] propter egregiam munitionem oppidi et multitudinem tormentorum facile et sine periculo defendebatur.
3 Quod ubi [saepius] [eius] equitatus facere non intermittebat,
cum forte ante portam turma densa obstitisset, scorpione accuratius misso atque eorum decurione percusso et ad ecum adfixo, reliqui perterriti fuga se in castra recipiunt. Quo facto postea sunt deterriti oppidum temptare.
1 **30.** Scipio interim fere cotidie non longe a suis castris,
passibus CCC, instruere aciem ac maiore parte diei con-
2 sumpta rursus in castra recipere. Quod cum saepius fieret,
neque ex Caesaris castris quisquam prodiret neque propius eius copias accederet, despecta Caesaris patientia exercitusque eius,

3 *[saepius] *inclusimus;* etiam saepius *D* ‖ *[eius] *om. A* ‖ facere] stare *AD pr. m.* ‖ 4 cum *Iurinius:* et cum *O* ‖ *obstitisset *L;* adstitisset *R* (asstitisse *A*) ‖ 5 *ad ecum adfixo] ad decuma defixo *ALPV;* ab decuma defixo *UF;* ad ecum defixo *Daehnius* ‖ 8 fere *om. L* ‖ 10 *recipere *L;* se recipere *R* ‖ 11 castris Caesaris *L* ‖ 12 *Caesaris patientia *A;* p. C. *R*

Asinius, una excusatio ex eo petenda est, quod ablativus a verbo 'defendebatur' paulo longius distat; itaque cum Asinius scriberet 'ab defensoribus', menti obversabatur verbum veluti 'obtinebatur'; quod cum ei displiceret, substituit 'defendebatur'. — 1 *egr. munitionem o.*] 5 oppidi egregia munitio. — 2 *facile et sine p.*] cf. ad 20, 1. — 3 [*saepius*] non solum abundat, sed adeo vim verborum 'non intermittebat' infringit, quibus equitatum cotidie et vel bis in die muris assultasse significatur. — *non intermittebat*] cf. ad 26, 6. — 4 *obstitisset*] bene dicitur de oppugnantibus ante portas dispositis, ne erumperent oppidani. Livius 34, 46, 9 duae legiones duabus portis signa efferre iussae; sed in ipso exitu ita conferti obstitere Galli, ut clauderent viam. Plaut. Mil. 333 hic obsistam. Alia est significatio verbi assistere, velut apud Curtium 10, 5, 9 de Macedonibus Alexandri mortem lugentibus: qui extra regiam adstiterant. — *scorpione*] non cogitandum de lapidibus missis, sed de quodam teli sive sagittae genere; Caes. 7, 25, 2. — 5 *accuratius misso*] 'gut gezielt'. — *ad ecum adfixo*] sagitta ita femur decurionis transfodit, ut equi corpori quasi affixum esset; 16, 3 pilum equi graviter adverso pectori adfixit. Livius 4, 19, 5 cuspide ad terram adfixit. Alia est constructio verbi defigendi, ex. gr. Caes. II 2, 2 d. asseres in terra. Cic. Catil. 1, 16 sicam in consulis corpore d. — 7 *deterriti*] aliud vocabulum eligendum erat propter id, quod supra scriptum est, perterriti.

30. 8 *non longe a suis castris*] his contraria sunt verba § 2 scripta: haud longe a Caesaris castris. — 9 *consumpta*] Tempus, dies (in) aliqua re consumi dicitur, cum nihil proficitur, quam ob rem saepe additur adverbium frustra. Livius et argenteae aetatis scriptores de eadem re absumendi quoque vocabulo utuntur, Caesar, Sallustius et Cicero plerumque consumendi. Supra cap. 5 una nocte et die consumpta, et sic Caesar permultis locis. Sall. Iug. 62, 5 multis diebus per dubitationem consumptis. 'C'était faire inutilement parade de ses forces.' Stoffel II 121. — 10 *recipere*] scil. aciem. 40, 5 equitatum intra munitiones r.; 65, 2 legiones r. in castra. Caesar III 58, 2.

[Iuba] universis copiis productis elephantisque turritis XXX
ante aciem instructis, quam latissime potuit porrecta equitum
peditumque multitudine uno tempore progressus haud ita
longe a Caesaris castris constitit in campo.
31. Quibus rebus cognitis Caesar iubet milites, qui 1
extra munitiones processerant aut pabulandi lignandique, aut
etiam muniendi gratia vallum petierant quaeque ad eam rem
opus erant, omnes intra munitiones minutatim modeste[que]
sine tumultu aut terrore se recipere atque in opere consistere.
Equitibus autem, qui in statione fuerant, praecipit, ut us- 2
que eo locum optinerent, in quo paulo ante constitissent,
donec ab hoste telum missum ad se perveniret; quod si

1 [Iuba] *incl. Aldus* ‖ 2 quam mitissime *A* ‖ 3 temporis *A* ‖ 6 munitionem *A* ‖ processerant] *pr. m. corr. ex* successerant *A* ‖ * aut *nos; om. O* ‖ pabulandi *Nipperdeius;* quique pabulandi *O* ‖ *lignandique *A et rec.;* aut lignandi *R* ‖ 7 vallum *Aldus;* vallem *O* ‖ quaeque *Aldus;* quique *O* ‖ rem. *om. L* ‖ 8 *modeste[que] *nos, quia in A supra post* munitionem *insertum est* minutatim modeste, *quae fuit varia lectio olim margini adscripta* ‖ 9 se *om. D* ‖ 10 usque *L in ras.* ‖ 11 obtinerent *O* ‖ 12 missum telum *editt. aliquot (non P, ut scribit Nipp.)*

---

1 [*Iuba*] cum elephanti in aciem producti essent Iubae (25, 5), grammaticus aliquis huius nomen adscripsit, quamquam de Scipione, cui summa rei gerendae permissa fuit, dici apertum est. — *universis copiis*] ad elephantos referendum est prioribus diebus non in aciem productos, quia Scipio in eorum opera non magnam fiduciam ponebat. 27, 2. — *elephantisque*] Particula que non novam adiungit sententiam, quia iam antea peditum equitumque instruxerat aciem, sed alter ablativus absolutus ad vocem ‘universis’ accuratius definiendam additus est. — *turritis*] 41, 2: vocabulum a poetis sumptum, qui eo de Cybele, aliis utuntur. Verg. Aen. 6, 785. 8, 693. Silius 9, 239. Imitatus est Plinius n. h. 8, 22. — 2 *porrecta*] cf. ad 17, 1. — 3 *uno tempore*] omnes simul tam peditum quam equitum copias eduxit; cui opponitur 32, 1 paulatim reducit suas copias, id est primum pedites, deinde equites.

31. 6 *extra munitiones*] cui respondent in sequentibus ‘intra munitiones se recipere’; quamquam ap. Caes. 6, 36, 1 editur ‘extra munitionem egredi’, ceteris tamen locis et Caesar et Asinius plurali usi sunt (extra, intra m.). — 7 *vallum*] Livius 8, 38, 7 ut vallum (vallus?) peteretur opusque inciperet. — *ad eam rem*] scil. munitionem castrorum. — 8 *minutatim*] 78, 7 m. cedere (Caes. II 40, 2 paulatim cedere) ita in locum particulae paulatim successit, ut minutus in locum adiectivi parvus. Cf. ad 27, 1. Tert. de an. 53 paulatim ac minutatim. — *modeste*[*que*] asyndeton allitteratione commendatum, ut 40, 5 pretio pollicitationibus; ipsum autem adverbium insolentius dictum pro ‘animo non perturbato’, quod iis explicatur quae subsequuntur. — 9 *in opere consistere*] ad solita (vallandi etc.) munia redire. Cf. 32, 2 ad opus redire et per causam munitionum tirones in laboribus defatigare. — 11 *locum*] antea occupatum.

propius accederetur, quam honestissime se intra munitiones
3 reciperent. Alii quoque equitatui edicit, uti suo quisque
4 loco paratus armatusque praesto esset. Atque haec non ipse
per se coram, cum de vallo prospecularetur, sed mirabili
[peritus] scientia bellandi in praetorio sedens per specula-
5 tores et nuntios imperabat [quae fieri volebat]. Animadver-
tebat enim, quamquam magnis essent copiis adversarii freti,
tamen saepe a se fugatis, pulsis perterritisque et concessam
vitam et ignota peccata; quibus [rebus] numquam tanta
suppeteret ex ipsorum inertia conscientiaque animi victoriae
6 fiducia, ut castra sua adoriri auderent. Praeterea ipsius
nomen auctoritasque magna ex parte eorum [exercitus]

1 prius *A* ‖ intra] in *P* ‖ 3 *atque] ad *ALPVD* ‖ 5 *[peritus] *inclusimus;* penitus *Lipsius: an scr.* praeditus? ‖ 6 *[quae fieri volebat] *inclusimus* ‖ 9 pec̄c̄a *L* ‖ *[rebus] *inclusimus* ‖ 12 *[exercitus] *inclusimus*

---

1 *honestissime*] quoniam omnis receptus turpis esse existimatur, imperavit, darent operam ne fugae speciem praeberent. — 2 *alii equitatui*] Fluxit hoc ex sermone prisco; cf. Coelius Antipater 25 P. cum cetero exercitu; id. 57 cum cetera copia; Asinii vestigia pressit Sall. Cat. 36, 2 c. multitudo; 59, 5 c. exercitum etc.; postea Livius (7, 19, 2 vulgus aliud) et Tacitus, cui trita sunt: cetera manus, cohors, iuventus, familia, e cetero senatu, aliud vulgus, annal. 3, 42. Caesar contra et Cicero non ausi sunt haec pronomina substantivis collectivis adiungere nisi numero plurali. — 3 *atque haec*] quod adhuc edebatur 'at haec' parum placet, quia et Asinius particula *at* nullo alio loco usus est neque enuntiato ulla inest oppositio; cf. § 8. — 4 *prospecularetur*] verbum novicium, postea ab Livio adscitum. — *mir. scientia b.*] ablativus qualitatis cum verbo imperabat coniungendus; 22, 2 mirabili celeritate; 37, 4 campus mirabili planicie patet; 40, 6 corpora mirifica specie: nisi potius scribendum 'm. praeditus s. b.' coll. 22, 4. 5. 58, 2. 69, 4 mirabili velocitate praediti. — 6 *nuntios*] Ordonnanzen; ex hoc loco auctorem commentarii in ipso praetorio tetendisse intellegitur. — *quae fieri volebat*] Scribendum certe erat 'vellet' coll. 7, 1. 46, 1. 57, 2. Caes. 7, 16; II 44, 3: sed obiecto utique nullus hic locus, quia 'haec' ab imperandi verbo suspensum est. — 8 *f. pulsis perterritisque*] et ὕστερον πρότερον et inversa gradationis ratio; nam in multis proeliis hostes in terrorem coniectos loco cedere coegerant, in multis adeo in fugam dederant. Alia habes exempla 23, 2 prostratos perterritosque; 26, 4 oculos ad mare depositos derectosque; 31, 3 paratus armatusque; 41, 2 elephantis interpositis armatisque: praeterea participia hoc loco ratione numerorum habita collocata sunt. — 9 *ignota peccata*] condonata. Participio perf. verbi ignoscendi plerique scriptores uti noluerunt, ne confunderetur cum homonymo ignotus = non notus: scripsit tamen Terentius Ad. 474 ignotum'st, creditum'st, et Cic. inv. 2, 100 quibus in simili excusatione non sit ignotum, nec spretam fuisse hanc formam in sermone prisco colligitur ex Catonis fragmento ap. Prisc. 10, 18 (p. 510, 22 H.) mihi ignoturus est. Quod ad rem attinet, respexit deditionem Corfinii et Massiliae, clementiam in pugna Pharsalica comprobatam. Suet. div. Iul. 75 proclamavit, ut civibus parceretur. — *quibus*] adversariis.

minuebat audaciam. Tum egregiae munitiones castrorum, 7
[atque] valli fossarumque altitudo et extra vallum stili caeci
mirabilem in modum consiti vel sine defensoribus aditum
adversariis prohibebant: scorpionum, catapultarum ceterorum-
que telorum, quae ad defendendum solent parari, magnam
copiam habebat. Atque haec propter exercitus sui praesentis 8
paucitatem et tirocinium praeparaverat, non hostium [vi et]
metu commotus patientem se timidumque hostium opinioni
praebebat. Neque idcirco copias [quamquam erant paucae 9
tironumque] non educebat in aciem, quod victoriae suae
diffideret; sed referre arbitrabatur, cuiusmodi victoria esset
futura: turpe enim sibi existimabat, tot rebus gestis tantis-
que exercitibus devictis, tot tam claris victoriis partis, ab
reliquiis adversariorum suorum ex fuga collectis se cruentam

1 tum] tam̄ (*i. e.* tamen) *L* ‖ 2 *[atque] *om. A* ‖ 5 quae *om. PV* ‖ defendum *A* ‖ parari solent *L* ‖ 6 habebant *L* ‖ at *D* ‖ 7 *[vi et] metu: et metu *om. L* ‖ 8 patientem *Ciacconius* (*cf. 35, 2* patientia); sapientes *O* ‖ 9 *[quamquam . . . tironumque] *inclusimus* ‖ 10 deducebat *L* ‖ quod] qui *ALPV;* quia *D* ‖ *suae *AD;* suorum *R* ‖ 11 erat ventura *A* ‖ 12 existimabant *APV* ‖ 13 partis *om. L* ‖ 14 *reliquiis] reliquis copiis *O*

---

2 *stili*] proprie stigmuli (a στίζω), stĭmuli, τρίβολοι, tribuli, Fufsangeln; Caes. 7, 73, 9 ante haec taleae pedem longae ferreis hamis infixis totae in terram infodiebantur mediocribusque intermissis spatiis omnibus locis disserebantur, quos stimulos nominabant. Veget. epit. 3, 24. Polyaen. strat. 1, 39, 2. 4, 3, 17. Caeci autem dicuntur stili, quia aggredientes latent. — 3 *aditum prohibebant*] Caes. II 35, 4 loci natura et munitio castrorum aditum prohibebant. — 6 *praesentis*] ‘unter dem Gewehr’; scilicet paucae, quas habebat legiones, ne ipsae quidem plenae (cf. ad 28, 2 et 44, 1. 2) erant et multi milites ex proelio apud Ruspinam saucii. — 7 [*vi et*] *metu*] Neque quid sibi velit *vi* satis intellegitur, et durissima esset verborum compositio, quia alterum substantivum genetivum subiectivum, alterum obiectivum requirit. Cf. Cic. Pis. 93 quo metu commoti profugisse imperatorem iudicaverunt; id. Font. 30. An scrib. hostium vi (i. e. impetu) aut metu (scil. eorum)? — 8 *opinioni*] famam timiditatis et patientiae apud hostes subiit. — 9 [*quamquam . . . tironumque*] non solum hanc ob causam inclusimus, quod Asinius eandem sententiam § 8 protulerat, sed etiam, quia protasis et apodosis inter se dissident, quam dissensionem monstrabit loci recte conformati comparatio 6, 2: equites, quamquam erant pauci, tamen contra tantam multitudinem audacissime concurrunt. — 10 *suae*] non ‘suorum’; ut enim eventus minus prosperi culpam dux in se recipiebat (turpe sibi existimabat), ita etiam victoriae laudem sibi tribuebat. — 14 *reliquiis*] 19, 3. Florus 4, 2, 64 ‘in Africa cum civibus multo atrocius quam in Pharsalia: hic reliquias partium naufragarum quidam fugae aestus expulerat; nec reliquias diceres, sed integrum bellum’. Quamquam anno insequente (45) reliquias cladis Africanae Cn. et Sex. Pompeii adulescentes iterum in Hispania contraxerunt. — *cruentam adeptum victoriam*] Sall. Cat. 11, 7. 39, 4. 58, 21.

10 adeptum existimari victoriam. Itaque constituerat gloriam exultationemque eorum pati, donec sibi veteranarum legionum pars aliqua [in] secundo commeatu occurrisset.

1 32. Scipio interim paulisper, ut antea dixi, in eo loco commoratus, ut quasi despexisse Caesarem videretur, paulatim reducit suas copias in castra et contione advocata de terrore suo desperationeque [exercitus] Caesaris facit verba et cohortatus suos victoriam propriam se eis brevi daturum
2 pollicetur. Caesar iubet milites rursus ad opus redire et per causam munitionum tirones in labore defatigare non
3 intermittit. Interim [Numidae] Gaetuli diffugere cotidie ex castris Scipionis et partim in regnum se conferre, partim, quod ipsi maioresque eorum beneficio C. Mari usi fuissent Caesaremque eius adfinem esse audiebant, in eius castra

3 *[in] *inclusimus* ‖ 7 *[exercitus] *inclusimus* ‖ 8 cohortans *L* 11 *[Numidae] *incl. Davisius* ‖ *Gaetuli *O;* Gaetulique *vulg.* ‖ 12 se in regnum *L* ‖ 13 Martii *L* ‖ usi *om. ALPV* ‖ 14 adfinem *A;* affinem *R*

---

1 *gloriam exultationemque*] ex. gloriantium. — 2 *veteranarum*] cum constituisset decem in Africa bellum gerere legionibus, sex quidem habuit, sed unam tantum veteranorum, quintam Martiam, 1, 5. — 3 *secundo*] 77, 3 ad milia IIII uno commeatu Caesari occurrerunt: cf. 8, 1. 37, 1.

32. 4 *paulisper*] primum 'maiore parte diei consumpta' (30, 1), postea, cum Caesarem proelium detrectare sensisset, tamdiu ut se hostibus pugnandi potestatem fecisse constaret. — *in eo loco*] quo aciem instruxerat, haud ita longe a Caesaris castris, 30, 2. — 5 *paulatim*] sensim, primum pedites, deinde equites, oppositum ei, quod copias 'uno tempore' in aciem eduxisse scripserat. — 7 *Caesaris*] desperatio rectius opponitur terrori, quem Scipio adversariis iniecisse se credebat, non exercitus desperatio. — 8 *victoriam propriam*] 82, 2; vel quae proprie dici possit victoria, i. e. plena, vel firma, i. e. qua diutina pax paretur. Cf. Nonius p. 361 proprium: diuturnum, quod grammaticus exemplis ex priscis scriptoribus (Accio, Sisenna 67 Pet. ubi scrib. 'propriae spem *victoriae*') petitis confirmat. Liv. 22, 37, 5 ambigue: Victoriam auream . . . haberent propriam et perpetuam. — 10 *per causam munitionum*] non veram causam significat, sed fictam, i. e. praetextum, speciem; a quo differt ablativus 'causā' cum genetivo coniunctus, de quo cf. ad 46, 4. — 11 *Gaetuli*] cf. 35, 4. 6. Qui fuerintne equites an pedites ex voce 'catervatim' diiudicari non potest. Sall. Iug. 80, 1 Gaetulos, genus hominum ferum incultumque. Ceterum codicum scriptura 'Numidae Gaetuli' ideo defendi non potest, quia Gaetuli a Numidis fuere diversi. Sall. Iug. 19, 5 super Numidiam Gaetulos accepimus vagos agitare. Cass. Dio 43, 4, 2 *κἀν τούτῳ οἵ τε Γαιτοῦλοι προσεχώρησαν αὐτῷ καὶ ἕτεροί τινες τῶν πλησιοχώρων, τὰ μὲν δι' ἐκείνους, ἐπειδὴ σφᾶς μεγάλως τιμηθέντας ἤκουσαν, τὰ δὲ καὶ τῇ τοῦ Μαρίου μνήμῃ, ὅτι προσήκων αὐτοῦ ἦν.* — 12 *in regnum*] scil. Iubae. — 13 *beneficio C. Mari*] 'Zugleich wurden die gätulischen Stämme im innern Africa als freie Bundesgenossen unter die mit den Römern in Vertrag stehenden unabhängigen Nationen aufgenommen.' Mommsen, Röm. Gesch. II[5] 159. — 14 *adfinem*] Marius Iuliam, sororem Caesaris patris, in matrimonium duxerat. Plut. Mar. 6. Caes. 1.

perfugere catervatim [non intermittunt]. Quorum ex numero 4
electis hominibus inlustrioribus [Gaetulos] et litteris ad suos cives datis, cohortatus, uti manu facta se suosque defenderent, ne suis inimicis adversariisque dicto audientes essent, mittit.

33. Dum haec ad Ruspinam fiunt, legati ex Acylla, 1
civitate libera et inmuni, ad Caesarem veniunt seque [paratos] quaecumque imperasset [et] libenti animo facturos pollicentur; tantum orare et petere [ab eo], uti sibi praesidium daret, quo tutius id et sine periculo facere possent; se et

1 *[non intermittunt] *inclusimus* ‖ 2 collectis *A* ‖ [Gaetulos] *incl. Morus* ‖ suetos *A* ‖ 5 *Acylla *A U et sic plerumque;* Acilla *P;* Achilla *L* ‖ 6 et inmuni *Rubenius;* etiam undique *O* ‖ *[paratos] *inclusimus;* parato *Davisius* ‖ 7 *[et] *inclusimus* ‖ 8 *[ab eo] *om. L* ‖ ut si praesidium *A;* ut si praedium *P*

---

1 *perfugere catervatim*] Caterva cum plerumque dicatur manus barbarorum incondita neque ordinibus instructa, adverbium etiam a Lucretio et Sallustio usurpatum bene refertur ad Gaetulos: antiquius et Romanis proprium est manipulatim (Plaut. Sisenna); turmatim quoque Caesari ac Sallustio usitatum; a cohorte eiusdem generis adverbium ductum non est. Diomed. p. 407, 7 K. Perfugĕre autem est infinitivus historicus, ut supra diffugere et se conferre, eaque constructio optime concordat cum particula interim, ut 1, 5. 6, 7. 7, 4 etc. Perperam autem grammaticus, ex cuius exemplari codices nostri manarunt, explicandi causa adscripsit 'non intermittunt', quod additamentum petivit ex § 2. — 3 *manu facta*] Caes. III 9, 6. — 4 *inimicis*] non hostes patriae, sed sibi iratos adversarios dixit. — *dicto audientes*] 57, 3; item apud Caesarem; Accius trag. 442 dicto oboediens. — *mittit*] ad suos cives, ut supra dixit Asinius; 55, 1 missos.

33. 5 *dum haec . . . fiunt*] Apud Caesarem constanter 'dum haec geruntur' (ut infra 36, 1. 93, 1), addita etiam loci significatione (in Hispania, in Venetis, ad Gergoviam, apud hostes) vel personae (a Caesare); infra 28, 1. 53, 1 dum haec ab utrisque ducibus administrantur. — *Acylla*] In re incerta standum erat a codice A, cui patrocinatur Livius 33, 48, 1; incolae in lege agraria (Corp. inscr. lat. I 200, 79) dicuntur Aquillitani. Apud Strabonem p. 831 est Ἀχόλλα, item apud Plinium nat. h. 5, 30 (oppida libera triginta, ex quibus dicenda . . . Achollitanum); libera et immunis dicitur civitas, ut Leptis, apud Asinium 7, 1. — 7 *lib. an. facturos pollicentur*] 7, 1 legati veniunt, libenter se omnia facturos pollicentur: quod autem in codd. additum est paratos, non in 'parato' emendandum erat, quia 'paratus animus' dici solet de vitae periculum facientibus. Caes. I 71, 2 ne dubitaret proelium committere; omnium esse militum paratissimos animos. Sall. Cat. 58, 8 forti atque parato animo sitis. Desumpta interpolatio ex 6, 7 paratos esse quae imperasset facere; particula *et* post 'imperasset' tradita ex mera dittographia orta. — 8 *orare et petere uti*] 36, 2 orant ut sibi praesidium mittat. Quod grammaticus quidam addidit 'ab eo', hactenus recte fecit, quod petendi verbum plerumque hanc habet constructionem (cf. ind. verb.); sed idem et absolute ponitur (35, 3 petierunt, ut sibi liceret proloqui), et cum orandi coniunctum eadem ratione usurpatur 77, 1 petunt orantque, ut suis fortunis auxilium ferret. 74, 1.

frumentum et, quaecumque [res] eis suppeterent, communis
2 salutis gratia subministraturos. Quibus rebus facile a Caesare
impetratis praesidioque dato, C. Messium, aedilicia functum
3 potestate, Acyllam iubet proficisci. Quibus rebus cognitis
Considius Longus, qui Adrumeti cum duabus legionibus et
equitibus DCC praeerat, celeriter ibi parte praesidii relicta
4 cum VIII cohortibus ad Acyllam ire contendit. Messius cele-
rius itinere confecto prior Acyllam cum cohortibus pervenit.
5 Considius interim, cum ad urbem accessisset cum copiis et
animadvertisset, praesidium Caesaris ibi esse, non ausus
periculum suorum facere nulla re gesta pro multitudine ho-
minum rursus se Adrumetum recepit; deinde, paucis post
diebus equestribus copiis ab Labieno adductis, rursus Acylli-
tanos castris positis obsidere coepit.
1 **34.** Per idem tempus C. Salustius Crispus, quem paulo

1 *[res] *inclusimus* ‖ eis] *L sec. manu sup. scr.*; ei *APUFV* ‖ *suppeterent] suppeteret *O* ‖ 6 ibi *om. L* ‖ 7 celeriter *LV* ‖ 9 *accessisset cum c. *L*; cum c. a. *R* ‖ 12 se *om. L* ‖ paucis post diebus *L* (post *inter versus P; om. D pr. m.*) ‖ 13 Acyllistanos *A* ‖ 15 *idem *LF*; id *R* ‖ (Salustius *ALFVD*) ‖ *paulo ante] paucis ante diebus *O*

---

1 *eis*] = sibi, in enuntiato secundario, qui usus pronominis demonstrativi cum apud alios scriptores (cf. Draeger, synt. I § 29, b) occurrit, tum apud Polionem admodum frequens est: 58, 4 eum = se; 59, 5 eius = suus; 69, 5. 79, 1 eorum = suorum. — *c. salutis gratia*] communis salutis causa Caes. 7, 2, 1. 7, 29, 7; salutis omnium causa Cic. divin. Caec. 9; Catil. 4, 8. Cf. ad 46, 4. — 3 *aedilicia*] ut ap. Plaut. Capt. 823 aediliciae edictiones; tribunicia potestas. Ciceronis autem aetate 'homo aedilicius' dicebatur, qui dignitatis esset aediliciae (Cyrill. Corp. gl. II 217, 2 ἀγορανόμος: edilicius, edilis), unde nova nominis notio emersit, ut aedilicius diceretur, qui aedilitate functus esset. Hanc ut vitaret ambiguitatem, Asinius maluit circumlocutione uti. Arch. lex. lat. V 426. — 6 *praeerat*] 3, 1. — 7 *ad Acyllam*] quia Acyllam non venit; in der Richtung auf A. — 8 *cum cohortibus*] tribus fere vel quattuor, ut colligitur ex § 5 'multitudine' (nisi potius verba ab interpolatore addita sunt; nam aut scribendum erat 'cum suis cohortibus', ut Messius Considio opponeretur, aut de numero copiarum § 2 dicendum erat). — 11 *periculum suorum f.*] locutio haud rara, nisi quod plerumque de hostibus dicitur; 79, 1 legionum p. f. Caes. 1, 40, 5 factum eius hostis (Germanorum) periculum patrum memoria. Nostro loco est: virtutem suorum militum experiri. — *multitudine*] octo cohortium. — 12 *rursus*] Acyllam revertit oppidumque obsidere coepit. — 14 *obsidere*] ex hoc verbo oppidum vallo moenibusque munitum fuisse conicere licet.

34. 15 *per idem tempus*] interim, id est: dum Acyllitani ad Caesaris causam se adiungunt. Cf. ad 1, 2. — *paulo ante*] id est, supra cap. 8, 3. Cf. 24, 1 quas paulo ante demonstravimus; 41, 3 in eo loco, quo paulo ante commemoravi; 32, 1. 51, 6. 96, 2 ante; 55, 1. 73, 1. 80, 3 supra. Quod in codd. et edd. est 'paucis ante diebus' ideo suspicionem movet, quod computatis temporibus Sallustium multis

ante missum a Caesare cum classe demonstravimus, Cercinam
pervenit. Cuius adventu C. Decumius quaestorius, qui ibi cum 2
grandi familiae suae praesidio praeerat [commeatui], parvulum
nactus navigium conscendit ac se fugae commendat. Salustius 3
interim praetor a Cercinitanis receptus magno numero fru-
menti invento naves onerarias, quarum ibi satis magna copia
fuit, conplet atque in castra ad Caesarem mittit. Alienus 4
interim proconsul Lilybaeo in naves onerarias inponit legiones
XIII. et XIIII. et equites Gallos DCCC, funditorum sagittario-
rumque mille, ac secundum commeatum in Africam mittit
ad Caesarem. Quae naves ventum secundum nactae quarto 5

1 Cerninam *A L et rec.* ‖ 2 *Decumius *L;* Decimius *vel* Decimus *R* ‖ questor *L* ‖ 3 *familiae suae *A et rec.;* familiae *P;* familia *L. An scrib.* cum grandi familia sua? ‖ *praesidio praeerat *A U F V D;* praeerat praesidio *L P* ‖ *[commeatui] *inclusimus* ‖ 4 *nactus navigium *L;* navigium nactus *R* ‖ ac . . . commendat *L in fine paginae om.* ‖ 5 Cercinitanis *F;* Ceronitanis *L P V;* Cercinianis *U;* Cermatibus *A;* Cercinatibus *D corr.* ‖ 6 invento] et vini *A* ‖ oneratas *A P F V* ‖ 8 e Lil. *U F V;* a Lil. *D;* Clylybeo *A* ‖ navis *Nipp. Kr. Dint.* ‖ 9 et equites] equites *L* ‖ 10 mille] ∞ *A;* eosque *L*

---

ante diebus Cercinam missum esse apparet. Itaque grammaticum aliquem Asinii verba ‘paulo ante’ interpretari voluisse, sed ad tempus relata falso interpretatum esse existimandum est. — 1 *missum*] scil. Cercinam. — 2 *Decumius*] Haec nominis forma ab Asinio prisci sermonis amantissimo abiudicanda non erat, praesertim cum in lapidibus passim inveniatur Decumia, Decuminus, DCVMIVS. Corp. inscr. lat. V 7241. VII 120. Praeterea prisca vocalis indoles servata est in decuma (hora), in decumis (partibus praedae), in adiectivo et substantivo decumanus, in agris decumatibus, aliis. — Cf. Cic. Att. 4, 16, 9. — *ibi . . . praeerat*] i. e. oppido sive insulae, ut 33, 3 Adrumeti cum duabus legionibus praeerat; 76, 1 qui ibi praeerat; 86, 3 Thisdrae, ubi Considius praeerat: ‘commeatui’ autem a glossatore additum est, qui ex § 3 magnum ibi frumenti numerum inventum esse intellegeret, parum feliciter, quoniam eum, qui Cercinae praefuit, commeatui quoque praefuisse patet, alioque spectat, quod ap. Caes. 7, 3, 1. C. Fufius, honestus eques Romanus iussu Caesaris rei frumentariae praefuisse scribitur. Sed ‘praesidio’ quoque interpolationi deberi videtur, ne quis familiam intellegeret de uxore liberisque, cui errori grammaticus 93, 1 quoque succurrere studuit. — 4 *nactus*] Hanc Asinius formam probavit ad similitudinem verbi paciscor, pactus sum; rectius Caesar alteram nanctus, quod a nancio (Gracchus ap. Prisc. 10, 21) ductum est, ut sanctus a sancio. Cf. ad 28, 1. — *se fugae commendat*] mandat, ut ap. Caes. 1, 12, 3. 2, 24, 2. 5, 18, 5. 7, 67, 6. — 5 *praetor*] 8, 3; idem post pugnam apud Thapsum proconsul fuit Africae, 97, 1. — *interim*] eodem tempore, quo Salustius frumento potitus est. — 8 *proconsul*] cf. ad 2, 3. — *Lilybaeo*] nisi corruptum est, per brachylogiam dictum esse videtur pro: Lilybaei imponit et Lilybaeo mittit. — 9 *funditorum mille*] constructio apud Caesarem ac Ciceronem rara, usitata priscis scriptoribus. Plaut. Bacch. 928 mille navium; Cato orig. 26 Pet. m. passum; Claud. Quadrig. 44 Pet. m. hominum; Gellius 1, 16, 1 sq.

die in portum ad Ruspinam, ubi Caesar castra habuerat, in-
6 columes pervenerunt. Ita Caesar duplici laetitia ac voluptate
uno tempore auctus, frumento auxiliisque, tandem suis hila-
ratis annonaque levata sollicitudinem deponit, legiones equi-
tesque ex navibus egressos iubet ex languore nausiaque refi-
cere, dimissos in castella munitionesque disponit.
1 **35.** Quibus rebus Scipio, quique cum eo erant [comites],
mirari et requirere: C. Caesarem, qui ultro consuesset bellum
inferre ac lacessere proelio, subito commutatum non sine
2 magno consilio suspicabantur. Itaque ex eius patientia in
magnum timorem coniecti ex Gaetulis duos, quos arbitra-
bantur suis rebus amicissimos, magnis praemiis pollicitationi-

3 frumento auxiliisque *del. Novák*, *fort. rectius* ‖ tam densius *A* ‖ hilaratus *UFD*; exhilaratis *Dinter* ‖ 4 annonaque levata *Davisius*; annoneumque levata *P*; annoneumque levatam *A*; annonaeque levata *UFD*; animum levata *L* ‖ sollicitudine *O praeter ALδ* ‖ 5 nausieaque *L*; nauseaque *R* ‖ 6 divisos *Nipperd.* ‖ 7 quique] et qui *A* ‖ *erant] *L*; essent *R* ‖ [comites] *om. cod. Buslid. et del. Kreyssig* ‖ 8 mirati *LPV*; $\overset{m}{\text{irati}}$ *A* ‖ 11 ex Gaetulia *F*

---

1 *habuerat*] constituerat et habebat. — *incolumes*] nisi quod duae naves ab hostibus captae sunt, cp. 44, 1. 2. — 3 *uno tempore*] simul, cf. ad 6, 1. — *auctus*] 'beglückt', ut ap. Catull. 64, 25 taedis a. — *hilaratis*] verbum poetis adamatum, Catullo, Vergilio, Ovidio, sed iam a Cicerone receptum. — 4 *annonaque levata*] Cic. Mil. 72 Sp. Maelium, qui annona levanda in suspicionem incidit regni appetendi; cui opponitur gravis annona 24, 3. Abiecimus coniecturam olim factam 'animum levatur', quia hunc accusativi usum apud Tacitum (ann. 6, 43 animum adlevatus) rarissimum, Asinii aetate plane insolitum fuisse concedendum est. — 5 *nausiaque*] cf. ad 18, 4. — *iubet reficere*] scil. medicos et quorum curae id demandatum erat; itaque non solum vacationem militiae eis concessit, ut otio *se* reficerent, sed impensiore corporis cura (mollioribus stratis in tentoriis factis?) eos refoveri iussit. Tac. hist. 1, 31 longa navigatione aegros inpensiore cura Galba refovebat. — 6 *dimissos*] scil. ex cura custodiaque medicorum. — *disponit*] dispertit; e morbo recreatis non stationum, vigiliarum, valli muniendi labores iniunxit, sed eos ad tempus praesidii causa in castellis collocavit.

35. 7 *quique cum eo erant*] ut 57, 1; 86, 1 quique cum eo obsidebantur, unde 'comites' interpolatoris esse apparet; coniunctivus autem scribae oculis ad 'qui consuesset' aberrantibus ortus esse videtur. — 8 *requirere*] absolute 'nachdenklich werden'. Cf. 10, 2. — 10 *magno consilio*] 'es müfsten gewichtige Erwägungen sein, dafs u. s. w.' Val. Max. 1, 8, 2 non sine magno metu; 6, 2, 4 nec sine magna laude; 6, 7, 2 non sine magno periculo. Cf. ad 58, 4. — 12 *suis rebus amicissimos*] = suae causae, ut 79, 2 fidissimos suis rebus, et ap. Caesarem rebus alicuius favere, studere; amicus autem, praesertim comparativo et superlativo gradu adiectivi indolem retinens, cum dativo rei coniungitur apud Cic. Att. 7, 1, 6 amicior Phrygum aerariis; Nep. Milt. 3, 6 omnium libertati; Hor. epist. 1, 2, 26 amica luto sus. — *praemiis pollicitationibusque*] Caes. 3, 18, 2. 26, 1. I 56, 2. Asinius

busque propositis pro perfugis speculandi gratia in castra
Caesaris mittunt. Qui simul ad eum sunt deducti, petierunt, 3
ut sibi liceret [verba] sine periculo proloqui. Potestate facta, 4
Saepenumero, inquiunt, *imperator, conplures Gaetuli, qui sumus clientes C. Mari, et propemodum omnes cives Romani, qui sunt in legione* IIII. *et* VI., *ad te voluimus intra tua praesidia confugere; sed custodiis equitum Numidarum, quo id sine periculo*

1 propere fugisse *A*; prospere fugisse *P V;* spē (i. e. specie) fugae *L* ‖ 2 Caesaris castra *V, Dinter, Kraner* ‖ 3 *[verba] *inclusimus* ‖ 4 inquiunt *L δ*; inquit *R* ‖ 5 Marii *L* ‖ 6 religione *A* ‖ ·III· *L* ‖ *intra tua] in tua *L D pr. m.;* in tuaque *R* ‖ 7 q id *L;* quod id *P V*

---

ap. Cic. epist. 10, 32, 4 legiones arcessere pollicitatione; legiones infinitis pollicitationibus incitare; infra 40, 5 pretio pollicitationibus. Vocabulum Plauto, Terentio, Sallustio usurpatum, a Cicerone consulto evitatum (p. Scaur. 38 promissione praemiorum). — 2 *simul sunt deducti*] = simulac, inde a Terentio (Phorm. 823 hic simul argentum repperit, cura sese expedivit) usu receptum ac vel Caesari ac Ciceroni probatum. Ac fuit sane haec antiquissima παρατάξεως forma, ut duobus enuntiatis primariis duae res simul accidisse dicerentur (venit; simul sol occidit); postea copula iungebantur hunc in modum: venit ac simul sol occidit; postremo: venit simul, ac (= simulac) sol occ. — 3 *proloqui*] 'frisch von der Leber weg reden'; 44, 4 quid sentiatis, proloquimini. Plaut. Epid. 3, 4, 32 quid ego apud te parcam proloqui? 'verba' vel potius 'verba facere' a ludi magistro explicandi causa adscriptum est. Varro ling. lat. 6, 7, 56 prolocutum (dicimus), cum in animo quod habuit, extulit loquendo. Aliud autem significat, quod scripsit Terentius Andr. 256: censen' me verbum potuisse ullum proloqui? nimiam scilicet animi perturbationem, quae dicenti spiritum ac vocem intercludit. — 4 *saepenumero*] hoc uno belli Africi loco positum scriptorem voluisse orationi aliquid addere gravitatis indicat; similiter initio posuit Cic. de orat. 1, 1. — 5 *C. Mari*] cf. ad 32, 3. — *propemodum omnes*] 92, 4. 'Prope' cum et ad locum et ad tempus referretur, ad alterum, ne res in ambiguo esset, addebatur 'die', id est ratione temporis (diei) habita, unde natum illud propediem; pariter particulae prope ad mensuram sive numeros relatae adnectebatur 'modo', ut propemodo comparari possit cum saepenumero. Sed hoc quoque similiter corruptum abiit in propemodum, quasi accusativus suspensus esset ex particula. Quare Caesar vocabulo consulto abstinuit; videbat enim alterum male formatum, alterum non necessarium errorique obnoxium esse ('fere omnes' legitur sedecim locis). 'Postmodo', i. e. post, idque modo post, scripsit Asinius ap. Cic. epist. 10, 33, 1. — 6 *intra tua praesidia*] Intra praesidia alicuius esse dicuntur, qui extremas suorum stationes transgressi se fidei adversariorum imperatoris permiserunt aut volentes ab aliquo militant: 20, 4 intra sua p. commigrare. Caes. III 83, 3 qui intra p. Pompei fuissent. Cic. Att. 1, 20, 2 i. alterius p. venire; 8, 11 D, 4 qui i. p. atque intra arma aliena venissent. Livius 24, 48, 10 Numidas, qui i. p. Carthaginiensium auxiliares essent, ad transitionem perlicerent, et sic passim (25, 24, 15. 25, 31, 3. 38, 11, 4. 43, 7, 4). Cf. Pomponius Dig. 49, 15, 5. Landgraf ad Cic. or. pro Rosc. Am. § 126. — Quo Gaetuli tendant, bis expressum (ad te, intra tua praesidia), ut 4, 2 in oppidum ad Considium. — 7 *quo . . . minus*] a Caesare nusquam cum verbis impediendi coniungitur. In Scipionum elogiis est: Ne quairatis honore

minus faceremus, impediebamur. Nunc data facultate pro speculatoribus missi ab Scipione ad te cupidissime venimus, ut perspiceremus, num quae fossae aut insidiae elephantis ante castra portasque valli factae essent, simulque consilia vestra contra easdem bestias comparationemque pugnae cognosceremus
5 *atque eis renuntiaremus.* Qui collaudati a Caesare stipendio-
6 que donati ad reliquos perfugas deducuntur. Quorum orationem celeriter veritas conprobavit: namque postero die ex legionibus his, quas Gaetuli nominarunt, milites [legionarii] conplures ab Scipione in castra Caesaris profugerunt.

1 **36.** Dum haec ad Ruspinam geruntur, M. Cato, qui Uticae praeerat, dilectus cotidie libertinorum, [Afrorum] servorum, denique [et] cuiusquemodi generis hominum, qui modo per aetatem arma ferre possent, habere atque sub manum
2 Scipioni in castra submittere non intermittit. Legati interim

1 pro . . . Scipione *L in ras. prima manu* ‖ 2 *ab] a *Dδ*, *vulg.* ‖ 6 *eis *A;* his *LP* ‖ a *om. APV* ‖ 9 *[legionarii] *inclusimus* ‖ 10 *profugerunt *Lδ*; perfugerunt *R* ‖ 12 dilectus *L;* delectus *R* ‖ *[Afrorum] *inclusimus* ‖ 13 *[et] *inclusimus* ‖ 14 *possent *L;* poterant *R* ‖ summam manum *L;* summanum *PV* ‖ 15 submittere] summittere *O; sed cf. 78, 3*

---

quei minus sit mandatus, id est: nolite quaerere qui factum sit, ut ad honores non ascenderet; mors scilicet praematura prohibuit. Hinc assumpsit comparativus vim negationis superlativo (minime) plerumque expressam, neque utique cum pronomine 'quo' coniungendum esse docet Terentius Andr. 196 Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis Fallaciae conari, quo fiant minus; Hec. 630 ne revereatur, minus iam quo redeat domum. Comparandum quin = qui ne. — 2 *cupidissime*] libentissime. Asinius ap. Cic. epist. 10, 31, 1 cupidissime scribam ad te; Id. in oratione pro Lamia apud Sen. suas. 6, 15. — 5 *easdem*] has. — *bestias*] sic Asinius constanter de elephantis, quos Cicero ac Livius beluas dixerunt. Cf. Ad. Miodoński, De usu vocabuli bestia. Dissert. acad. Cracov. 1886. — 6 *stipendio*] praemio. — 8 *conprobavit*] De clausula cf. ad 1, 4 confidebat. — 10 *profugerunt*] 26, 2 ex oppidis profugere et in castra Caesaris devenire; b. Hisp. 1, 1 ad Pompeium profugere.

36. 12 *libertinorum, servorum*] 19, 3 libertinis servisque, et ad 23, 1. 'Afrorum' et hoc uno loco legitur neque significat quartum quoddam genus hominum, quia etiam libertinos servosque Afros fuisse statuendum est. — 13 *c. generis hominum*] verbi causa latronum. — *qui modo arma ferre possent*] Sollemnis formula de iis, qui munus militiae sustinere possunt (Caes. 6, 18, 3). Livius 1, 44, 2 eorum, qui arma ferre possent; 3, 4, 10 conscribendos omnes, qui arma f. possent; 3, 42, 6 qui per aetatem a. f. possent; nostro autem loco coniunctivus ideo necessarius est, quia addita particula modo sententia haec exprimitur: dummodo arma ferre possent. Sall. Cat. 39, 6 cuiusque modi genus hominum, quod modo bello usui foret. — 14 *sub manum*] i. e. eo ipso die, quo dilectum habuerat, vel pauco post mittebat. — 15 *submittere non intermittit*] Talia utrum studio quaesita an neglegenter scripta sint, dubitari potest; nisi forte 'non intermittit' a grammatico additum est. Cf. ad 23, 3.

ex oppido Thysdrae, in quo tritici modium milia CCC con-
portata fuerant a negotiatoribus Italicis aratoribusque, ad
Caesarem venere, quantaque copia frumenti apud se sit, do-
cent simulque orant, ut sibi praesidium mittat, quo facilius
et frumentum et copiae suae conserventur. Quibus Caesar 3
in praesentia gratias egit praesidiumque brevi tempore se
missurum dixit, cohortatusque ad suos cives iubet proficisci.
P. Sitius interim cum copiis Numidiae fines ingressus castel- 4
lum in [montes] loco munito locatum, in quod Iuba belli
gerendi gratia et frumentum et res ceteras, quae ad bellum
usui solent esse, conportaverat, vi pugnando est potitus.

1 Thysdrae *A U*; Thisdrae *P*; Thisdore *L* ‖ quo *L P*; quod *R* ‖ comportati *L sec. m.* ‖ 3 venere] venire *A, et Fröhlich p. 29* ‖ aput *A*; apud *R* ‖ 7 cohortatisque *A* ‖ ad suos proficisci iubet *L* ‖ 8 Numidae *A U V* ‖ 9 *[montes] *A U F V D δ*; montis *L* ‖ belligerandi *L* ‖ 11 esse solent *L* ‖ *vi pugnando] vi expugnando *O* ‖ est potius *A*; potitus est *L*

---

1 *ex oppido Thysdrae*] De genetivo cf. 58, 4 in oppido Uzitae; 87, 1 ad oppidum Paradae; 91, 2 in oppido Zamae. Cic. Att. 5, 18, 1 in oppido Antiochiae. Quod ad nominis formam attinet, *Θύσδρος* legitur apud Ptolem. 4, 3, 39; Tusdrus in Itiner. Anton. p. 59, quocum cf. Plin. n. h. 5, 30: nostro autem loco lectio in L tradita Thisdore in codice, unde ille descriptus est, Thisdre supra scripta *o* in Thisdro correctum fuisse docet. Hodie El-Djemm, vel potius Ledjemm; Tissot II 15 adnot. 5. 'Les ruines couvrent un rectangle de 750 mètres sur 500.' Tissot II 749. — *in quo*] recte coniungitur cum 'conportata fuerant'; in quod rectius cum 'conportaverat' significatione motus praevalente, ut scriptum est § 4. — 3 *venere*] ut 82, 4 coepere, 93, 2 potuere; infinitivo historico 'venire' hic locus non est, quia agitur de re semel facta. Diversi generis est, quod scripsit Asinius 6, 7 interim legationes venire et polliceri frumentum, quia de legatis ex compluribus oppidis missis agitur. — *frumenti*] idem quod supra tritici. — 5 *copiae suae*] oppidanorum, veluti hordeum, pabulum: ceterum 97, 4 Asinius Thysdritanos propter humilitatem civitatis modico numero frumenti multatos esse scribit. — 7 *cohortatus*] scil. eos, quod ex dativo (quibus) eliciendum est. — *cives*] ut non est necessarium, ita defenditur Asinii usu dicendi: 32, 4 litteris ad suos c. datis; 55, 1 Gaetuli ad suos c. perveniunt; 74, 2 transfuga suos c. facit certiores. — 8 *castellum*] accusativum fortasse ideo praetulit, quia 'castello in loco munito collocato' aures offenderet. — 9 *in loco munito*] Hirtius 8, 16, 3 loco munitissimo; 8, 26, 2 loco munito. — *belli gerendi gratia*] verba cum idem fere significent, quod infra dictum est (quae ad bellum usui solent esse), admodum suspecta sunt. — 11 *vi pugnando*] Dicitur oppidum vi capere, oppido vi potiri (87, 2), item oppidum pugnando capere ap. Sall. Cat. 7, 7. Iug. 28, 7. 61, 2 etc.; per abundantiam in sermone prisco 'vi pugnando, vi pugnandoque, pugnandi vi apud Plautum mil. 267, Asin. 555, Amph. 414, Men. 1054; item in columna rostrata Duilii MACEL[AMQ · OPIDOM VI] PUGNANDOD CEPET. Vatinius apud Cic. epist. 5, 10[b] sex oppida vi oppugnando (pugnando?) cepi. De asyndeto bimembri cf. S. Preuss, pg. 71, et Liv. 44, 39, 3 acie pugnando.

1 **37.** Caesar postquam legionibus veteranis duabus, equi-
tatu levique armatura copias suas ex secundo commeatu
auxerat, naves exoneratas statim iubet Lilybaeum ad reli-
quum exercitum transportandum proficisci; ipse VI. Kal. Febr.
circiter vigilia prima imperat, speculatores omnes apparito-
2 resque ut sibi praesto essent. Itaque omnibus insciis neque
suspicantibus vigilia tertia iubet omnes legiones ex castris
educi atque se consequi ad [oppidum] Ruspinam versus, in
quo ipse praesidium habuit et quod primum ad amicitiam
3 eius accessit. Inde parvula proclivitate degressus sinistra

3 *naves exoneratas] naves sex onerarias *AFV;* naves VI onerarias *LPU* (*cf. 8, 1, ubi in L scriptum est* ex onerariis *pro* exoneratis || 5 *omnes apparitoresque *L;* apparitoresque omnes *R* || 7 ex castra *APD pr. m.;* extra castra *VF* || 8 sese *L* || *[oppidum] *inclusimus;* oppidum at *A* || 10 *parvula proclivitate] parvulam proclivitatem *O* || degressus *Kreyssig:* digressus *O*

---

37. 3 *exoneratas*] simulatque exoneravit, scil. militibus impedimentisque, ut 8, 1: quod legebatur 'sex onerarias' et propter numerum iusto minorem nullam habet explicationem, et mirum sane esset, si Caesar ad arcessendas legiones naves onerarias (2, 1) misisset. Intellegendae sunt eaedem naves, quibus legiones XIII. et XIV. advectae erant. 34, 4. — *reliquum*] legiones decimam et nonam, 53, 1. — 5 *circiter*] usurpatur in definiendis partibus diei et noctis, 47, 1; circiter luminibus accensis 89, 5; c. meridiem Caes. 1, 50, 2; praeterea in afferendis numeris. — *omnes . . . ut*] cf. ad 88, 6. — 6 *omnibus insciis*] ad 10, 2; nostro quoque loco constructio durissima et asperrima est, quia legionarii iidem sunt, qui modo casu ablativo dicti sunt inscii. Ceterum Asinius non solum illo die, sed etiam, cum commentarium scriberet, quod habuerit Caesar consilium, ignorasse videtur. 'Les forces, dont il disposait, lui permettaient de ne pas rester plus longtemps bloqué dans son camp. Il se proposait d'inquiéter l'armée ennemie, de la déloger des positions avantageuses qu'elle pourrait occuper, de l'obliger à camper loin de l'eau, et de profiter des fautes qu'elle pourrait commettre.' Stoffel II 122. Id unum quaeritur, utrum Scipio, cum nihil obsidendis castris proficeret aquaeque penuria laboraret, prior Uzitam versus moverit, an Caesar prior castris suis egressus sit. 41, 2. — 7 *suspicantibus*] absolute, scil. causam profectionis. Hor. carm. 2, 4, 22 fuge suspicari — *omnes legiones*] octo, deductis tamen iis cohortibus, quae Ruspinae, Lepti, Acyllae praesidii causa erant collocatae. — 8 *educi, se consequi*] notanda inconcinnitas structurae. Codicis L lectionem 'sese' refellit Charisius p. 111, 3 K. haec ex Caesaris de analogia libris referens: Se et sese pronomina ita distinguit, ut se dicamus, cum aliquem quid in alium fecisse ostendimus, ut puta 'ille dicit se hoc illi fecisse'; cum autem in se ipsum, tunc dicamus sese, velut 'dixit sese hoc sibi fecisse.' Quamquam de hoc discrimine valet, quod Charisius de alio Caesaris praecepto eodem loco scripsit: sed consuetudo hoc non servat. — *ad Ruspinam versus*] ex hoc loco castra non ante ipsas oppidi portas collocata fuisse perspicitur. Cf. 11, 3. — 10 *accessit*] rectius accesserat; 6, 7. — *parvula proclivitate degr.*] ut apud Sallustium Iug. 49, 4 degredi monte (codd. aliquot montem); 50, 1 colle: degredi aliquid latinum non est.

parte campi propter mare legiones ducit. Hic campus mira- 4
bili planicie patet milia passus XII; quem iugum ingens a
mari ortum neque ita praealtum velut theatri effingit in spe-
ciem. In hoc iugo colles sunt excelsi pauci, in quibus sin- 5
gulae turres speculaeque [singulae] perveteres erant conlo-
catae, quarum aput ultimam praesidium et statio fuit Scipionis.
38. Postquam Caesar ad iugum [de quo docui] *pervenit*, 1
ascendit [atque] in unumquemque collem, turres speculasque

1 campi *L inter versus* ‖ 2 *passus *A;* pass̄ *L;* passuum *vulg.* ‖ *ingens *O;* cingens *Nipp. Kr. Dint.* ‖ 3 effingit in speciem] efficit speciem *O* ‖ 4 iugo *L inter versus* ‖ 5 *[singulae] *inclusimus; inter versus L* ‖ preveteres *A* ‖ collocare *L* ‖ 6 quare *ALPUFV* ‖ aput *A;* apud *R* ‖ 7 postquam *UFD;* post *R* ‖ *[de quo docui] *inclusimus* ‖ *pervenit *addidit Vielhaber* ‖ 8 *atque *del. Vielhaber* ‖ turres *δ;* turrem *R;* turremque *Nipperdeius, Dint.* ‖ *speculasque *Vielhaber;* castellaque *O;* castella *Nipp. Dint.*

1 *propter mare*] secundum mare. Cf. ad. 1, 1. Sisenna fragm. 22 P. partem cohortium p. m. collocat in litore. — 2 *patet m. passus*] 10, 2. 63, 1. Galba ap. Cic. epist. 10, 30, 1 ei obviam processeram milia passus centum; Plancus ibid. 10, 17, 1 qui locus a Foro Iulii quattuor et viginti milia passus (cod. Medic.) abest. Nepos Milt. 4, 2; Hannib. 6, 3. Cf. Herm. Hellmuth, Die Sprache der Epistolographen S. Sulpicius Galba und L. Cornelius Balbus. Würzb. 1888. pg. 13 seq. — *iugum ingens*] 'Le mot ingens y donne une idée juste du développement de cette longue chaîne de collines' (Stoffel II 295): praeterea adiectivum defenditur verbis, quae sequuntur, praealtum, excelsi. — 3 *th. effingit in speciem*] Tac. h. 5, 5 qui deûm imagines in speciem hominum effingant. — 5 *turres speculaeque*] Plin. nat. hist. 2, 181 multis hoc cognitum experimentis in Africa Hispaniaque turrium Hannibalis, in Asia vero propter piraticos terrores simili specularum excitato praesidio. Livius 22, 19, 6 multas et locis altis positas turris Hispania habet, quibus et speculis et propugnaculis adversus latrones utuntur. B. Hisp. 8, 3. Hinc intellegitur verba dicta esse per figuram quae dicitur ἓν διὰ δυοῖν. Alterum 'singulae' delendum erat, et quod repugnat consuetudini Asinii (ad 5, 1), et quod 'perveteres' non solum ad speculas referendum est, sed ad turres speculasque.

38. 7 *Postquam*] ideo non in dubitationem vocandum erat, quod § 2 et 3 eadem particula iteratur; quod autem in optimis codicibus omnibus traditum est 'post', uno belli Africi loco 18, 5 (si discesseris a formulis veluti paucis post diebus) legitur quidem adverbii loco positum, non tamen initio sententiae, sed in altero orationis membro: campo pulsis, post colle deiectis. — *de quo docui*] verbum docendi apud Asinium non legitur, nisi cum accusativo coniunctum aut seq. vel accusativo cum infinitivo vel enuntiato interrogativo; 36, 2. 55, 1. 77, 1. — *pervenit*] cf. 81, 1. 85, 5. 'ad iugum ascendit' coniungi non possunt, quia dicitur aut ascendere aliquid (Caesar 1, 21, 2 iugum montis a.), aut in aliquid (Cic. epist. 15, 4, 8 in Amanum). — 8 *turres speculasque c.*] 37, 5: interpolatio 'turres castellaque facere ex 26, 6 (turres, castella facere) desumpta esse videtur. Cepit autem Caesar turres intra brevissimum temporis spatium et quia non defendebantur et quia nondum illuxerat. (Castellis faciendis nullus hic fuit locus, neque talia

2 [facere] cepit, atque ea omnia semihora effecit. Postquam non
ita longe ab ultimo colle turrique fuit, quae proxima fuit castris
adversariorum [in qua docui esse praesidium stationemque
Numidarum], Caesar paulisper commoratus perspectaque na-
tura loci equitatu in statione disposito legionibus opus attri-
buit brachiumque medio iugo ab eo loco, ad quem pervenerat,
usque ad eum, unde degressus erat, iubet derigi ac muniri.
3 Quod postquam Scipio Labienusque animadverterant, equitatu
omni ex castris educto acieque equestri instructa a suis
munitionibus circiter passus mille progrediuntur pedestrem-
que copiam in secunda acie minus passus CCCC constituunt.
1 **39.** Caesar in opere milites adhortari neque adversa-
2 riorum copiis moveri. Cum iam non amplius pass. MD inter
hostium aciem suasque munitiones esse animadvertisset in-
tellexissetque, ad impediendos milites suos et ab opere de-
pellendos hostem propius accedere, necesseque haberet legiones

1 *[facere] *incl. Vielhaber* ‖ cepit (*vel* coepit) *O* ‖ *ea omnia] eo minus *ALPV et cod. Scaligeranus;* ea minus *R* ‖ *effecit *L δ*; efficit *R* ‖ et postquam *UFD* ‖ 2 colli *AF* ‖ 3 *[in qua . . . Numidarum] *inclusimus* ‖ docuisse pr. *APV* ‖ 4 Caesar *om. UFD* ‖ 5 adtribuit *Nipp. Dinter* ‖ 7 *unde degressus] unde egressus *O* ‖ fuerat *F* ‖ *derigi *PUF pr. m.;* dirigi *R* ‖ 8 *animadverterant] animadverterunt *δ* ‖ 10 mille] ·M· *L;* ∞ *UF;* CO *APV* ‖ 11 que *L sec. m. inter versus* ‖ *passus CCCC *A;* CCCC pass. *LP* ‖ 13 *cum iam *L;* iam cum *R* ‖ pass. *ALPUF;* passus *V;* passuum *Dδ* ‖ ∞B. *A* ‖ 16 necesse *LPV*

semihora effici posse inter omnes constat.) ‖ 1 *semihora*] de constituto accusationis sive defensionis spatio Cic. Rab. perduell. 6. — 2 *colle*] ablativus colli, ut defendi potest auctoritate Lucretii, ita Asinio abiudicandus est, quia ceteris locis omnibus 'colle' praebent codices. — 3 [*in qua . . . Numidarum*] verba admodum molesta: nam de praesidio ac statione 37, 5 dictum erat, quod legentibus ob oculos versatur, de Numidis vero illo loco nec vola nec vestigium; denique debebat saltem scribi 'docui fuisse', ne dicam de duobus enuntiatis relativis nulla particula inter se iunctis (cf. 37, 2). — 4 *perspecta natura loci*] 3, 3. 76, 2. Caesar I 66, 3. Ceterum haec verba non aequo iure posita sunt cum 'disposito equitatu', sed ex hoc ablativo suspensa sunt: perspecta loci natura equitatum disposuit — 6 *brachiumque*] non usitatum Caesari; cf. Köhler Act. Erlang. I 489. — 7 *unde degressus*] scil. de summo iugo; quod edebatur 'egressus', ad castra prope Ruspinam referendum esset. 6, 1. 83, 4. — 8 *animadverterunt*] scil. cum prima luce. — 9 *acie equestri . . . pedestrem copiam*] De asyndeto bimembri cf. ad 11, 3; de usu vocabuli copia ad 10, 1. — 11 *passus CCCC*] aut scribi poterat: quadringentis passibus constituunt, aut, si Asinius accusativum praetulit, supplendum ex enuntiato supra scripto: distantem (longe) a munitionibus.

39. 12 *in opere*] coniunge: milites in opere, scil. occupatos; 38, 2. — 13 *cum iam*] 12, 1. 42, 1. 52, 1. 69, 1. 4. 70, 1. — 14 *aciem*] scil. primam equitum. — 15 *ad impediendos*] nullo alio consilio, nisi ut impedirent etc. — 16 *necesse haberet*] locutio ab optimis scriptoribus raro adhibita. Ter. Ad. 51 non necesse habeo agere; Caes. I 84, 5. Cf. Arch. lex. lat. II 71. 381. Cf. Landgraf ad Reis. prael. not. 546[a].

a munitionibus deducere, imperat, ut turmae Hispanorum
ad proximum collem propere occurrerent praesidiumque inde
deturbarent locumque caperent, eodemque iubet levis arma-
turae paucos consequi subsidio. Qui inmissi celeriter Nu- 3
midas adorti partim vivos capiunt, nonnullos [equites] fugien-
tes convulneraverunt locumque sunt potiti. Postquam id 4
Labienus animadvertit, quo celerius suis auxilium ferret, ex
acie instructa equitatus sui prope totum dextrum cornu avertit
atque [suis fugientibus] suppetias ire contendit. Quod ubi 5
Caesar conspexit, Labienum ab suis copiis longius iam abs-
cessisse, equitatus sui alam sinistram ad intercludendos
hostes inmisit.

40. Erat in eo campo, ubi ea res gerebatur, villa per- 1
magna turribus IIII extructa; quae Labieni prospectum im-
pediebat, ne posset animum advertere, ab equitatu Caesaris

1 *ut *A δ; ante* ad *FD; om. R* ‖ turma *A* ‖ 2 accurrerent *UFD* ‖ inde turbarent *LP* ‖ 4 *inmissi] missi *O* ‖ 5 *[equites] *inclusimus* ‖ 6 locoque *L* ‖ 7 *suis] is *U*, his *R* ‖ 9 *suis fugientibus *inclusimus* ‖ 10 iam ab suis copiis longius abscessisse *L* ‖ 13 agebatur *L*

---

1 *imperat ut*] 9, 1; cohortari ut 18, 4; apud Caesarem saepius sequente coniunctivo adhortationis, 4, 21. — *turmae*] nominativus pluralis, quod verborum distinctione significatum est. Iis qui dativum turmae cum imperandi verbo coniungunt et triginta fere equites ad collem occupandum suffecisse statuunt, praesidium cum statione in summo colle fuisse opponi potest, et Labienum suis totum dextrum cornu subsidio misisse. — *Hispanorum*] quorum opera Caesar iam in subigenda Gallia usus erat: 5, 26, 3 Hispanis equitibus emissis. — 4 *consequi*] = sequi (ad 2, 4), subsequi. — *inmissi*] vocabulum proprium de equitibus laxatis habenis incurrentibus, etsi de peditibus quoque dicitur, 18, 5; a quo 'equites emissi' ita differunt, ut supplendum sit portis vel castris. Nostro autem loco participium ita interpretandum, ut Hispanos citatis equis ad collis radices advolasse hostesque oppressisse statuamus. — 5 [*equites*] suspicionem movet, quia omnes Numidas equites fuisse verisimile est; deinde concinnitas orationis turbatur nulla peditum iniecta mentione. — 7 *suis*] ut infra: [suis] suppetias ire contendit, quare haec ab interpolatore adiecta esse suspicari licet; 'iis', quod codices tuentur, quo pertineat, subobscurum est. — 8 *dextrum cornu*] quippe quod propius esset Numidis. — 9 *suis fugientibus*] dativo non opus esse perspicitur ex 41, 2 Scipio . . . suppetias ire contendit. Cf. 25, 1. — 10 *abscessisse*] verbum Plauto ac Terentio, Livio ac Tacito usitatum, contra Caesari ac Sallustio evitatum, a Cicerone uno loco (de divin. 2, 37) adhibitum. Cf. Arch. lexic. lat. V 277 sq. 500 sq. In eius locum substituebatur plerumque 'discedere', de quo cf. ad 6, 6 et ad 7, 4 (digredi).

40. 13 *Erat*] In locorum descriptionibus saepe hoc verbum initio sententiae ponitur, ut 50, 1. 80, 1. — *villa*] cf. ad 9, 1. — 14 *Labieni prospectum impediebat*] Caes. 2, 22, 2 cum sepibus densissimis prospectus impediretur. 'Labieno' scribere noluimus coll. 52, 4 nisi pulvis omnium prospectu offecisset. — 15 *ne posset*] ita impediebat, ut non posset.

2 se intercludi. Itaque non prius vidit turmas Iulianas, quam
suos caedi a tergo sentit. Ex qua re subito in terrorem
converso equitatu Numidarum, recta in castra fugere con-
3 tendit. Galli Germanique, qui restiterant, ex superiore loco
et post tergum circumventi fortiterque restantes conciduntur
4 universi. Quod ubi legiones Scipionis, quae pro castris erant
instructae, animum adverterunt, metu ac terrore obcaecatae
5 omnibus portis in sua castra fugere coeperunt. Postquam
Scipione eiusque copiis campo collibusque exturbatis atque
in castra conpulsis [cum] receptui Caesar cani iussisset equitatumque omnem intra suas munitiones recepisset, campo purgato animadvertit mirifica corpora Gallorum Germanorumque; qui partim eius auctoritatem erant ex Gallia secuti,

2 *sentit *ALPUF*; sensit *rec.* ‖ 5 resistentes *UFDδ* ‖ 7 adverterent *P* ‖ 10 conpulsis *A*; pulsisis *L*; compulsis *R* ‖ *cum *inclusimus*

---

3 *recta*] cf. ad 18, 1. — 4 *Galli Germanique*] 19, 3. — *restiterant*] a v. restare. — 5 *f. restantes*] pugnantes. Ter. Heaut. 1009 in qua re nunc tam confidenter restas; Sall. hist. 1, 75 D. urbem validam multos dies restantem pugnando vicit; item passim apud Livium. Sed quia Polio supra scripsit 'qui restiterant', haud scio an corrigendum sit: fortiterque pugnantes, coll. 76, 1 fortiter repugnante, et 78, 4 fortissime pugnare. — 6 *legiones . . . pro castris*] quarum acies quadringentis passibus a castris aberat, 38, 3. — 7 *metu ac terrore*] metu, id est pavore, trepidatione, animis militum in sollicitudinem coniectis; terrore, id est spectaculo equitum concisorum oblato. — 9 *exturbatis*] zeugmatis licentia dictum pro: campo exturbatis et collibus deturbatis. — 11 *campo purgato*] cum pulvis consedisset omniaque, quae prospectum adimerent, remota essent. Cf. 19, 4 campis purissimis. — 12 *mirifica corpora Gallorum Germanorumque*] mirifica, si hoc loco scripsit Asinius, idem fere est quod ingentia, ampla, coll. § 6. De re conf. Velleius 2, 106 (Germanorum) inventus . . . immensa corporibus. Pomp. Mela 3, 26 (de Germanis) immanes corporibus. Tac. Germ. 4 magna corpora; ibid. 20 in haec corpora, quae miramur, excrescunt; hist. 5, 18 (de Batavis) immensis corporibus; annal. 2, 21 latos barbarorum (Germanorum) artus. Veget. epit. 1, 1 quid adversus Germanorum proceritatem brevitas (Romanorum) potuisset audere? Appian. Celt. 4, 3 *τὰ μεγέθη μείζους τῶν μεγίστων*. Dio Cass. 38, 49. Idem iam de Cimbris Teutonisque, quos hanc ob causam eiusdem gentis fuisse iure concluditur, tradiderunt Diodorus Exc. 37 (*γίγασι παρεμφερεῖς*) et Plut. Mar. 11 (*Γερμανικὰ γένη τοῖς μεγέθεσι τῶν σωμάτων*), quos cum ante Caesarem omnes pro Gallis haberent, Gallos quoque simili corporum habitu excellere opinio invaluit. Ipse Caesar tamen, peritissimus harum rerum iudex, non de magnis Gallorum corporibus memoriae prodidit, sed de Germanorum, b. Gall. 1, 39, 1: vocibus Gallorum ac mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Germanos esse praedicabant; 4, 1, 9 (de Suebis) immani corporum magnitudine homines effecit; 6, 21, 4 hoc ali staturam, ali vires nervosque confirmari putant. Unde Asinium in simili versari errore intellegitur, quo Sallustium implicitum esse constat, b. Iug. 114, 1. 2, ubi hostes a Mario devictos Gallos fuisse scribit. — 13 *eius*] Labieni.

partim pretio pollicitationibus adducti ad eum se contulerant,
nonnulli, qui ex Curionis proelio capti conservatique parem
gratiam in fide praebenda praestare voluerant. Horum cor- 6
pora mirifica specie amplitudineque caesa toto campo ac
prostrata diverse iacebant.

41. His rebus gestis Caesar postero die ex omnibus 1
praesidiis cohortes deduxit atque omnes suas copias in campo
instruxit. Scipio suis male acceptis, concisis convulneratis-
que intra suas continere se munitiones coepit. Caesar in- 2
structa acie secundum infimas iugi radices propius munitiones
leniter accessit. Iamque minus mille pass. ab oppido Uzita,

1 *pollicitationibus *PUFV;* pollicitationibusque *R* ‖ 3 *praebenda] perventa *P;* partienda *R;* servanda *Nipperd.;* pariter tuenda *Em. Hoffmann* ‖ noluerant *L* ‖ 4 ad *A* ‖ 7 eduxit *UFD* ‖ 8 *concisis] occisis *O* ‖ 9 munitiones se continere *L* ‖ instructam aciem *ALPV* ‖ 10 iugira dies *A* ‖ 11 leniter accessit *AUF;* accessit leniter *LP vulg.* ‖ *pass. *ALP;* passus *V;* passuum *δ*, *vulg.* ‖ ab aberant (*corr.* aberat) oppido *A* ‖ *Uzita *L;* Uzytta *P;* ut Xitta *A*

---

1 *pretio pollicitationibus*] in duobus substantivis aut sibi oppositis aut eiusdem fere significationis locum habere potest, praesertim in sermone prisco, asyndeton. Cf. Ter. Eun. 1057 quodvis donum, praemium a me optato. Plaut. Rud. 23 donis hostiis. — 3 *in fide praebenda*] = praestanda. Nepos Att. 4, 4 Ciceroni in omnibus eius periculis singularem fidem praebuit; noluit autem Asinius uti locutione usitata, ne coiret cum altera 'gratiam praestare'. — 5 *diverse*] passim, in omnes partes. Sall. Cat. 61, 3 divorsius ceciderant.

41. 6 *his rebus gestis*] scil. feliciter g. — *omnibus praesidiis*] ex castellis; non autem haec dicta sunt de praesidiis Ruspinae et Lepti relictis. Cf. quae Asinius scripsit 57, 1 de C. Saserna, et 67, 1. — 7 *deduxit*] utpote in iugo collocata. Cf. 20, 2. — 8 *male acceptis*] cf. ad 18, 5. — *concisis convulner.*] explicandi causa participio 'male acceptis' addita sunt: concidendi autem vocabulum Polio in deliciis habuit. Cf. Epist. Cic. 10, 33, 4 Pansae exercitum concisum esse; ibid. quartam legionem concisam esse. B. Afr. 40, 3. 50, 2 etc. — 9 *coepit*] inde ab hoc tempore se continuit, cum adhuc hostem ultro lacessivisset aut certe ad pugnam provocasset; itaque coepisse cum infinitivo coniunctum quasi munus particulae temporalis sustinet, ut contendere seq. infinitivo ponitur (cf. ind. verborum) pro 'celeriter', *τυγχάνω* cum participio pro 'forte'. — 10 *secundum*] cf. ad 1, 1. — 11 *leniter accessit*] verbo praeponitur adverbium 6, 5. 12, 2. 18, 5. 70, 2. — *mille pass.*] id est passus; simili ratione, ubi de locorum distantia agitur et mille et milia appositionis loco accusativo 'passus' adduntur: 10, 1 abest ab oppido milia pass. duo (ubi antea legebatur passuum); 63, 1 quae aberant a portu milia pass. (pass' cod. L); 68, 1 bis. Cum progrediendi verbo coniungitur accusativus 38, 3 circiter passus (sic!) mille progrediuntur; 65, 1. 75, 1. 78, 2. Cf. Hellmuth, über die Sprache des S. Sulpicius Galba und L. Cornelius Balbus. Würzb. 1888. p. 13. De ablativo passibus cf. ad 80, 3. — *Uzita*] Corp. inscr. lat. VIII 68 VZITENSIS; Ptol. 4, 3, 37 *Οὔζιτα*: in codice L oppidi nomen scriptum est una littera t, in A geminata. Plin. nat. h. 5, 29 oppida Ucitana duo, maius et minus. Stoffel II 279. Tissot II 564.

quod Scipio tenebat, aberant legiones Iulianae, cum Scipio
veritus, ne oppidum amitteret, unde aquari reliquisque rebus
sublevari eius exercitus consuerat, eductis omnibus copiis
quadruplici acie instructa ex instituto suo, prima equestri
turmatim derecta elephantisque turritis interpositis [armatis-
3 que], suppetias ire contendit — quod ubi Caesar animadvertit,
arbitratus, Scipionem ad dimicandum paratum ad se [certo
animo] venire, in eo loco, quo paulo ante commemoravi,
ante oppidum constitit * * suamque aciem mediam eo oppido
texit; dextrumque sinistrumque cornu, ubi elephanti erant,
in conspectu [patenti] adversariorum constituit.

1 **42.** Cum iam prope solis occasum Caesar expectavisset

1 aberat *A* ‖ 4 primequestris *A* ‖ 5 *derecta *LUF;* directa *R* ‖ inpositis *L* ‖ 6 animadvertim. *A* ‖ 7 parato *P pr. m.* ‖ *[certo animo] *inclusimus;* certum animo *LP* ‖ 8 venire qui *(scil. Scipio)* in eo *UF* ‖ 9 * *] *Lacunam notavit Nipperd.* ‖ 10 *dextrumque *PV;* dextrum *R* ‖ cornum *A* ‖ in conspectum *AUF* ‖ 11 *[patenti] *om. A;* patienti *PUFV, UF cum nota vitii* ‖ 12 iam *om. V* ‖ prope ad solis *Novák*

---

1 *Iulianae*] cf. ad 7, 5. — 2 *aquari*] Prope Uzitam praeterfluit rivus, cui nunc nomen est Qued Ras el Mardj, aquis abundans mensibus hibernis. — 4 *instituto*] cf. b. Alex. 37, 3 aciem instruxit suo more atque instituto. — 5 *turmatim*] cf. ad 32, 3. — *elephantis*] quos Iuba Scipioni reliquerat nondum condocefactos. — *turritis*] ut 30, 2; ultro autem intellegitur elephantorum turribus instructorum nullum fuisse usum nisi impositis et rectoribus et propugnatoribus (Plin. n. h. 8, 22): quare 'armatisque', quod nisi per figuram ὕστερον πρότερον scriptum esse putes, utpote pravo loco collocatum, pro glossemate habendum esse censuimus. — 6 *suppetias ire*] scil. oppido Uzitae: de dativo omisso cf. 25, 1. — 7 *ad se*] adversus se. Caes. 2, 5, 4 Belgarum copias ad se venire. — *paratum certo animo*] Dicitur quidem 'animo ad dimicandum, proeliandum paratus', Caes. 7, 19, 3. III 85, 4; 'certo animo' autem ab eodem additum esse videtur, qui 33, 1 inversa ratione ad 'libenti animo' adscripsit 'paratos'. — 8 *quo*] per attractionem = quem; Ter. Heaut. 87 hac causa, qua dixi tibi. — *paulo ante*] § 2, ut 24, 2 paulo ante demonstravimus = 20, 2; 96, 2 p. a. nominavi = 96, 1; a quo quid differat ante, ad 34, 1 exposuimus. — 9 *suamque aciem*] et quae sequuntur ad Scipionem pertinere in aperto est; neque tamen verba paragrapho 2 subiungere licet, quia quod scriptum est § 3 'ad dimicandum paratum venire' optime refertur ad 'suppetias ire' § 2, pugnat cum 'texit' et 'constituit'. — 10 *dextrumque s.*] Ennius ann. 309 M. mores veteresque novosque. — *cornu ubi*] = quo; 40, 1 in eo campo ubi; 69, 5 in eo loco ubi. — *in conspectu [patenti]* 70, 7 legiones in conspectu Caesaris conlocaverat; Caes. 1, 51, 1 alarios in conspectu hostium constituit. Conspectum patere nemo unquam dixit; participium addidit in margine exemplaris sui, ut moneret tegendi verbo opponi posse patendi.

42. 12 *prope solis occasum expectavisset*] Cum in universum 'prope' raro ad tempus referatur, ut significet quando quid factum sit (Cic. epist. 3, 5 prope Kal. Sext. puto me Laodiceae fore; Suet. Claud. 44 defecisse p. lucem; Pallad. 9, 8, 5 fodiatur proxime solis occasum), tum rarissimus est ille usus particulae, quo per brachy-

neque ex eo loco, quo constiterat, Scipionem progredi [propius] [se] animadvertisset locoque se magis defendere, si res coëgisset, quam in campo comminus consistere audere, non est visa ratio propius accedendi eo die ad oppidum, quoniam ibi praesidium grande Numidarum esse cognoverat, [hostesque mediam aciem suam oppido texisse] et sibi difficile factu esse intellexit, simul et oppidum [uno tempore] oppugnare et in acie [in cornu dextro ac sinistro] ex iniquiore loco pugnare, praesertim cum milites a mane diei ieiuni sub armis stetissent [defatigati]. Itaque reductis [suis] copiis in 2

1 *[propius] *inclusimus* ‖ 2 *[se] *om. L* ‖ advertisset *A* ‖ 3 cominus *L* ‖ 4 est *L sec. m. inter versus* ‖ 5 ibi] ipsi *A* ‖ *[hostesque . . . texisse] *incl. Novák, utpote repetita ex 41, 3* ‖ 6 texisse et *Nipperd.;* texissent *O; fort. scribendum* texissent et ‖ sibique *δ, rec.* ‖ factum *ALP* ‖ 7 *[uno tempore] *inclusimus* ‖ expugnare *V* ‖ 8 *[in . . . sinistro] *inclusimus;* in cornum dextrum ac sinistrum *A* ‖ 10 [defatigati] *incl. Nipperd.;* defatigati stetissent *L* ‖ *[suis] *inclusimus; post* copiis *sup. versum L* ‖ in castra *om. V*

---

logiam pro 'prope usque ad' ponitur. Itaque ad Caesaris ac Ciceronis usum propius accedit, quod Asinius 19, 4 scripsit: usque ad solis occasum est decertatum: novum et insolens, quod nostro loco legitur. Secutus est Livius 6, 42, 10 prope secessionem res venit; 26, 48, 8 ea contentio cum prope seditionem veniret; Tac. ann. 6, 13. 14, 42; quamquam in his exemplis, utrum ad loci significationem an ad temporis verba revocanda sint, vix discernas. (Curt. 10, 6, 12 prope ad seditionem pervenerant; Sall. Tac. iuxta seditionem.) — 1 *propius se*] Neque Caesar aut Hirtius aut Asinius dixerunt 'propius progredi, propius promovere', similia (propius accedere, admovere, sim. passim), neque apud eosdem adverbium propius verbo postpositum invenitur. Cf. ind. verb. s. v. propius. — 2 *si res coegisset*] Caes. 7, 78, 2; Asinius ap. Cic. epist. 10, 33, 5 res cogit. — 4 *visa ratio*] cf. ad cp. 5. — 5 *hostes . . texisse*] etiam hoc nomine suspicionem movent, quod vocabulum 'oppidum' intra paucorum versiculorum spatium ter positum est. — 6 *difficile factu*] locutio, quae pleonasmi speciem quandam prae se fert, novata esse videtur ad exemplum illius difficile dictu; neque tamen Cicero ea uti dubitavit, veluti pro Cluentio 201. Cf. b. Alex. 30, Hisp. 18. Richter, De supinis linguae latinae part. III (1858) p. 13. — 7 [*uno tempore*] inclusimus, quia nihil est quod amplius addi possit sententiae particulis simul et . . . et adornatae. — 9 *a mane*] 61, 1 a mane usque ad horam X; 62, 5; similiter non Plautus modo et Lucilius, sed vel Cic. epist. 9, 26, 3 (a mane usque ad vesperum), Varro l. lat. 9, 73 cum primo mane. Caesar mane adverbii quidem loco posuit, nunquam vero vi ablativi a praepositione suspensum. Cf. I 81, 3 a prima luce. — 10 *defatigati*] perverse additum est, neque enim milites iam prima luce defatigati erant; praeterea desideratur particula copulativa. Cf. Livius 21, 55, 8 ieiuna fessaque corpora. — *reductis copiis*] 52, 3 ex itinere copiis reductis . . . auxilium tulit; ut autem Asinius scripsit et copias reducere et copias suas reducere, ita in ablativo casu pronomen potius omittendum erat, ne tria deinceps vocabula eadem terminatione finirentur.

castra postero die propius eorum aciem instituit exporrigere munitiones.

43. Interim Considius, qui Acyllam [et] VIII cohortibus stipendiariis Numidis Gaetulisque obsidebat, [ubi C. Messius [qui] [cohortibus] praeerat] diu multumque expertus magnisque operibus saepe admotis et his ab oppidanis incensis cum proficeret nihil, subito nuntio de equestri proelio allato commotus, frumento, cuius in castris copiam habuerat, in-

1 acie *A* ‖ 3 Acyllam *A;* Achyllam *U;* achillam *LPFV; post* Achyllam *lacunam significavit Nipperdeius* ‖ *[et] *om. rec.* ‖ VIII] VIIII *L*, VIIII^em^ (*i. e.* novem) *P* ‖ cohortes stipendiarias *O praeter rec.* ‖ 4 *[ubi . . . praeerat] *inclusimus;* [qui] *del. Aldus;* Messius a parte Caesaris cohortibus praeerat praesidio missis *codex Petav. et Norv. in marg.* ‖ 6 amotis his *A;* anotis et his *P* ‖ 7 proficisceretur *PV*

---

1 *exporrigere*] 78, 4. De verbo porrigendi cf. ad 4, 3 et 17, 1. Verba autem decomposita, ut ab optimis scriptoribus anxie evitantur, ita excusantur, si verbum cum praepositione compositum ita in unum quasi corpus coaluit, ut obscurata compositionis memoria pro simplici vulgo accipiatur. Cuius generis sunt apud Plautum abscondo, apud Catonem r. rust. 18 adindo, apud Terentium Ad. 766 prodeambulo (prod-ambulo?), apud Vergilium adoperio, prosubigo, apud Sallustium hist. 1, 74 D. superadsto (?). Verba cum tribus praepositionibus composita Graecis quidem admodum frequentata, apud Romanos autem ultimae sunt latinitatis, velut decooperio (discooperio, percooperio, découvrir), supercomprehendo, coadimpleo, inabscondo (ital. nascondo). — 2 *munitiones*] 49, 1. 51, 3.

43. 3 *et*] maluimus delere quam in *cum* mutare, quia apud Caesarem et Asinium (10, 1. 11, 3. 29, 2. 33, 4. 76, 1. 77, 2) 'cum cohortibus' societatem vel comitatum significat ideoque verbis proficiscendi, mittendi, commorandi adstruitur, nudus contra ablativus 'cohortibus' casus instrumentalis munere fungitur, veluti apud Caes. I 11, 4 Pisaurum Faunum Anconam singulis cohortibus occupat; ibid. I 12, 1 Thermum cohortibus V tenere; b. Hisp. 38, 3. — 4 *stipendiariis Numidis G.*] intellegendi sunt equites, quos Considius a Labieno acceperat, 33, 5; infrenati, ut ex 61, 2 perspicitur. — *ubi . . . praeerat*] inclusimus, quia enuntiatum post 'Acyllam' collocandum erat; praeterea 'cohortibus praeerat' non scripsit Asinius, sed aut absolute 'ubi praeerat', aut 'cum cohortibus praeerat'. Cf. 79, 1. 86, 3. De ipsa re cf. 33, 4. — 7 *equestri proelio*] 40, 2 seq. — 8 *habuerat*] In enuntiatis relativis Asinius passim plusquamperfectis 'habuerat' et 'fuerat' loco imperfectorum usus est: 23, 1 exercitu, cuius . . . partem armatam habuerat; 31, 2 equites qui in statione fuerant; 34, 5 Ruspinam, ubi Caesar castra habuerat; 44, 1 navis una, in qua fuerat Q. Cominius; 76, 2 castra, quae ad Aggar habuerat; 88, 3 L. Caesari, qui tum ei pro quaestore fuerat; 89, 1 Thapso, ubi Scipio magnum frumenti numerum habuerat; 89, 2 qui tum ibi fuerant. Qui usus ita facillime explicatur, ut 'habuerat' per breviloquentiam pro constituerat (acceperat) et habebat positum esse statuamus. Alia eiusdem generis exempla, quae leguntur belli Gallici libro octavo et bello Alexandrino, Landgrafius pg. 40 eidem Polioni vindicavit.

censo, vino, oleo ceterisque rebus, quae ad victum parari solent, corruptis Acyllam, quam obsidebat, deseruit atque itinere per regnum Iubae facto copias cum Scipione partitus Adrumetum se recepit.

44. Interea ex secundo commeatu, quem a Sicilia miserat 1
Alienus, navis una, in qua fuerant Q. Cominius et L. Ticida, equites Romani, [ab residua classe] cum errasset delataque

2 ancyllam *A;* achillam *L;* agillam *UFV (de codicis P scriptura nihil adnotavit Dübner)* ‖ 4 adrimetum *PV;* adrymetum *U* ‖ recipit *APF* ‖ 5 ad Siciliam *L* ‖ 6 Aliennus miserat *L* ‖ *fuerant] fuerat *O* ‖ Comminius *A*, Comius *L* ‖ Ticideq. *A*, *L pr. m.;* Ticide eq. *L sec. m.* ‖ 7 *equites Romani] eq. *(ut supra indicatum est) A;* eq̄. ro. *L et P, ut videtur; de reliquis res in dubio est* ‖ *[ab residua classe] *inclusimus* ‖ *errasset *L;* erravissent *P;* erravisset *R;* deerravisset *coni. Novák* ‖ delictaque *A pr. m.*

---

2 *Acyllam . . . regnum Iubae*] Acylla, si recte viri docti El Alia esse putant, oppidum fuit maritimum, a Thapso meridiem versus situm. Ea potissimum Caesari fuit causa, cur praesidium ibi collocare auderet; vi hostium scilicet oppressis patebat mare, praesertim cum Caesar apud Thapsum naves in salo esse iussisset (46, 4). Considius autem, cum oppugnationem Acyllae dimisisset, ideo nec secundum oram maritimam nec per Sarsuram facto itinere Adrumetum reverti voluit, quia periculum erat, ne in manus Caesaris incideret; itaque per mediterranea Thysdram primum, deinde copiis longiore itinere ultra lacum Sebkha de Sidi-el-Hani circumductis Adrumetum petivit. Cf. Tissot, La province Romaine d'Afrique 1888. II 14 sq. — *quam obsidebat*] verba prorsus supervacanea. — 3 *partitus*] Considius octo cohortes Adrumetum reduxisse, equites quos adduxerat Labienus ad Scipionis exercitum redire iussisse videtur.

44. 5 *secundo commeatu*] quo legiones XIII et XIV advectae erant (34, 4); cf. quae infra 35, 2 de centurione legionis XIV narrantur. — 6 *Cominius*] retinuimus et inscriptionum testimoniis obsecuti et propter versum Catulli 108, 1 Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus etc. Quamquam Comminius scriptum est Corp. inscr. lat. III 4184 et apud Plutarchum, Parall. 34. Cf. infra 46, 2. — *L. Ticida*] cuius gentis fuerit, ignoratur. — 7 *equites Romani*] cum in codice L aliisque (cf. adnot. crit. ad 52, 5) lēg. saepe pro numero plurali (legiones, legionum, legionibus) scriptum sit, hic quoque compendio eq. Ro. pluralem significatum esse probabile est. — 7 *ab residua classe*] Non solum Asinius cum Caesare, Hirtio, Sallustio adiectivo residuus abstinuit, sed constanti usu scripsit 'reliqua classis' (62, 4), reliquae naves octo locis, quos collectos habes in indice verborum. Quod Cicero, Munatius Plancus, Livius vocabulo usi sunt, nihil facit ad codicum scripturam tuendam, quia alia significatione dicitur 'odium residuum', id est quod in animo resedit, sollicitudo residua, id genus alia. — *errasset*] praevalet apud Asinium brevior haec plusquamperfecti forma (6, 7 imperasset; 8, 2. 11, 4 deerrassent; 20, 4 conportasse; 25, 3 repudiassent; 28, 4 impetrasse; 45, 1. 69, 4 existimasset; 49, 1 exspectasset; 69, 5 gustasset; 81, 2 dimicassent; 91, 3 orasset: 42, 1 exspectavisset; 54, 1 occupavisset); verbum autem absolute positum more poetarum; cf. Verg. Aen. 5, 867 amisso fluitantem errare magistro (ratem); Ovid. fast. 2, 391 lintres errare videres.

esset vento ad Thapson, a Vergilio scaphis [naviculisque
2 actuariis] excepta est et abducta. Item altera navis [trieris]
ex eadem classe errabunda ac tempestate delata ad Aegimurum a classe Vari et M. Octavi est capta, in qua milites
veterani cum uno centurione et nonnulli tirones fuerunt;
quos Varus adservatos sine contumelia deducendos curavit
3 ad Scipionem. Qui postquam ad eum pervenerunt et ante
suggestum [eius] constiterunt, *Non vestra*, inquit, *sponte vos
certo scio, sed illius scelerati vestri imperatoris inpulsu et im-*
4 *perio coactos cives et optimum quemque nefarie consectari.* *Quos*

1 Thabson *ALPV;* Thabsum *D pr. m.* || Vergilio *P;* Virgilio *R* || *[naviculisque actuariis] *inclusimus* || 2 adducta *APV*; deducta *D sup. scr. aut in marg.;* ad Scipionem adducta *rec.* || *[trieris] *inclusimus;* triremis *δ* || 3 tempestata *A* || 4 Octavi *A;* Octavii *R* || 5 veteri *P auctore Duebnero* || cum uno centurione *L in ras. pr. m.* || fuerunt *om. UF* || 6 adservatos *AUFV;* asservatos *R* || deducendosque *LPUFV* || 8 [eius] *AUFV; om. LP* || 9 cerno *L* || scio *om. LPV* || 10 coactos ⁊ imperio (*id est* et imperio coactos) *L*

1 *Vergilio*] 28, 1. — *scaphis*] 21, 3 naves singulas scaphae adversariorum conplures adortae; 28, 1 navem actuariam conplet militibus et scaphas adiungit. — *n. actuariis*] b. Alex. 45, 1. — 2 *abducta*] Caes. II 36, 2 onerarias deprehendunt atque in portum deducunt: nempe vocabulum abducendi ideo non omnibus probabatur, quia consonantium assimilatione admissa facile cum adducendi confundebatur, quod nostro loco codicum discrepantia confirmatur. Cf. ad 7, 4 (digredi); 6, 6 (discedo). Arch. lex. lat. II 458. — [*trieris*] 'altera navis' recte opponitur ei, quod § 1 scriptum est, 'navis una'; deinde fueritne in usu illius aetatis scriptoribus graeca forma trieris, dubitari potest. Apud Cornelium Nepotem Alcib. 4, 3 nunc editur triremis; idem legitur infra 63, 4, quinqueremis 63, 3 et 62, 5 ubi cf. adnot. Cf. Livius 37, 23, 4 quadriremes, triremes . . . hepteres, hexeres; b. Alex. 47, 2 capit penterem unam, triremes duas. — 3 *Aegimurum*] insula prope Carthaginem. Verg. Aen. 1, 109; Livius 30, 24, 9; Plin. nat. h. 5, 42. — 4 *Vari*] P. Atius Varus, in hoc commentario nullo praenomine ab aliis eiusdem nominis distinctus, praetor anno 51 ante Chr. Pompeio adnitente Africam provinciam obtinuit (Caes. I 31), partium Pompeianarum inde ab initio belli civilis fautor acerrimus. Quomodo Q. Ligario legato Africam provinciam eripuerit, ex Ciceronis oratione pro Ligario habita (§ 2. 3) constat. Post pugnam Pharsalicam summa imperii Scipioni concessa classi praefuit. Cecidit in pugna apud Mundam. — *M. Octavi*] Cn. f. multis bellis classi praefectus, Caes. III 5, 3. 9, 10; cum post bellum Pharsalicum Illyriae potiundae periculum fecisset, in Africam fugit. b. Alex. 42 sqq. — 9 *illius*] istius; sed in epistulis Ciceronis eiusque amicorum saepe 'ille' est Caesar. Cic. Att. 9, 18, 1 utrumque ex tuo consilio: nam et oratio fuit ea nostra, ut bene ille de nobis existimaret. 8, 9, 2. 9, 13, 1. 6; de Pompeio epist. ad Att. 8, 16, 1; de Antonio ibid. 10, 10, 5. — *scelerati*] auctor commentarii, haud dubie amicus Caesaris, quas verborum contumelias Pompeiani in Caesarem atque Caesarianos congesserint, hoc loco demonstrare voluit; 46, 2 et ad 22, 2.

quoniam fortuna in nostram detulit potestatem, si, id quod facere debetis, rempublicam cum optimo quoque defendetis, certum est vobis vitam et pecuniam donare. Quapropter, quid sentiatis, proloquimini.

45. Hac habita oratione Scipio, cum existimasset, pro 1
suo beneficio sine dubio ab his gratias sibi actum iri, potestatem iis dicundi fecit. Ex eis centurio legionis XIIII., 2
Pro tuo, inquit, *summo beneficio, Scipio, tibi gratias ago — non enim imperatorem te appello —, quod mihi vitam incolumitatemque belli iure capto polliceris, et forsitan isto uterer beneficio, si non ei summum scelus adiungeretur. Egone contra* 3
Caesarem imperatorem meum, apud quem ordinem duxi, eiusque exercitum, pro cuius dignitate victoriaque amplius triciens in acie depugnavi, adversus armatusque consistam? Neque ego 4
istud facturus sum, et te magnopere, ut de negotio desistas, ad-

1 nostra *A* ‖ 3 vobis *L in marg. sec. m.* ‖ dare *U pr. m.;* donari *V* ‖ 6 sibi actum iri] sibi acturas *A;* subacturos *L;* subacturis *P;* sibi acturis *V* ‖ 7 iis] his *LD;* is *PV* ‖ *dicundi *AUF;* dicendi *R* ‖ eis] his *L* ‖ 10 *forsitan *O;* forsan *editt.* ‖ *isto uterer *AUFVD;* uterer isto *LP* ‖ 11 ergone *LP* ‖ 12 meum] nostra *P pr. m.* ‖ 13 *triciens in acie] XXXVI añn *AP;* XXXVI annis *LD;* XXXVI annos *UF;* XXX tot annis *Dinter* ‖ 14 adversus armatusque *Dδ*; adversū armatum *L;* aduersū armato *A;* adversum armatos *PUFV* ‖ ego] g̊ (*i. e.* ergo) *L* ‖ 15 de negotio *om. V*

---

3 *vitam et pecuniam donare*] zeugma: vitam concedere (31, 5) et pecuniam donare. — 4 *proloquimini*] ad 35, 2.

45. 7 *dicundi*] Gerundii et gerundivi forma in -undi ut in Plauti ac Terentii comoediis nulla exceptione regnat, ita vel Ciceronis temporibus in certis quibusdam formulis a multis scriptoribus servata est, veluti in iure dicundo, bello gerundo, agro dividundo. — 10 *forsitan*] 25, 1. 61, 1; item Cicero, Caesar, Sallustius constanter: quare non fuit, cur adversante codicum auctoritate 'forsan' (quo Livius duobus primae decadis locis usus est) hoc loco scriberetur. — 11 *scelus*] necessitas adversus Caesarem pugnandi. — *egone*] animadvertenda centurionis fidentia vel contumacia ter posito pronomine personali (§ 4. 5 ego) expressa. — 13 *triciens in acie*] b. Alex. 74, 3 (Polio? cf. Landgraf, pg. 132) quem XXII in acie conflixisse gloriabantur; Cic. Balb. 23 qui cum hoste in acie saepe pugnavit; Livius 5, 41, 4 in acie certare. Quod editur 'amplius XXXVI annis', ferri non potest; tot enim annos centurio auspiciis Caesaris militare non poterat, quia hic quindecim fere annis ante bellum Africum in Hispania primum duxerat exercitum; accedit quod in militum titulis sepulcralibus saepe numerantur anni, sed addito militandi verbo vel simili, non pugnandi. — 14 *depugnavi*] pugnavi; cf. ad 7, 6. — *armatusque*] quia Scipio eum iusserat rem publicam contra Caesarem defendere, 44, 4: verba in codicibus corrupta, quia librarii 'adversus' praepositionis loco positum esse putabant. Neque tamen repugnabimus, si quis 'adversus' delendum et in uno participio armatus acquiescendum esse censeat. — 15 *de negotio desistas*] 'von deinem Vorschlage'. 87, 7 caede desistere; Caes. 1, 45, 1. III 112, 11 negotio desistere;

hortor. Contra cuius enim copias contendas, si minus antea
5 *expertus es, licet nunc cognoscas. Elige ex tuis cohortem unam, quam putas esse fortissimam, et constitue contra me; ego autem ex meis conmilitonibus, quos nunc in tua tenes potestate, non amplius x sumam. Tum ex virtute nostra intelleges, quid ex tuis copiis sperare debeas.*

1 **46.** Postquam haec centurio praesenti animo adversus opinionem eius est locutus, ira percitus Scipio atque animi dolore incensus annuit centurionibus, quid fieri velit, atque ante pedes centurionem interficit reliquosque veteranos a
2 tironibus iubet secerni. *Abducite istos*, inquit, *nefario scelere*

2 nunc] $\overset{c}{\text{Ç}}$ *L* (*vel, ut alii interpretantur* $\overset{c}{\text{s}}$) ‖ 3 *fortissimam *L;* firmissimam *R; in* D *post* firmissimam *octo fere litterae erasae* ‖ 4 conmilitonibus *A;* commilitonibus *R, ut videtur* ‖ *tenes potestate *AUFVD;* potestate tenes *LP* ‖ 5 *tum *O;* tunc *editt.* ‖ ex virtute nostra int.] int. ex v. n. *LP, vulg.* ‖ *intelleges *AP;* intelliges *R* ‖ 7 praestanti *Dδ* ‖ 8 est *om. LP* ‖ 9 *uelit *L;* vellet *R* ‖ 10 *interficit *VDδ;* interfecit *R* ‖ atroribus *A* ‖ inquit, istos *UF*

---

aliis locis 'ab aliqua re desistere'. Similiter Asinius dixit deiectus colle et deiectus de colle; cf. ad 18, 5. — 3 *fortissimam*] Cic. p. Mur. 32 maximo et fortissimo exercitu; Tac. ann. 1, 25 fortissimarum legionum curam: firmae contra dicuntur cohortes, legiones, quae sunt plenae vel frequentes, apud Caes. 7, 60, 2. Hirt. 8, 24, 2; pariter firma praesidia sunt, quae ex multis cohortibus (legionibus) constant, b. Hisp. 6, 1. Alex. 26, 2. Asinius apud Cic. epist. 10, 32, 4 tres legiones firmas habeo. Fortasse tamen, quod ex scriptura codicis D colligas, scriptum fuit: firmissimam, fortissimam. Cic. Phil. 5, 24 firmissimorum (et fortissimorum) civium. Sidon. Apoll. epist. 9, 7 structura fortis et firma. De asyndeto cf. 78, 2. — 4 *conmilitonibus*] vocabulum a Caesare aut novatum aut certe maxime frequentatum ad animos militum sibi conciliandos. Suet. div. Iul. 67 nec milites eos pro contione, sed blandiore nomine commilitones appellabat. Caes. II 29, 3 (commilites?); III 71, 4 captivos productos ostentationis, ut videbatur, causa commilitones appellans. Arch. lex. lat. V 67. — *in tua tenes potestate*] Asinius ap. Cic. epist. 10, 32, 5 provinciam in mea potestate tenui. — 5 *intelleges*] cf. 16, 3.

46. 7 *adversus opinionem eius*] locutio insolens; Caesar enim aut scripsit 'contra opinionem', aut, quod Ciceroni quoque probatum est, praeter opinionem (= praeter spem). De addito genetivo cf. b. Alex. 51, 4 (= Polio?) celerior omnium opinione; Polio ap. Cic. epist. 10, 31, 6 opinione tua mihi gratius est; et sic iam Plautus mil. 1238 op. illius pulcrior; b. Gall. 6, 30, 1. — 8 *est locutus*] de ordine verborum cf. ad 28, 4. — *percitus*] ἅπαξ εἰρημένον in commentariis rerum a Caesare gestarum: Plaut. Men. 5, 5, 22 percitus insania; Accius trag. 236 R. matronae percitatae insania. — 10 *interficit*] praesens historicum praeferendum erat in oratione hominis ira incensi et in narratione facinoris legentium animos maxime excitantis; ideoque etiam 'velit' reposuimus. — 11 *abducite*] ad mortem, ut saepius de reis, qui in carcerem abducuntur. Arch. lex. lat. II 462. Quod infra scriptum est 'deducti', eam habet explicationem, de qua diximus ad 44, 1. — *istos*] scil. veteranos. — *nefario scelere*] cf. ad 22, 2.

contaminatos et caede civium saginatos. Sic extra vallum de-
ducti sunt et cruciabiliter interfecti. Tirones autem iubet 3
inter legiones dispertiri et Cominium cum Ticida in con-
spectum suum prohibet adduci. Qua ex re Caesar commo- 4
tus eos, quos in stationibus cum longis navibus apud Thapsum
[custodiae causa] in salo esse iusserat, ut suis [onerariis longis-
que navibus] praesidio essent, ob neglegentiam ignominiae
causa dimittendos ab exercitu gravissimumque in eos edictum
proponendum curavit.
47. Per idem tempus fere Caesaris exercitui res accidit 1
incredibilis [auditu]. Namque vergiliarum signo confecto

3 dispartiri *D* || Cominium] Comminium *A;* Comium *L* || 5 Thabsum *A* || 6 *[custodiae causa] *inclusimus* || in salo *om.* *Dδ* || *[onerariis longisque navibus] *inclusimus* || 7 ob negligentie ignominieque causam *L* || 10 *idem *L;* id *R* || 11 *[auditu] *inclusimus;* aditu *L;* *an scribendum* dictu? || uigiliarum *VDδ*

---

1 *contaminatos*] contactos, quasi morbi contagione infectos. — *saginatos*] Cic. Sest. 78 rei publicae sanguine saginantur. — *extra vallum*] b. Hisp. 36, 5 hac re cognita vigilia tertia extra vallum omnes sunt occisi. — 2 *cruciabiliter*] misere; vocabulum Plautinum, Pseud. 950, *ἅπαξ εἰρημένον* in commentariis rerum a Caesare gestarum. — 3 *Cominium*] cf. ad 44, 1. — 6 *custodiae causa*] quamquam est sollemnis formula (Val. Max. 1, 5, 5. 3, 8, ext. 1), idem tamen significat, quod fusius enuntiato finali exprimitur: ipsa verba non abhorrent a consuetudine Asinii, qui genetivis gerundii sive gerundivi constanter gratia, genetivis substantivorum modo causa, modo gratia adiungit. Cf. infra ignominiae causa; 54, 4. 33, 1. — *in salo esse*] 62, 5 in salo stare; 63, 5 in salo commorari, id est in alto mari, *ἐν σάλῳ*, non in portu neque in litore, in ancoris tamen. Nep. Them. 8, 7 procul ab insula in salo navem tenuit in ancoris. b. Hisp. 40, 6. — 7 *ob neglegentiam*] im Hinblick auf; nam praepositio causam indicat, cur aut praemia honoresque decernantur aut poenae irrogentur. 54, 4. 64, 1. Arch. lex. lat. I 161 sqq. Festus pg. 178 M. ob merita. — *ignominiae causa*] ut 54, 4 i. c. ab exercitu meo te removeo; Curtius 7, 10, 37 seorsum cohortem a ceteris tendere i. c. iussit. — 8 *edictum proponendum*] b. Alex. 56, 6.

47. 10 *per idem tempus*] = interim, dum haec geruntur; cf. ad 34, 1: longe aliam sententiam praeberet 'per id tempus', scil. per omne illud tempus, quo ea gerebantur, imbrem effusum esse. Cf. ad 1, 2. — 11 *incredibilis*] ut 6, 3 accidit res incredibilis, ut etc.; apud Curtium legitur quidem 10, 5, 3 incredibile dictu audituque, sed incred. auditu neque veterum scriptorum exemplis confirmatum est neque cur imber auditu horribilior quam dictu fuerit, satis intellegitur. 'L'auteur veut exprimer, qu'un orage mêlé de grêle était, dans cette saison (décembre julien) un phénomène extraordinaire.' Stoffel II 291. — *vergiliarum*] dictae a vergendo, non, ut scribit Festus p. 372 M. 'quod earum ortu ver finitur, aestas incipit'. — *confecto*] Plin. nat. h. 18, 231 donec bruma conficiatur; 16, 36 sidus confectum; 18, 207. 'L'auteur veut désigner le coucher héliaque des Pléiades.' Stoffel II 291.

circiter vigilia secunda noctis nimbus cum saxea grandine
2 subito est exortus ingens. Ad hoc autem incommodum accesserat, quod Caesar non more superiorum temporum in hibernis exercitum continebat, sed in tertio quarto quoque die [procedendo] propius[que] hostem accedendo castra com-

1 vigiliam secundam *V, F sec. m.* ‖ saxe *A* ‖ 3 temporum *Glandorpius;* imperatorum *O* ‖ 4 *quarto quoque] quartoque *O* ‖ 5 *[procedendo] *inclusimus* ‖ *propius *L pr. m.;* propiusque *R* ‖ *communibat *O praeter D;* communiebat *D, vulg.*

---

1 *vigilia noctis*] 67, 1; pleonasmus Caesari evitatus, non item Livio. — *nimbus cum saxea grandine*] Verba redolent sermonem Vergilii, ut quis ea ad exemplum Ennii composita esse conicere possit; probabilius tamen sollemnem illum hexametri exitum 'grandine nimbi' (Aen. 4, 120. 5, 458. 9, 669. 10, 803) primum finxisse Vergilium, quia imitatores habuit Ovidium (met. 14, 543) et Silium (12, 22), ab Antonio Zingerle harum rerum aestimatore peritissimo nondum comparatos. Iam cum temporum ratione habita fieri non posset, ut Asinius memor esset Vergilii versuum, priscos poetas imbrem et grandinem saepius coniunxisse monendum est, veluti Plautus Most. 1, 2, 58 quae in adventu suo grandinem, imbrem attulit; Pacuvius 414 R. grando mixta imbri largifico subita praecipitans cadit; Lucr. 6, 107 nives gelidas et grandinis imbres. Unde erit fortasse, qui ab Asinio 'imber cum saxea grandine' scriptum fuisse coniciat, praesertim cum § 6 scriptum sit: subito imbre grandineque consecuta. Ab hexametri lege cur abhorruerit 'grandine imbres' nemo non videt. Quamquam verbo nimbus fortasse melius convenire 'exortus', imbri potius 'effusus' concedendum est. De substantivorum discrimine exposuisse videtur, quisquis ille fuit qui differentias Suetonii nomine insignitas et ordine litterarum dispositas conscripsit (Suet. pg. 314, 13 ed. Roth.), cui restituerim: imbrem pluviam et nimbum. — 3 *sup. temporum*] 3, 4. 48, 3. 87, 3. 88, 3. — 4 *in tertio, quarto quoque die*] Alterum nomen numerale additum est, ne nimis premeretur vis verbi 'tertius', velut in praeceptis medicorum (tertio quoque die, Cels. 2, 4, 13 et passim); ut enim ad verbum intellegenda sunt, quae scripserunt Caes. I 25, 10 in quarta quaque (rate); Liv. 2, 59, 11 sorte decumus quisque ad supplicium lecti, ita minus anxie interpretandi loci ap. Cic. epist. 5, 2, 8 tertio quoque verbo me appellabat; Tac. dial. 23 illud tertio quoque sensu pro sententia positum. In locum asyndeti disiunctivi, quod probavit utpote sermonis prisci amator (Cato r. rust. 103 quarto quinto quoque die hoc sic facies), plerique scriptores substituerunt particulas vel, ve, aut: Cels. 2, 17, 11 tertio quartove die; 4, 20, 10 tertio quoque aut quarto die. Praepositio *in* autem idem fere significat, quod 'intra diei spatium', im Verlaufe je des dritten Tages, ut apud eundem Celsum saepe 'bis, ter, in die'; 3, 4, 45 in die pari gravior febris esse potest. — 5 *propius h. accedendo*] 51, 4 cum propius hostem accessisset, et sic decies in hoc commentariolo; a quo quid differat 'procedendo', nisi ad argutias confugeris, difficile est dictu. An procedendo Asinio, p. h. accedendo grammatico tribuendum est? — *communibat*] Haec imperfecti forma non solum prisca aetate recepta erat, sed placebat etiam aevi Augustei poetis epicis, quia facilius hexametro includi poterat; cumque eam ne Varronem quidem sprevisse constet (l. lat. 5, 167), Asinium eam admisisse nemo mirabitur. Cf. Koene,

munibat, opereque faciendo milites se circumspiciendi non
habebant facultatem. Praeterea [ita] ex Sicilia exercitum 3
transportabat, ut praeter ipsum militem et arma nec vas
nec mancipium neque ullam rem, quae usui militi esse con-
suevit, in naves inponi pateretur. In Africa autem non modo 4
nihil sibi quicquam adquisierant [aut paraverant], sed etiam
propter annonae caritatem ante parta consumpserant. Quibus 5
rebus attenuati oppido [per]quam pauci sub pellibus quiesce-

1 circumspiciendo *PUFV* ‖ 2 *[ita] *inclusimus; om. LPV* ‖ 4 usu *A;* usus *UF* ‖ 5 Africam *A* ‖ 6 **nihil* sibi quicquam] sibi quicquam *ALPV (nisi quod L* sibi *om.); sibi quicquam non *R, editt.* ‖ adquisierant *A;* acquisierant *R* ‖ *[aut paraverant] *incl.* ‖ 8 *quiescebant] adquiescebant *A;* acquiescebant *R* ‖ *quam *L;* perquam *R*

Sprache der röm. Epiker. 1840. p. 171. Neue II² 445; et plura in praef. nostra. — 1 *opereque faciendo*] opus facientes. Quod grammatici docent ablativum gerundii (et gerundivi) a praepositione non suspensum intellegendum esse instrumentalem, in universum quidem aestimanti verum est; rarius tamen usurpatur sensu et temporali et causali. Plaut. Men. 882 lumbi sedendo mi, oculi spectando dolent, manendo medicum, dum se ex opere recipiat. Verg. Aen. 2, 6 quis talia fando (= dum fatur) temperet a lacrimis. Sall. Cat. 61, 2 quem quisque pugnando (während des Kampfes) locum ceperat. B. Hisp. 36, 2 ita erumpendo (bei dem Ausfall) navis incendunt. Cic. Att. 4, 1, 6 plausum meo nomine recitando (ὀνόματος κηρυττομένου) dare. Quam constructionem Romanis utpote participio praes. passivi carentibus valde gratam Livius potissimum excoluit. Cf. Ott, zur Lehre vom Ablativ gerundii (1877), pg. 29 sqq. — *se circumspiciendi*] sibi prospiciendi; similiter Sen. epist. 40, 11 Romanus sermo magis se circumspicit, cui opponitur licentia Graecorum. — 3 *transportabat*] minime opus est plusquamperfecto, quia res non ad exitum perducta erat tertio commeatu nondum in naves imposito; quae autem praecepta Alieno dederat, de omnibus commeatibus valebant. Particula *ita* cogitatione supplenda, ut 7, 6, ubi cf. adnot. nostram. — 4 *mancipium*] 54, 4 quod familiam inposuisti; 54, 6. — *usui*] non ausi sumus 'usu' scribere, quia 36, 4 in omnibus codicibus usui traditum est. — 6 *nihil quicquam*] Plaut. Merc. 3, 1, 9 laboriosi nil tibi quicquam operis imperabo; Ter. Andr. 90 comperiebam nihil ad Pamphilum Quicquam attinere; Hec. 400; Ad. 366. Catull. 88, 7 nam nihil est quicquam sceleris, quod prodeat ultra. Gellius 1, 3, 3 nihil esse quicquam commissum a me. — *aut paraverant*] quae verba qui genuina esse sibi persuaserit, ad praedam referat, ut 'adquisierant' ad stipendium: sed videtur interpolatio ex eo orta esse, quod sequitur, 'ante parata' (sic L). — 7 *annonae caritatem*] Cic. Verr. III 47 et 215. Cato ap. Gell. 2, 28, 6 quotiens annona cara: nihil igitur est, cur scribatur gravitatem. — 8 *oppido quam pauci*] Livius 36, 25, 3 o. quam brevis; 39, 47, 2 o. quam parvus, neque aliter Vitruvius et Gellius. Cf. Ed. Wölfflin, Latein. Comparation 1879. pg. 21. 28. — *sub pellibus*] Caes. 3, 29, 2. III 13, 5. — *quiescebant*] non solum de somno dicitur, sed etiam de quiete interdiu capta. Nep. Alcib. 10, 4 casam, in qua quiescebat; Sall. Iug. 71, 1 fessus in lecto quiescebat: codicum corruptelam traxit, quod praecessit, 'adquisierant'; praeterea adquiescendi verbum alia significatione positum est 10, 4.

bant; reliqui ex vestimentis tentoriolis factis atque arundini-
6 bus scopisque contextis permanebant. Itaque subito imbre grandineque consecuta gravatis pondere tentoriis aquarumque vi subrutis disiectisque, nocte intempesta ignibus extinctis, rebus, quae ad victum pertinent, omnibus corruptis per castra passim vagabantur scutisque capita contegebant. Eadem nocte V. legionis pilorum cacumina sua sponte arserunt.

1 48. Rex interim Iuba de equestri proelio Scipionis certior factus evocatusque ab eodem litteris praefecto Saburra cum parte exercitus contra Sitium relicto, ut secum ipse aliquid auctoritatis adferret exercitui Scipionis ad terrorem Caesaris, cum tribus legionibus equitibusque frenatis DCCC, Numidis sine frenis peditibusque levis armaturae, grandi numero, elephantis XXX egressus e regno ad Scipionem est

1 arundinibus *A*; harundinibus *R* ‖ 2 scopisque *cod. Scalig.*; copiisque *ALPV*; coriisque *UFD* ‖ 3 gravatis *Oudendorpius*; gravati *L*; gravata *APUFV* ‖ pendere *AUF* ‖ tentoriis *Oudend.*; tenebris *O* aquarumque *Oudend.*; aquaque *ALUFD*; aquamque *PV*; aquaeque *Nipperd.* ‖ 4 vi *Oudend.*; vel *O* ‖ subrutis disiectisque *Oudend.*; subruti disiectique *L*; subruta disiectaque *R* ‖ 5 pertinent] partim *APUFV* ‖ 6 passim] partim *V* ‖ 7 V.] *AUFD*; ·II· *LPV* 10 Saburrae (Saburae *A*; Saburre *L*) *codices* ‖ 11 contra *om.* *A* ‖ Sittius *A* ‖ 12 *adferret] haberet *O praeter L, in quo est* habereret; adderet *Oudendorpius* ‖ exercitui *Oudend.*; exercitus *O* ‖ *ad terrorem *L*; ac terrore *R*; ac terrorem *Oudend*, *editt.* ‖ 13 tribus] IIII *D* ‖ 14 levis *cod. Petav. et Norvic.*; eius *R* ‖ 15 *elephantis *LPV*; elephantisque *R*

---

1 *tentoriolis*] deminutivo significatur procul afuisse a iustis tentoriis illas vestimentorum compages. — *arundinibus scopisque*] Plaut. Stich. 2, 3, 23 efferte huc scopas simulque arundinem. — 2 *permanebant*] ut verbum simplex manendi saepe de pernoctando dicitur. — 3 *consecuta*] dicitur de mutatione caeli, cum aut secundam tempestatem sequitur adversa aut turbulentam serena. Caes. 3, 29, 2 eiusmodi tempestates sunt consecutae, uti etc. 5, 23, 5 summa tranquillitate consecuta. — *tentoriis*] iisdem, quae § 5 dixerat tentoriola; similiter 27, 1 lapillos . . . lapides. b. Gall. 8, 5, 2 (Polio?); apud Caesarem constanter tabernacula. — 7 *pilorum cacumina*] Tac. ann. 15, 7 pila militum arsere, magis insigni prodigio; apud Livium aliquotiens spicula arsisse dicuntur 22, 1, 8. 33, 26, 8. Cf. Cic. de divin. 2, 77. Sen. q. nat. 1, 12.

48. 10 *evocatus*] verbum de eo dicitur, qui maiore est imperio. Dio Cass. 43, 4, 6 *τὸν Ἰόβαν μετεπέμπετο, καὶ αὐτῷ, ἐπειδὴ μὴ ὑπηκουέν οἱ, πάντα τὰ ἐν τῇ Ἀφρικῇ τοῖς Ῥωμαίοις ὄντα χαρίσασθαι ὑπέσχετο.* — *Saburra*] Iubae regis praefectus, Caes. II 38, 1 et in proelio ad Bagradam victor, ibid. 40. — 12 *adferret*] Cic. p. Caec. 63 Iulius hoc secum auctoritatis ad accusandum adferebat; id. Phil. 8, 23 secum attulerat auctoritatem populi Romani: interpolata codicum scriptura fortasse ex § 3 (habuerat auctoritatem) orta est. — *ad terrorem*] scil. Caesari incutiendum. — 15 *elephantis*] de asyndeto cf. ad 11, 3. 83, 2.

profectus. Postquam ad eum pervenit, castris [regis] seor- 2
sum positis cum eis copiis, quas commemoravi, haud ita
longe ab Scipione consedit. — Erat in castris Caesaris supe- 3
riore tempore magnus terror, et expectatione copiarum re-
giarum exercitus eius [magis] suspensiore animo ante ad-
ventum Iubae commovebatur; postquam vero castra castris
contulit, despectis eius copiis omnem timorem deponit. Ita,
quam [antea] absens habuerat auctoritatem, eam omnem
praesens dimiserat. — Quo facto cuivis facile fuit intellectu, 4
Scipioni additum animum fiduciamque regis adventu. Nam 5
postero die universas suas regisque copias cum elephantis LX

1 *[regis] *incl. Novák;* regiis *editt.* ‖ 2 eius *LPUFV* ‖ 3 longe] lo *A* ‖ 4 expectatio *AL;* ex expectatione *cod. Scalig.* ‖ 5 *[magis] *inclusimus; om. cod. Petav. et Norvic.* ‖ animante *A* ‖ 6 Iubae *om. A* ‖ 8 *[antea] *inclusimus;* ante *L; inverso ordine* absens antea *V* ‖ 9 cuius *LPV* ‖ intellectum *L, rec.;* inlectum *APV;* inlatum *UFDδ* ‖ 10 adventum *APUF* ‖ 11 copuis *L*

---

3 *erat*] cur § 3 quasi per parenthesin interpositam esse credamus, dictum est ad § 4 'quo facto'. — 4 *expectatione*] ut 26, 3 lacrimis commotus; 63, 2 celeritate c.: alteram constructionem, commoveri ex aliqua re (57, 1 ex tali incommodo) scriptor consulto fugisse videtur, ne duae praepositiones concurrerent. — 5 [*magis*] Etsi hanc particulam in sermone vulgari cum comparativis coniunctam esse satis constat (Plaut. Aulul. 3, 2, 8 magis mollior, Amph. 1, 1, 145 magis maior etc.), repressit tamen hanc dicendi licentiam Terentius (Hec. 738 magis . . . cautius), aspernati sunt optimi et oratores et poetae, quare noluimus eam Asinio imputare; floruisse autem in consuetudine vulgi inde colligitur, quod apud scriptores Afros hic usus latius patet, veluti ap. Tert. pudic. 16, Apul. met. 9, 36, Arnobium 1, 58. 2, 5, Commodianum apol. 748 (m. plenius). Praeterea conferenda sunt exempla comparativorum cum minus et plus coniunctorum, quo ex genere parum exculto sufficiat protulisse potissima et antiquissima: Ovid. fast. 1, 526 minus altior; Commod. apolog. 5 plus levior. Cf. Ed. Wölfflin, Lat. Compar. p. 46 sq. — *suspensiore animo*] Cic. Att. 2, 18, 1 suspenso animo et sollicito et sic passim; non offendendum autem esse in singulari 'animo' ad exercitum relato demonstrant loci b. civ. I 64, 4 milites, quorum aut animus aut vires videbantur sustinere non posse; II 34, 6 praeoccupatus animus Attianorum militum. — 6 *Iubae*] si cum cod. A deleveris, in sequentibus scribendum erit: postquam vero rex castra castris contulit. — *castra castris contulit*] Cf. Landgraf, Arch. lex. lat. V 177 sqq. — 7 *deponit*] scil. Caesaris exercitus; 34, 6 sollicitudinem deponit. — 9 *dimiserat*] amiserat. Cic. p. Cluent. 6 et passim amittere auctoritatem. Cf. ad 7, 4 digredi. Accuratius definienti est: per socordiam ex manibus dimittere, veluti praedam. — *quo facto*] non refertur ad sollicitudinem militum Caesarianorum, sed ad § 2 haud ita longe a Scipione consedit. — *facile intellectu*] Cornif. 4, 33, 45; Cicero et Nepos binis locis: Caesar, si discesseris ab illo 'natu', uno ablativo (dativo) factu usus est. Quintil. 2, 3, 8 f. ad intellegendum. Cf. ad 47, 1 [auditu], et Landgraf ad Cic. Rosc. § 132, pg. 366. — 11 *elephantis LX*] id est: cum triginta, quos Iuba reliquerat nondum condocefactos (25, 5) totidemque a rege modo adductis (§ 1).

productas in aciem, quam speciosissime potuit, instruxit ac
paulo longius progressus ab suis munitionibus haud ita diu
commoratus se recepit in castra.
1 **49.** Caesar postquam animadvertit, Scipioni auxilia fere,
quae expectasset, omnia convenisse neque moram pugnandi
ullam fore, per iugum summum cum copiis progredi coepit
et brachia protinus ducere et castella munire propiusque
Scipionem [capiendo] loca excelsa occupare contendit, *ne* ad-
versarii magnitudine copiarum confisi proximum collem oc-
cuparent atque ita longius sibi progrediendi eriperent facul-
2 tatem. Eiusdem collis capiendi [gratia] Labienus consilium
ceperat et, quo propiore loco fuerat, eo celerius occurrerat.
1 **50.** Erat convallis satis magna latitudine, altitudine
praerupta, crebris locis speluncae in modum subrutis, quae
erat transgredienda Caesari, antequam ad eum collem, quem
capere volebat, perveniretur; ultraque eam convallem olivetum
2 vetus crebris arboribus condensum. Hic cum Labienus animad-
vertisset, Caesarem, si vellet eum locum occupare, prius

1 in aciem *L inter versus* || 3 *recepit *LDδ*; recipit *R* || 6 fere *A* || 8 *[capiendo] *inclusimus* || contendit] cepit *L* || ne *addidit Nipperdeius* || 9 occuparent *idem;* occupaverunt *O* || 10 progrediendi sibi *L* || eriperent *Nipperdeius;* eripuerunt *O* || 11 *capiendi] occupandi *O* || [gratia] *inclusit Clarkius* || 12 quo] quia V || fuerat] venerat *D corr.* || 14 erutis *Novák coll. b. Hisp. 39, 2 convallem exesumque locum in speluncam* || 15 erant *O* || transgrediendaę *LPUFV*

---

3 *recepit*] praestat perfectum; cf. 33, 5. 43 extr. 97, 1.

49. 4 *auxilia*] Iubae. — 6 *coepit*] fortasse glossema est verbi, quod sequitur, 'contendit'. — 7 *brachia protinus ducere*] protinus de loco dictum, ut sit brachia extendere, prolongare (cf. 38, 2); quo longius autem Caesar in summo iugo progrediebatur, eo longiora brachia ad iugi radices duci iussit. — 8 [*capiendo*] falso hoc loco insertum et ex eo natum esse videtur, quod § 2 ad verba 'collis occupandi' in margine 'capiendi' a correctore adscriptum erat. — *loca excelsa*] opponuntur summo iugo. — 9 *occupare contendit*] properat (quo verbo Asinius non utitur) occupare; cf. ad 16, 3 et ind. verb.; explicatur autem festinationis notio iis, quae supra scripta sunt: neque moram pugnandi ullam fore. · Alia horum verborum interpretatio haec est: capiendo loca excelsa antevenire (φθάνειν) properavit, scil. Scipionem; ad quam tamen confugere noluimus, quia et rarus est hic verbi usus atque adeo insolens accusativo non addito, et iure offendimur in eodem vocabulo insequenti versu alia significatione posito. Ceterum magna suspicio est Asinium scripsisse infinitivos historicos 'progredi, ducere, munire, occupare', quia *ne*, quod addidit Nipperdeius, post 'occupare' facilius intercidere potuit quam post 'contendit'. — 11 *capiendi*] ut 50, 1 collem quem capere volebat; cf. ad 49, 1 [capiendo].

50. 13 *convallis*] = vallis. Cf. ad 7, 6. — *satis magna*] 34, 3. 18, 1 Asinius ap. Cic. epist. 10, 32, 5 fructum satis magnum tulisse me putabo. — 17 *arboribus condensum*] Livius 25, 39, 1 valles (= vallis) condensa arboribus. Cf. ad 14, 2. — 18 *locum*] ut infra § 2 montem,

necesse esse convallem olivetumque transgredi, eorum loco-
rum peritus in insidiis cum parte equitatus levique armatura
consedit, et praeterea post montem [collemque] [Caesari subito
se ostenderet] equites in occulto conlocaverat, ut, cum ipse
ex inproviso legionarios adortus esset, ex colle subito se
equitatus ostenderet, et re duplici perturbatus Caesar eius-
que exercitus neque retro regrediundi neque ultra procedendi
oblata facultate circumventus concideretur. Caesar [post- 3
quam] equitatu ante praemisso inscius insidiarum cum ad
eum locum venisset, adversarii sive obliti praeceptorum La-
bieni sive veriti, ne in fossa ab equitibus opprimerentur,
rari ac singuli de rupe prodire et summa petere collis.
Quos Caesaris equites consecuti partim interfecerunt, partim 4
vivorum sunt potiti; deinde protinus collem petere conten-
derunt atque eum decusso Labieni praesidio celeriter occupave-
runt. Labienus cum parte equitum vix fuga sibi peperit salutem.

1 necesse esse *Ciacconius;* necesse *O* ‖ progredi *A* ‖ 2 levique *L in rasura sec. manu* ‖ 3 ut praeterea *AD corr.* ‖ *[collemque] *inclusimus;* collēſq. *A (id est* collemque, *ut est in δ);* collesque *R* ‖ [Caesari . . . ostenderet] *del. Aldus;* subito se Caesari ostenderet *AUFVD;* Caesari se subito ostenderet *LP* ‖ 4 et equites *UFVD* ‖ 5 *subito *hoc loco Dübner; in codd. supra versu 3 scriptum est* ‖ 6 et *Manutius;* ut *O* ‖ 7 regrediundi *A, et fort. UF;* regredeundi *P*; gredeundi *L;* regrediendi *Dδ* ‖ ultro *L* ‖ progrcedendi *P*, progrediundi *V* ‖ 8 ablata *A* ‖ *[postquam] *om. Lδ* ‖ 10 *adversarii *Fröhlich;* abusi *O;* abditi *Nipperdeius;* ausi sunt *Dübner;* equites post montem abditi *Novák* ‖ Labieni sive] Labienus *A* ‖ 12 summam *LVδ* ‖ 14 virorum *A* ‖ 16 equitatus *L*

---

variandae orationis causa positum pro ʻcollemʼ, nisi forte ita emendandum est. — 3 *post montem*] Quamquam Asinius in hac locorum descriptione constanter de summo iugo atque collibus dixerit, quod idem Dio Cassius 43, 4, 4 confirmat *προχωρήσας ἐπ᾽ αὐτὸν πρὸς πόλιν Οὐζίττα ἐπὶ λόφου τινός, ὑπέρ τε ἐκείνης καὶ ὑπὲρ τοῦ στρατοπέδου ἅμα αὐτῶν ὄντος ἱδρύθη*, multo probabilius tamen ʻcollemʼ explicandi causa suprascriptum quam inversa ratione ʻmontemʼ a glossatore additum esse. — 5 *subito*] huc revocatum est ex correctura falso verbis supra scriptis inserta: respondet autem adverbium iis, quae Asinius dixit de incursione Labieni: ex improviso adortus. Cf. Caes. I 63, 3 equites repente sese ad novissimum agmen ostendunt. Ceterum ʻsubitoʼ in bello Africo viginti duobus locis scriptum est, repente ne uno quidem; contra ea Hirtius hoc praetulit, illud sprevit. — 6 *re duplici*] impetu ancipiti. — 7 *regrediundi*] ut 45, 1 dicundi, quamquam 49, 1 progrediendi, 50, 1 transgredienda in codicibus propagatum est; accedit, quod procedendi verbo melius respondet ʻregrediʼ quam redire. — 9 *ante praemisso*] ante ad tempus referendum. — 10 *adversarii*] ut 49, 1; ʻabditiʼ substantivi loco positum non satis defenditur comparato loco Taciti hist. 4, 1 scrutari ac protrahere abditos. Cf. Arch. lex. lat. III 479. — 14 *vivorum potiti*] ut 61, 5 vivorum potiti sunt; 18, 4 collium; 74, 1 cuius. — 15 *decusso praesidio*] insolentius dictum

1 **51.** Hac re per equites gesta Caesar legionibus opera
distribuit atque in eo colle, quo erat potitus, castra munivit.
2 Deinde ab suis maximis castris per medium campum e re-
gione oppidi Uzitae, quod inter sua castra et Scipionis in
planicie positum erat tenebaturque a Scipione, duo brachia
instituit duci, et ita derigere, ut ad angulum dextrum sinistrum-
3 que eius oppidi convenirent; id hac ratione [opus instruebat],
ut, cum propius oppidum copias admovisset oppugnareque
coepisset, tecta latera suis munitionibus haberet, ne ab equi-
tatus multitudine circumventus ab oppugnatione deterreretur,

3 ab iis per *Novák* || 4 Uzitae *L;* Utxyttę *A* || 5 planiciem *APUFV* || ab Scipione *UF* || 6 duci *O; fort. scrib.* ducere, *quod iam Davisius coniecit* || *derigere] erigere *O;* dirigere *Lipsius, vulg.* || sinistramque *APUFV* || 7 conveniret *APUFV;* conveniret latus unum *codex Petavianus* || id *Rhellicanus;* L·T· *A;* ·l·i· *PUFVD pr. m.;* in *L;* hoc *D corr.; om. cod. Petav.* || *[opus instruebat] *incl. Novák* || 8 oppidum] hostium *L* || 9 littera *A*

---

pro: deiecto, deturbato, depulso. Caes. 7, 36, 7 deiecto praesidio (de colle); III 23, 2 praesidium equitum deiecit; infra 69, 3 levis armatura deiecta est de colle.

51. 1 *hac re gesta*] scil. feliciter; 19, 1 de proelio ancipiti Ruspinensi 'ea re gesta'; Caesar plurali numero: his rebus gestis. — *opera distribuit*] sensu collectivo 38, 2 legionibus opus attribuit. — 3 *maximis castris*] Hauptlager, cui opponuntur castra in colle nuperrime capto posita. — 6 *instituit duci . . . derigere*] Quamquam verbo 'instituere' et ipse Asinius (26, 3 bellum gerere instituit) et Caesar Hirtiusque innumeris fere locis subiunxerunt infinitivos activi (8, 33, 2 vallum in oppidi circuitum ducere instituit), Velleius tamen passivo usus esse creditur 2, 6, 3 frumentum plebi dari (dare Aldus) instituebat. Aequabilitatem autem orationis quod attinet, modo secutus est eam Asinius (38, 2 brachium iubet derigi ac muniri; 49, 1 brachia protinus ducere et castella munire contendit), interdum recessit ab severiore lege, veluti 37, 2 iubet legiones ex castris educi atque se consequi, ut ipse Caesar in verbo maxime iubendi, 7, 60, 1 naves progredi ibique se exspectari (exspectare?) iubet; I 61, 5 naves conquirere et Octogesam adduci iubent. Quare, quam Seneca Asinio obiecit compositionem salebrosam, invitis codicibus mollire non ausi sumus. — 7 *id hac ratione ut*] 59, 5. 86, 1 id hoc consilio ut (si) etc. — 8 *oppugnareque coepisset*] coepissetque oppugnare: particula 'que', ut in universum multo saepius nominibus particulisque subicitur quam verbis ita iis potissimum verborum formis adiungitur, quae in syllabam longam exeunt, veluti participiis et tertiis numeri pluralis personis (6, 3 fugarentque; 77, 1 orantque; 90, 2 petieruntque; 92, 1 petuntque), infinitivis praesentis passivi (26, 5 deserique), denique formis in consonantes terminatis, quarum ultimae syllabae suffixa particula producuntur (51, 2 tenebaturque, 58, 4 verebaturque; 71, 1 comminareturque; Pacuv. 365 hortaturque): respuunt fere hanc particulam infinitivi activi, maximeque tertiae coniugationis in pyrrhichium vel adeo in tribrachum finiti, quamquam et Cicero in dialogis (fin. 4, 25 constituereque; off. 1, 83) et Livius (41, 23, 7 manereque) in hoc genere multo plus sibi indulsit quam aut Caesar aut Sallustius. Cf. Lex Papiria ap. Fest. 344 M. iudicareque esseque. E. Thomas, Revue de philol. VIII 132 sqq.

praeterea, quo facilius conloquia fieri possent, et si qui per-
fugere vellent, id quod antea saepe accidebat magno eorum
cum periculo, tum facile et sine periculo fieret. Voluit etiam 4
experiri, cum propius hostem accessisset, haberetne in animo
dimicare. Accedebat autem ad reliquas causas, quod is locus 5
depressus erat puteique ibi [nonnulli] fieri conplures poterant:
aquatione enim longa et angusta utebatur. Dum haec opera, 6
quae [ante] dixi, fiebant a legionibus, interim pars acie ante
opus instructa sub hoste stabat; equites barbari levisque
armatura proeliis minutis comminus dimicabant.

1 conloquia *A;* colloquia *L; de reliquis parum constat* ‖ 2 ante *L inter versus sec. m.* ‖ *eorum cum *L;* cum eorum *R* (eorum *del. Novák*) ‖ 3 etiam] autem *L* ‖ 4 cum] tum facile *A*, *falso repetitum ex versu 3* ‖ 5 *autem *L pr. m. inter versus;* etiam *R* ‖ 6 [nonnulli] *om. L, Petavianus* ‖ 7 utebantur *O* ‖ 8 *[ante] *om. L* ‖ legione *A;* leḡ *L* ‖ 9 sub hostes *LPV* ‖ levis *VD* ‖ 10 *armatura] armaturae *O* ‖ cominus *L*

---

1 *perfugere*] Caesarem Scipionis milites, ut ad se transfugerent, maximis pollicitationibus pellexisse Dio Cassius 43, 5 tradidit: *λόγους τε φιλίους ἐς τοὺς στρατιώτας αὐτοῦ (Σκιπίωνος) καθῆκε καὶ βιβλία βραχέα διέρριψεν, ὑπισχνούμενος δι' αὐτῶν τῷ μὲν ἐπιχωρίῳ τά τε οἰκεῖα ἀκέραια τηρήσειν καὶ αὐτοὺς ἐλευθέρους ἀφήσειν, τῷ δὲ Ῥωμαίῳ τήν τε ἄδειαν καὶ τὰ γέρα ἃ καὶ τοῖς συνοῦσίν οἱ ὤφειλε δώσειν· καὶ συχνούς γε ἐκ τούτου προσεποιήσατο.* — 2 *accidebat*] antea acciderat et saepe quidem accidebat, nisi potius corrigendum est acciderat. — *magno eorum cum periculo*] Caes. 4, 28, 3 magno sui cum periculo; quamquam genetivum non necessario hoc loco ponendum esse docet Caes. 5, 19, 2 magno cum periculo nostrorum. — 5 *accedebat autem*] 47, 2 ad hoc autem incommodum accesserat, quod etc.; 'accedebat etiam, quod scripsit Asinius 72, 3 hoc loco stare non potest propter ea, quae § 4 dicta sunt: voluit etiam experiri. — *locus depressus*] sive opere, ut apud Sallustium Cat. 55, 3 est in carcere locus circiter duodecim pedes humi depressus, sive natura, ut hoc loco et apud Hirt. 8, 9, 2; Frontin. strat. 1, 5, 24 depresso loco castra ponere. Verg. Georg. 3, 276. Opponuntur loci editi. — 6 *nonnulli . . conplures*] idem glossema b. Hisp. 40, 6; cf. ad 19, 1. — 7 *aquatione longa*] ut obsidio, militia longa proprie de tempore intellegitur, id est, qua magna pars diei consumitur; de loci distantia dicitur plerumque longinquus, veluti militia longinqua ap. Tac. an. 11, 10 (= in terris remotis), quod haud scio an Asinio sit restituendum; nam Trogus Pompeius sive Iustinus 18, 1, 2 'tam longa a domo militia' eo defenditur, quod ex verbis a domo, quae sit adiectivi significatio, facile intellegitur. — *angusta*] aquatio opponitur copiosae, b. Hisp. 8, 2. — *dum . . . fiebant*] Caes. 7, 82, 1 dum longius a munitione aberant Galli, plus multitudine telorum proficiebant. — 8 *ante dixi*] id est § 2 et 3, quare potius 'paulo ante' dicendum erat, ut 41, 3 = 41, 2; 96, 2 = 96, 1: 32, 1 ut antea dixi = 30, 2. Sed videtur ante ex versiculo insequente huc irrepsisse; cf. 48, 2 cum eis copiis, quas commemoravi. — *acie*] non genet. est, sed ablativus. — 9 *sub hoste*] proxime hostem; insolentius dictum, quia plerumque locorum nomina suspensa sunt a praepositione: sub colle, sub monte, sub montis radicibus. — *levis armatura*]

1 **52.** Caesar ab eo opere cum iam sub vesperum copias
in castra reduceret, magno incursu cum omni equitatu levique
armatura Iuba ac Labienus in legionarios impetum fecerunt.
2 Equites Caesariani vi universae subitaeque hostium multitu-
3 dinis pulsi parumper cesserunt. Quae res aliter adversariis
cecidit: namque Caesar ex medio itinere copiis deductis equi-
tibus suis auxilium tulit; equites autem adventu legionum
animo addito conversis equis in Numidas cupide insequentes
dispersosque impetum fecerunt atque eos convulneratos usque
in castra regia reppulerunt multosque ex iis interfecerunt.
4 Quod nisi in noctem proelium esset coniectum pulvisque

2 levisque *AP pr. m.* ‖ 3 *ac] Scipio *O; incl. Fröhlich* ‖ 4 vi] · VI · *ALP;* in *UF* ‖ universi *L* ‖ multitudinis hostium *L* ‖ 5 accesserunt *LPUF;* abcesserunt *V* ‖ 6 *deductis] reductis *O* ‖ 7 detulit *LP* ‖ aduentum *A* ‖ 8 aequis *A* ‖ 10 repulerunt *AL* ‖ iis] hiis *L;* is *A;* his *R* ‖ 11 nisi *LPV;* ni *R*

---

pluralis armaturae eum non reperiatur ante Vegetium et Ammianum Marcellinum, restituendum erat, quod cum Asinii usu congruit: cf. 19, 3 auxilia Numidarum equitum levisque armaturae; 37, 1 equitatu levique armatura; 69, 3 equitatus et levis armatura, etc. Cf. ad 59, 3. — 10 *proeliis minutis*] cf. ad 29, 1.

52. 3 *Iuba ac Labienus*] Multae sunt causae, cur hic locus esse non possit Scipioni. Primum enim ubique eum legionibus praeesse videmus, non equitibus (cap. 38. 39. 40. 69. 70); deinde ante Iubam nominandus erat, quippe cui delatum esset summum imperium; denique ex § 3 apparet incursu equitum Iubam ac Labienum in summum periculum esse adductos. Videtur autem interpolatio ex § 5 male intellecta orta esse; nam legionarii Scipionis milites aderant quidem proelio, sed neque in Caesarianos impetum fecerunt neque iidem esse possunt cum levi armatura, de qua § 1 dictum est. — *legionarios*] quamquam non pedites, sed equites in novissimo agmine collocatos primo incursu oppressos esse ex § 2 apparet, quare haud scio an supplendum sit 'equites'. — 4 *subitae*] subito incurrentis. — 5 *parumper cesserunt*] 78, 7 minutatim cedere; 15, 2 paulatim cedere (ut Caes. II 40, 2. III 93, 4): meminit vero hoc loco versus Enniani, quem laudat auctor b. Hisp. 23, 3: hic tum, ut ait Ennius, nostri cessere parumper. Paulus Fest. p. 221 M.: parumper significat paulisper, quasi perparvum, hoc est valde parvum; refertur autem ad tempus. 'Abscesserunt' significationem habere ab hoc loco alienam docebit Arch. lex. lat. V 282; ne ex Tacito quidem (ann. 2, 14 sine cura ducum abire fugere) huius lectionis defensionem repetere licet. — *aliter*] ac speraverant. — 6 *copiis deductis*] 20, 1. 39, 2. 41, 1. 80, 4: pristinae vestigium scripturae in optimis codicibus LP remansit, in quibus versu insequente scriptum est 'detulit' pro 'tulit'; scilicet praepositio *de* a correctore in margine adscripta falso loco inserta est. — 10 *reppulerunt*] quamquam codices AL et hic et 87, 5 conspirant in scriptura repulerunt, in omnibus reliquis tamen scriptum esse reppulerunt diserte monuit Duebnerus. — 11 *quod nisi*] 26, 3; b. Alex. (Polio?) 11, 5. 63, 6; Caes. 7, 88, 6. — *pulvis vento flatus*] motus, collectus, excitatus, licentia poetarum dictum, qui verbis intransitivis pro transitivis utuntur. Quare

vento flatus omnium prospectui offecisset, Iuba cum Labieno capti in potestatem Caesaris venissent, equitatusque cum levi armatura funditus [ad internicionem] deletus esset. Interim 5 incredibiliter ex legionibus IIII. et VI. Scipionis milites diffugere partim in castra Caesaris, partim, in quas quisque poterat regiones [pervenire]; itemque equites Curioniani diffisi Scipioni eiusque copiis conplures se eodem conferebant.

53. Dum haec ad Uzitam ab utrisque ducibus administrantur, legiones duae, X. et VIIII., ex Sicilia navibus onerariis profectae, cum iam non longe a portu Ruspinae abessent, conspicati naves Caesarianas, quae in statione apud Thapsum stabant, veriti, ne in adversariorum ut insidiandi

1 *prospectui *V;* prospectum *ALPUFD* ‖ effecisset *P;* infecisset *L* ‖ 3 *[ad int.] *inclusimus;* ad internitionem *L* ‖ 4 lēg *ALUFD;* legione *PV* ‖ 5 in qua *A* ‖ 6 regione *A* ‖ *[pervenire] *inclusimus* ‖ Curioniani *Lipsius;* Curiani *O* ‖ 7 Scipionis *P* ‖ 8 *ad *L;* circum *R* ‖ Uzitam *L*; Uzirtam *P;* Uxittam *A;* Cirtam *V* ‖ 9 X. et VIIII.] *APFV;* X. et VIII. *D;* X. et XI. *L;* VIIII. et X. *δ* ‖ 11 *conspicati *ALPUF;* conspicatae *VD pr. m.*, *editt.* ‖ *naves Caesarianas *AUFV;* Caesarianas naves *R* ‖ statione] sta *A* ‖ 12 Thabsum *A* ‖ aut ut *A;* ut *om. V* ‖ insidianti *P;* insiciliandi *A*

---

non est, cur Asinium scripsisse statuamus 'elatus', ut dixit Livius 4, 33, 8 pulvis elatus mixtusque fumo lucem ex oculis virorum equorumque aufert. Curtius 4, 15, 32 prospectum oculorum nubes pulveris, quae ad caelum efferebatur, abstulerat. — 1 *prospectui offecisset*] editores *prospectu;* cf. 61, 6 excursionibus officere, et 40, 1 prospectum impedire, nisi potius accusativus reponendus coll. Lucr. 4, 767. 5, 774. — 3 *funditus deletus*] 22, 2 funditus deletam Italiam. Dicitur autem funditus delere, perdere, perire, interire, similia; dicitur etiam ad internecionem delere, trucidare, caedere, perire, veluti apud Livium 9, 26, 2. 9, 45, 17. 25, 26, 14. Vell. 2, 119, 2; nimium vero, quod edebatur, funditus ad internecionem delere. b. Alex. 27, 6 (Polio) q u o d n i s i . . . texissent, funditus deleti essent. — 4 *incredibiliter*] ἅπαξ εἰρημένον in commentariis rerum a Caesare gestarum; cf. 46, 2 cruciabiliter. — 5 *poterat*] scil. diffugere, vel potius fugere, cum de singulis dicatur; pervenire a grammatico additum. — 6 *Curioniani*] 40, 5.

53. 8 *ad Uzitam*] 28, 1. 33, 1. 36, 1. 62, 4. 76, 2: 'circum' Asinius non iunxit nisi cum verbis movendi, veluti vehor, proficiscor, vagor, concurso. Cf. ad 3, 3. — *utrisque*] cf. ad 28, 1. — *administrantur*] cf. ad 33, 1. — 9 *X. et VIIII.*] videtur Asinius decimam legionem priore loco posuisse propter eius virtutem bello Gallico spectatam; similiter Cicero Phil. 5, 46 legio Martia (i. e. quinta) quartaque. — 10 *onerariis*] unde intellegitur his navibus Caesarem non solum ad equites transportandos (2, 1) usum esse; cum enim longis opus esset ad oram maritumam tuendam (46, 4), onerarias in Siciliam misit ad commeatus arcessendos. — 11 *conspicati*] constructio ad sensum, de qua cf. ad 95, 1; de numero mutato cf. ad 6, 1 coeperunt. — *naves Caesarianas*] 28, 1 verba eodem modo collocata. — 12 *ut . . . commorantium*] utpote, ὡς: quem usum cum Draeger § 536 Taciti proprium esse dicat, particula fortasse delenda. Caesaris enim exempla ad aliud genus pertinent: II 13, 2 ut re confecta (= ut par erat) omnes curam

gratia ibi commorantium classem inciderent inprudentes, vela in altum dederunt ac diu multumque iactati tandem multis post diebus siti inopiaque confecti ad Caesarem perveniunt.

1 **54.** Quibus legionibus expositis, memor in Italia pristinae licentiae militaris ac rapinarum certorum hominum, parvulam modo causulam nactus Caesar, quod Avienus, tribunus militum X. legionis, navem *pro* commeatu familia sua atque iumentis occupavisset neque militem unum ab Sicilia sustulisset, postero die de suggestu convocatis omnium legionum
2 tribunis centurionibusque, *Maxime vellem*, inquit, *homines suae petulantiae nimiaeque libertatis aliquando finem fecissent meaeque lenitatis, modestiae patientiaeque rationem habuissent.*
3 *Sed quoniam ipsi sibi neque modum neque terminum constituunt,*

3 perveniantur *A* ‖ 4 meror *ALPFV* ‖ 6 casulam *A* ‖ Caesar quod *D corr.*; quod Caesar *R* ‖ *Avienus *O;* C. Avienus *Stephanus ex § 4* ‖ tribus *A* ‖ 7 **pro*] *om. O;* ex *Forchhammer* ‖ 8 absialia *A* ‖ 11 libertati *Novák* ‖ 12 rationem . . . constituunt *om. A* ‖ 13 ipsi *Dδ;* usi *LP;* ii *UF;* illis usi *V*

---

remittunt; 3, 18, 8 laeti ut explorata victoria; b. Alex. 24, 5 ille, ut ex carceribus in liberum cursum emissus (= velut, sensu comparativo) bellum gerere coepit. — 1 *inprudentes*] adiectivo ad enuntiatum finale relato verba rectius distinxit Cornelissen, Mnemos. nov. ser. XVII. p. 54. Cf. 11, 4 ne casu inprudentes.

54. 5 *licentiae . . . rapinarum*] De causis huius seditionis cf. Appian. b. civ. 2, 92: *ἑτέρα (στάσις) δ᾽ ἐπ᾽ αὐτὸν ἀνίστατο τοῦ στρατοῦ, ὡς οὔτε τὰ ἐπηγγελμένα σφίσιν ἐπὶ τῷ κατὰ Φάρσαλον ἔργῳ λαβόντες, οὔτε ἐννόμως ἔτι βραδύνοντες ἐν τῇ στρατείᾳ· ἀφεθῆναί τε πάντες ἐπὶ τὰ αὐτῶν ἠξίουν Ὁ δ᾽ ἐπηγγέλλετο μὲν αὐτοῖς ἀόριστά τινα ἐν Φαρσάλῳ, καὶ ἕτερα ὀόριστα, ὅταν ὁ ἐν Λιβύῃ πόλεμος ἐκτελεσθῇ. τότε δ᾽ ἔπεμπεν, ἄλλας ὁρίζων ἑκάστῳ χιλίας δραχμάς. Οἱ δ᾽ αὐτὸν οὐχ ὑπισχνεῖσθαι μᾶλλον ἢ αὐτίκα διδόναι πάντα ἐκέλευον, καὶ περὶ τῶνδε Σαλούστιον Κρίσπον πεμφθέντα πρὸς αὐτοὺς ὀλίγου καὶ διέφθειραν, εἰ μὴ διέφυγε.* De militum vero immodestia idem Caesarem metuisse scribit, ne ad rapinas verterentur, ac de eadem re Dio Cassius 42, 30, 1 *πυθόμενος τὰ στρατόπεδα μηδὲν ὑγιὲς δρᾶν.* — *parvulam causulam*] cf. ad 27, 1. — 7 *navem*] ein ganzes Schiff. — *pro commeatu*] § 4 pro militibus tuam familiam iumentaque in naves inposuisti; commeatum autem intellegi copias ad supplendum exercitum ex 8, 1 perspicitur: ad secundum commeatum arcessendum. — 10 *maxime vellem . . . sed quoniam*] Sollemne in scholis rhetorum commendatum initium orationis, ex eloquentia Graecorum translatum. Cic. p. Sulla 1, 1 maxime vellem . . . sed quoniam; id. Phil. 9, 1. Oratio Philippi ap. Sallust. hist. 1, 48 D. Maxume vellem . . . sed. Demosth. Prooem. 33 *μάλιστα μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, βουλοίμην ἄν.* Ex hoc igitur loco auctorem commentarii de bello Africo rhetorica disciplina excultum fuisse apparet. — 12 *lenitatis*] cf. ad 92, 4. — 13 *neque modum neque terminum*] formula proprie agrimensorum, veluti Inscript. Orell. supplem. 5115: Terminos finisque ex senati consolto statui iusit inter Patavinos et Atestinos; hinc translatum ap. Cic. p. Quinct. 35: certos mihi fines terminosque constituam, extra quos egredi

quo ceteri dissimiliter se gerant, egomet [*ipse*] *documentum*
more militari constituam. C. Aviene, quod in Italia milites 4
populi Romani contra rempublicam instigasti rapinasque per
municipia fecisti, quod mihi reique publicae inutilis fuisti et
pro militibus tuam familiam iumentaque in naves inposuisti,
tuaque opera militibus tempore necessario respublica caret, ob
eas res ignominiae causa ab exercitu meo te removeo hodieque
te ex Africa abesse [*et*] *quantum pote* [*proficisci*] *iubeo. Item-*
que te, Aule Fontei, quod tribunus militum seditiosus malusque
civis fuisti, te ab exercitu dimitto. Tite Saliene, M. Tiro, 5
C. Clusinas, cum ordines in meo exercitu beneficio, non virtute
[*sitis*] *consecuti ita vos gesseritis, ut neque bello fortes neque pace*
boni aut utiles fueritis et magis in seditione concitandisque

1 *[ipse] *om. L* ‖ 4 municipias *A;* mancipia *L* ‖ *quod] q *L;* quodque *R* ‖ 5 tuam . . . militibus *om. A*, *addito* q. (*id est* quaere) *post* pro militibus; *similiter* (*post* opera) militibusque *PV;* militibusque *UFD;* militibus quibus *L* ‖ 7 *te *L; om. R* ‖ 8 *[et] . . [proficisci] *inclusimus* ‖ pote *Oudendorpius;* peto *ALPV;* potest *UF;* potes *D* ‖ proficisṭcuabeo *A* ‖ 9 Auleo *L;* Ale *UF* ‖ trib. *A* ‖ malus seditiosusque *L* ‖ 10 te *del. Novák* ‖ isaliene *UF; om. L* ‖ M. *om. L* ‖ 11 Clusianas *UF* ‖ 12 sitis *O; om. editt.* ‖ paci *A*

---

non possim, nisi quod termini vocabulo rarius utuntur optimi scriptores. Asinius apud Cic. epist. 10, 32, 4 quorum quis ullam finem aut modum futurum putabit? Cic. Verr. II 128 modum et finem. Hor. carm. 1, 24, 1 Quis desiderio sit pudor aut modus? — 1 *egomet*] absonum, quod additur 'ipse', praesertim cum iam in priore enuntiato scriptum sit 'ipsi', ut oppositionis vis infringatur. — 2 *in Italia*] Legiones, quae contra Caesarem rebellabant, cum eas in Africam traducturus esset, in Campania erant et in Graecia quae dicitur Magna; itaque scelus augetur, quod hi tumultus in ipsa Italia concitati sunt. — 4 *quod mihi*] bene coniungitur anaphora cum asyndeto, quod vel ideo praeferendum, quod subsequitur 'tuaque opera'. — 6 *ob eas res ignominiae causa*] 46, 4 ob neglegentiam ignominiae causa dimittendos: quare ob eas res est: ob disciplinam militarem corruptam; similiter Caesar III 74, 2 nonnullos signiferos ignominia notatos ac loco motos esse memorat, scilicet ob signa amissa, ut patet ex III 71, 2. Itaque 'causa' sensu iuris consultorum accipiendum, quia in legibus militaribus singillatim constituta et enumerata erant, quaecunque nomine ignominiae comprehenderentur. — 7 *hodieque te*] heute noch; pronomen autem cum vi quadam iteratum est, ut infra: itemque te . . . te dimitto. — 8 *quantum pote*] = quam celerrime. Afranius 327 R. In Hortinos iam quantum pote explodam hominem, ut vilicetur. Cic. Att. 4, 13, 2 rescribas ad me quantum pote. Locutionem sermoni familiari propriam fuisse docet A. Köhler, Act. sem. Erl. I 403. Cf. Hellmuth, Die Sprache der Epistolographen S. Sulpicius Galba und L. Cornelius Balbus. Würzb. 1888. p. 19. — [*proficisci*] ὕστερον πρότερον; sed collata § 5 extr. verbum potius delendum est. — 12 *sitis consecuti . . . gesseritis*] non duas causas affert dimissionis, sed unam eamque eo graviorem, quo indigniores fuerant beneficio a Caesare in eos collato. — 13 *magis . . . studiosiores*] verborum abundantia hoc loco eo

*militibus adversum vestrum imperatorem quam pudoris modestiae-
que fueritis studiosiores, indignos vos esse arbitror, qui in meo
exercitu ordines ducatis, missosque facio et, quantum pote, ab-
6 esse ex Africa iubeo.* Itaque tradidit eos centurionibus et
singulos non amplius singulis additis servis in navim in-
ponendos [separatim] curavit.

1 **55.** Gaetuli interim perfugae, quos cum litteris manda-
tisque a Caesare missos supra docuimus, ad suos cives per-
veniunt. Quorum auctoritate facile adducti Caesarisque no-
mine persuasi a rege Iuba desciscunt celeriterque cuncti arma
2 capiunt contraque regem facere non dubitant. Quibus rebus

1 adversus vestrum imperatorem *Ciacconius;* adversariorum vestrorum imperatoris *O* || 2 studiosi *coni. Novák* || in *om. APUFD* || 3 missoque *A* || pote *A marg.;* peto *LPV;* potest *UF;* potis *D corr.* || 4 esse *PD* || *tradidit *A;* tradit *R* || 5 singulos . . . singulis additis servis *Vielhaber;* singulis . . . singulos additos (additis *D pr. m.*) servos *O* || *navim] navi *A et rec.;* navem *Vascosanus;* nave *LPUFVD* || 6 *[separatim] *inclusimus* || 8 pervenerunt *D* || 10 deciscunt *L*

---

excusatur, quod 'magis' a comparativo multorum verborum intervallo seiunctum est. Cf. ad 48, 3. — 3 *missos facio*] § 4, dimitto; b. Hisp. 13, 5 missos f. loricatos; 12, 3. Locutio comicorum, maxime Terentii (cf. Thielmann, serm. Cornif. 28) ex sermone militari petita, a Caesare tamen in commentariis (cf. Caes. ap. Cic. ep. Att. 9, 7, C, 2 missum feci) spreta. Alios seditionis auctores alio modo tollendos curavit secundum Dionem Cassium 42, 55, 2 τοὺς πάνυ θρασεῖς ἐν τῇ Ἀφρικῇ, ἄλλους κατ' ἄλλην πρόφασιν, ἀνάλωσε. — 5 *non amplius singulis*] In refingendo hoc enuntiato tenendum erat a Caesare, Hirtio, Asinio 'amplius, non amplius' numeralibus constanter praeponi, nusquam postponi, ut apud Livium et Tacitum, raro inseri numeris compositis (1, 41, 4 milium amplius quinquaginta; 6, 29, 4 milibus amplius quingentis); tres autem ablativi in eandem terminationem exeuntes deinceps positi sunt 30, 2: universis copiis productis elephantisque turritis ante aciem instructis; 24, 1. 26, 1. — *in navim inp.*] ut 2, 1. 34, 4. 47, 3. 54, 4; Asinius apud Cic. epist. 10, 33, 3 tabellariis in duas naves impositis. Cf. Schmalz, Sprachgebrauch des Asinius Pollio, pg. 85 sq. — 6 *separatim*] ante 'inponendos', cui notioni accuratius definiendae inservit, collocandum erat; cf. adnot. crit. ad 41, 2 (leniter accessit). Recte interpretatur Stoffel II 131: ils furent embarqués (séparément) chacun sur un vaisseau avec un seul esclave comme domestique.

55. 7 *cum litteris mandatisque*] 32, 4. — 8 *supra*] id est 32, 4; 73, 1 supra commemoravi = 71, 2; 80, 3 supra commemoravi = 79, 1; cf. ad 51, 6 ante. — 9 *quorum auctoritate*] utpote virorum illustrium. — 10 *persuasi*] constructione a Caesare improbata; cf. 2, 10, 5 his persuaderi, ut; 5, 55, 2 neque ulli civitati persuaderi potuit; I 6, 2 neque iis posse persuaderi. Cf. Mus. Rhen. XXXVII 115 sq. — 11 *contra regem facere*] b. Alex. 58, 4 (Asinius P.) contra Caesarem ne facerent, orare; Sall. Cat. 50, 3. 51, 43 facere contra rem publicam, ac sic Cicero passim. Caesar de eadem re praepositione adversus utitur 1 2, 6 eum adversus rem publicam facturum videri; item Nepos Eum. 8, 2 neque minus eos cum quibus steterint, quam adversus quos

cognitis Iuba distentus triplici bello necessitateque coactus
de suis copiis, quas contra Caesarem adduxerat, sex cohortes
in fines regni sui mittit, quae essent praesidio contra Gaetulos.
56. Caesar brachiis perfectis promotisque usque eo, ut 1
telum ex oppido adigi non posset, castra munit, ballistis
scorpionibusque crebris ante frontem castrorum contra oppidum conlocatis defensores muri deterrere non intermittit
eoque quinque legiones ex superioribus castris deducit. Qua 2
facultate oblata inlustriores [notissimique] conspectum amicorum propinquorumque eeflagitabant atque inter se conloquebantur. Quae res quid utilitatis haberet, Caesarem non 3
latebat: namque Gaetuli ex equitatu regio nobiliores equi-

1 necessitate coactus *D* ‖ 2 sex] ri ·VI· *L* ‖ 4 permotisque *LD* ‖ *usque eo ut *A;* usque eo *L P;* usque eo quod *UF;* usque eo quo *VD, editt.* ‖ 5 *adigi] abici *O;* adici *Vascosanus* ‖ 6 contraque *AUFV* ‖ 8 eosque *ALP; om. V* ‖ educit *L* ‖ qui *L* ‖ 9 *[notissimique] *inclusimus* ‖ 10 propinquorum *L* ‖ *eeflagitabant] *ut 22, 5;* efflagitabant *O* ‖ 12 *latebat *L;* faciebat *AP;* commonefaciebat *V;* fallebat *R* ‖ equitum *L*

fecerint. Charisius p. 232, 17 K. adversus illum facio. Hanc locutionem fuisse antiquiorem colligitur ex locis Cic. Verr. 3, 69 SI PARET ADVERSUM EDICTUM FECISSE, et pro Caec. 45 NI ADVERSUS EDICTUM PRAETORIS VIS FACTA ESSET; quibuscum cf. Cic. Verr. 3, 25 et 68: contra edictum facere. — 1 *triplici bello*] contra Caesarem, contra Sitium (48, 1), contra Gaetulos. — *necessitate coactus*] cf. ad 21, 1. — 2 *suis copiis*] tribus legionibus, levis armaturae et equitum grandi numero 47, 1.

56. 4 *usque eo ut*] 23, 2 usque eo (Pompeium) passi propius accedere, donec . . . appropinquaret; b. Hisp. 24, 2 excelsum tumulum capiebat, usque eo, ut necessario cogeretur inicum locum subire. — 5 *adigi*] Caes. II 34, 6 priusquam telum adigi (Madvigius; adici Oudendorpius; abici codd.) posset; 2, 21, 3 non longius aberant, quam quo telum adigi (Cuiac.; adici sive abici codd.) posset. — 8 *ex superioribus castris*] maximis in summo iugo positis, 51, 2. — 9 *inlustriores*] 32, 4 hominibus inlustrioribus; 56, 3 nobiliores. Neque Asinium comparativos et superlativos iunxisse exemplis comprobari potest (57, 6 superbissimo inertissimoque; 73, 1 tardior et consideratior; 75, 3 propius audaciusque; 78, 4 fortissime acerrimeque) neque alii illorum temporum scriptores in talem verborum inconcinnitatem lapsi sunt: praeterea, quinam fuerint illi 'notissimi', parum liquet. — 11 *Caesarem non latebat*] constructio a Caesare ac Cicerone aliena; post Asinium invenitur apud Varronem r. rust. 1, 40 quod latet nostrum sensum; Verg. Aen. 1, 130 nec latuere doli fratrem Iunonis; Ovid. Pont. 4, 9, 126 nil illum latet; Val. Flacc. 6, 703 nec latuere diu saevum spolia illa Syenen. Iustinus (Pompeius Trogus?) 13, 8, 6 res Eumenen non latuit; 31, 2, 2 res Hannibalem non diu latuit. Gellio ita visa est obsoleta, ut alterum eiusdem significationis verbum addendum esse putaret 16, 1 (lemm.) quod Plinium fugerit latueritque; 13, 29, 6 ne nos fugeret lateretque subtilior verborum consideratio. Cf. Schmalz, Antibarbarus II 7. (Interpolatio 'fallebat' fluxit ex 75, 4. 3, 5.)

tumque praefecti, quorum patres cum Mario ante meruerant eiusque beneficio agris finibusque donati post Sullae victoriam sub Hiempsalis regis erant dati potestatem, occasione capta nocte iam luminibus accensis cum equis calonibusque suis circiter mille perfugiunt in Caesaris castra, quae erant in campo proxime [locum] Uzitae locata.

1 **57.** Quod postquam Scipio, quique cum eo erant, cogno-
verunt, cum commoti ex tali incommodo essent, fere per
idem tempus M. Aquinium cum C. Saserna conloquentem
2 viderunt. Scipio mittit ad Aquinium, nihil pertinere, [eum]
cum adversariis conloqui. Cum nihilo minus eius sermonem

1 partes *A pr. m. UF* ‖ manserant *A* ‖ 2 Sillae *A;* spillae *L* *(id est* sillae (y superscr.), *forma vocalis superscriptae proxime ad litteram* p *accedente)* ‖ 3 Hiemsalis *ALPUV* ‖ potestate *ALPU* ‖ accepta *L* (*corruptela orta ex* accensis); data *Petavianus* ‖ 5 mille] ·m· *LVδ*; Ī *A;* ·I· *PUFD* ‖ perfugiunt] *fortasse scribendum* profugiunt *coll.* 26, 2. 35, 6 ‖ 6 [locum] *incl. editt.* ‖ Uzytte *A;* Scirtae *V* ‖ 7 quos *AUF* ‖ quique] et qui *A; cf. 35, 1* ‖ eo *om. A* ‖ 9 *idem] id *O* ‖ *Aquinium *hic et versu inseq. O praeter A, qui habet* Aquinum ‖ C.] 5f (*id est* consule) *L* ‖ Sacerna *A* ‖ 10 dicens nihil *V* ‖ *pertinere *L*; attinere *R* ‖ *[eum] *om. L*

---

1 *cum Mario meruerant*] auspiciis, ductu Marii: 10, 1 cohortibus quae cum Sulpicio et Vatinio rem gesserant; 9, 1. Est autem Romanorum temporibus rei publicae liberae proprium, ut et ducem militibus (i. e. civibus) et milites duci aequent. Inde a Livio fere praevalet: militare, merere sub aliquo. — 3 *occasione capta*] Fortuna occasionem offert, homo capit, rapit, arripit. Plautus Pseud. 1022 (1005) si occasionem capsit. — 4 *luminibus accensis*] 89, 5. Plin. nat. h. 11, 65 papilio luminibus accensis advolitans = 28, 162 papilio lucernarum luminibus advolans. Censorin. 24, 6 post id (crepusculum) sequitur tempus, quod dicimus luminibus accensis; antiqui prima face dicebant; deinde concubium etc. — 6 *proxime Uzitae*] Caesar I 72, 5 quam proxime potest hostium castris castra communit; sed cum adverbio 'proxime' plerumque accusativus addatur (Hisp. 7, 3 pr. Ateguam), fortasse Uzitam scribendum est aut oppidum Uzitae.

57. 8 *commoti ex t. i.*] cf. ad 48, 3. — *per idem tempus*] saepe in locum particulae interim successit (34, 1. 47, 1. 74, 2. 96, 1) et initio capitis ponitur a Sallustio Iug. 63, 1. 70, 4. 114, 1: 'per id tempus' significaret Aquinium tamdiu cum Saserna colloquentem conspectum esse, quamdiu Scipio de transfugiis Gaetulorum commotus esset. Cf. ad 1, 3. — 9 *M. Aquinium*] cf. var. lect. ad § 4 et ad 89, 5: nomen gentis Romanae et ex inscriptionibus notum et Catulli versu (14, 17) confirmatum; Aquinos memorant Martialis epigr. 1, 93, 1 et Tacitus hist. 1, 7. — 10 *nihil pertinere*] scil. ad rem, 'es habe mit der Sache nichts zu thun, es gehöre sich nicht'. Cornificius 4, 37 quod iniuriarum satisfecisti L. Labeoni, nihil ad hanc rem pertinere puto. Fortasse scribendum: nihil pertinere (ad rem). Usitatius 'nihil attinet'. — [*eum*] delevimus, quia, quod Scipio iussit, non ad solum Aquinium pertinebat, levior enim videtur esse reprehensio persona non nominata. — 11 *sermonem*] idem fere quod responsum per sermonem datum.

nuntius [ad se] referret, sed restare, ut reliqua, quae vellet,
perageret, viator praeterea ab Iuba ad eum est missus, qui
diceret audiente Saserna: *Vetat te rex conloqui.* Quo nuntio 3
perterritus discessit et dicto audiens fuit regi. Usu venisse
hoc civi Romano et ei, qui ab populo Romano honores ac-
cepisset, incolumi patria fortunisque omnibus [Iubae] barbaro
potius oboedientem fuisse, quam aut Scipionis obtemperare
nuntio aut caesis eiusdem partis civibus incolumem reverti
malle! Atque etiam superbius Iubae factum non in M. Aqui- 4
nium, hominem novum parvumque senatorem, sed in Scipionem,
hominem illa familia, dignitate, honoribus praestantem. Nam- 5
que cum Scipio sagulo purpureo ante regis adventum uti
solitus esset, dicitur Iuba cum eo egisse, non oportere illum
eodem vestitu uti, atque ipse uteretur. Itaque factum est, 6

1 *[ad se] *inclusimus;* ad Scipionem *Davisius, editt.* ‖ quae] quae si *O; fort. scrib.* quae sibi ‖ 2 viato *A* ‖ praetea *P;* postea *Novák* ‖ missus est *L* ‖ 4 fugit *A* ‖ 5 ab] a *L* ‖ 6 fortuniisque *L* ‖ *[Iubae] *inclusimus;* Iubae homini barbaro *Novák* ‖ 7 *obtemperare] obtemperasse *O* ‖ 8 caesis *editt.;* Caesaris *O* ‖ 9 etiam et *APUFV* ‖ superius *LV* ‖ non ut M. *L* ‖ *Aquinium *AL;* Aquinum *R* ‖ 11 praestantem *incl. Novák, fortasse rectius* ‖ 14 *vestitu uti] vestitu *O;* uti vestitu *editt.* ‖ atque etiam ipse *L* ‖ est *om. L*

---

1 *sed restare*] Sententia respondentis est: audio quidem, neque adversabor; restat tamen, ut etc. — 2 *viator*] cf. Mommsen, Röm. Staatsrecht 1^2 344—347. — 4 *dicto audiens fuit regi*] 32, 4. Caes. 1, 40, 12; sed Caesar plerumque dativum omisit. Accius trag. 442 R. dicto oboediens viri (viro?). — *usu venisse hoc*] Infinitivus indignantis, cuius usus frequentissimus apud priscos scriptores, Plautum praesertim et Terentium, nec non in Ciceronis epistulis ad Atticum, nullus tamen apud Caesarem et (uno loco excepto) apud Livium. Saepe pronomine *hic* res praesentes monstrantur. Plaut. Curc. 1, 3, 44 hancine aetatem exercere me! Cic. Att. 9, 13, 8 tene haec posse ferre! Hor. sat. 1, 9, 72 huncine solem . . . surrexe mihi! Livius 9, 11, 12 haec ludibria religionum non pudere in lucem proferre! Sen. dial. 2, 18, 2 dii boni, hoc virum audire. Fortasse etiam b. Afr. 8, 5 'tanta homines esse dementia' huc pertinet. — 6 *barbaro*] ut supra 'civi Romano', nomine non addito; cf. 8, 5 ut malint regis (scil. Iubae) esse vectigales. Novákii coniectura confirmari quidem videtur § 6 'Iubae, homini superbissimo inertissimoque', quam non amplexi sumus, quia editori belli Africi glossemata potius tollenda quam lacunae supplendae sunt. — 7 *obtemperare*] lectio 'obtemperasse' assimilata perfecto fuisse stare non poterat, quia Aquinius non obtemperavit Scipioni. — 8 *aut caesis etc.*] aut neutri obtemperantem et relicta causa Pompeiana eventum belli expectantem Caesaris uti clementia. Hoc vero scribere non poterat Asinius nisi profligato bello apud Thapsum et Aquinio vita a Caesare concessa (89, 5). — 10 *parvumque senatorem*] ut Hor. epod. 4, 15 magnus eques. — 11 *honoribus*] scil. illis; eliciendа enim pluralis forma ex singulari 'illa familia', ut genus femininum adiectivi ex masculino, qua de re dictum est ad 5, 1. — 12 *uti*] facilius post 'vestitu' intercidit, quam post 'eodem'.

ut Scipio ad album sese vestitum transferret et Iubae, homini superbissimo inertissimoque, obtemperaret.
1 **58.** Postero die universas omnium copias de castris
[omnibus] educunt et supercilium quoddam excelsum nacti
non longe a Caesaris castris aciem constituunt atque ibi
2 consistunt. Caesar item producit copias celeriterque iis in-
structis ante suas munitiones, quae erant in campo, consti-
tuit, sine dubio existimans, ultro adversarios, cum tam magnis
copiis auxiliisque regis essent praediti promptiusque prosi-
luissent, ante [se] concursuros propiusque se accessuros.
3 Equo circumvectus legionesque cohortatus signo dato ac-
4 cessum hostium aucupabatur. Ipse enim a suis munitionibus
longius non sine ratione *non* procedebat, quod in oppido

4 *[omnibus] *inclusimus* ‖ deducunt *A P V D δ* ‖ 6 iis] his *LPVD δ* ‖ 8 adversarias *APV* ‖ 9 essent] esse ut *L* ‖ praetio *ALPV* ‖ 10 *ante concursuros] ante eum cursuros *L;* ante secum concursuros *APUFV;* ante se concursuros *D δ* ‖ propiusque accessuros *L; incl. Novák* ‖ 11 leḡque *L* ‖ 12 aucupatur *L* ‖ 13 non] *addidit Aldus*

---

2 *superbissimo inertissimoque*] Plut. Cat. min. 57 (de Scipione et Varo) *θεραπεύουσι τὸν Ἰόβαν οὐκ ἀνεκτὸν ὄντα βαρύτητι φρονήματος καὶ ὄγκῳ διὰ πλοῦτον καὶ δύναμιν*, quibus additur singulare superbiae exemplum.

58. 3 *universas omnium c.*] universas, id est legiones, alas quam maxime plenas; omnium, id est Labieni ceterorumque ducum, qui aut Scipionis aut Iubae auctoritati erant subiecti; minus recte Asinius scripsisset 'de castris omnibus', quia Pompeianorum non erant nisi duo castra, Scipionis et regia Iubae; 48, 2. — 4 *educunt*] Scipio et Iuba. — *supercilium*] *ὀφρύς*, *ἅπαξ εἰρημένον* in commentariis rerum a Caesare gestarum. Hoc vocabulum vix dubitandum est, quin Asinius in sermone prisco invenerit, veluti apud Catonem, qui teste Gellio 3, 7, 13 'verrucam' idem dixit locum editum (Trag. inc. frgm. 141 R. saxea verruca). Secuti sunt et Vergilius Georg. 1, 108 et Livius 27, 18, 10. 34, 29, 11; postea Apuleius metam. 5, 25 (s. amnis), 7, 18 (s. ripae); denique Hieron. Vulg. Num. 20, 29. Tob. 11, 5. Luc. 4, 29 (montis s.). Cf. A. Köhler, Act. Erlang. I 469. — 7 *mun. quae erant in campo*] brachia, quae opponuntur castris in ultimo colle munitis (51, 1) et castris maximis haud dubie et ipsis munitis. — 9 *copiis praediti*] 22, 5 animi magnitudine; 69, 4 mirabili velocitate; fortasse 31, 4 mirabili scientia bellandi: *ἅπαξ εἰρημένον* in commentariis rerum a Caesare gestarum. Vocabulum cum plerumque dicatur de animi virtutibus vel certe de iis rebus, quae hominibus sunt propriae ac perpetuae, rarius ad res externas transfertur, quas aut habere aut amittere possis. Sic iam Cicero divin. in Caec. 69 homine parvis opibus praedito; Sallustius Cat. 51, 12 magno imperio praediti. — 10 *conc. propiusque accessuros*] *ὕστερον πρότερον*. — 12 *aucupabatur*] eadem verbi forma sententiam claudit 3, 5. — 13 *non sine ratione*] *λιτότης* a Lucretio et Catullo primum, ut videtur exculta; cum exemplis Asinii (35, 1 non sine magno consilio) maxime congruit Ciceronis Epist. 13, 29, 2 non sine causa = non sine magna iustaque causa, a multis postea scriptoribus repetitum; Papin. Dig. 38, 1, 43 non sine iniuria. Ex graeco transtulerunt Cicero ac Sallustius illud 'non

Uzitae, quod Scipio tenebat, hostium erant cohortes arma-
tae; eidem autem [oppido] ad dextrum latus eius cornu erat
oppositum, verebaturque, ne, si praetergressus esset, ex op-
pido eruptione facta ab latere eum adorti conciderent. Prae- 5
terea haec quoque cum causa tardavit, quod erat locus
quidam perimpeditus ante aciem Scipionis, quem suis impe-
dimento ad ultro occurrendum fore existimabat.

59. Non arbitror esse praetermittendum, quemadmodum 1
exercitus utriusque fuerint in aciem instructi. Scipio hoc
modo aciem derexit. Conlocarat in fronte suas [et Iubae] 2
legiones, post [ea] autem Numidas in subsidiaria acie ita
extenuatos [et in longitudinem directos], ut procul simplex
esse acies media [ab legionariis militibus] videretur [in cor-
nibus autem duplex esse existimabatur]. Elephantos dextro 3
sinistroque cornu conlocaverat aequalibus inter eos intervallis

1 Cirtae *V* ‖ 2 *[oppido] *inclusimus* ‖ 3 appositum *L* ‖ verebatur *AD corr.*; verebaturque *UF*; uertebaturque *D pr. m.*; verberatur *PV*; *om. L* ‖ 4 corruptione *APVD*; irruptione *L* ‖ a latere *L* ‖ cum adortu *L* ‖ 5 eum *om. L* ‖ quod is erat *L* ‖ 7 ultra *D, Nipperdeius, Kraner* ‖ 8 praetereundum *L*; praetermittendum *R* ‖ 10 * derexit *A*; direxit *R* ‖ *conlocarat *Novák*; collocabat *O* ‖ *[et Iubae] *inclusimus* ‖ 11 *post] postea *O*; post eas *Nipperdeius* ‖ acie] parte *L* ‖ 12 *[et . . . directos] *inclusimus* ‖ 13 media *om. L* ‖ *[ab legionariis militibus] *inclusimus* ‖ [in cornibus . . . existimabatur] *incl. Nipperdeius* ‖ 14 in dextro medioque *L*

---

sine deo', et ipsum a multis expressum ac variatum. Cf. Car. Weyman, Stud. üb. d. Figur der Litotes (= Supplem. ad annal. philol. vol. XV), Lips. 1886 p. 549 sq. — *oppido Uzitae*] cf. ad 36, 2. — 1 *cohortes armatae*] opponuntur iis, quae nuperrime conscriptae nondum armis instructae erant. Asinius apud Cic. epist. 10, 33, 4 legiones sub signis armatas tres. — 3 *praetergressus*] cf. ad 2, 6 praetervehitur. — 4 *eum adorti*] = se; cf. ad 33, 1. — 5 *locus perimpeditus*] fortasse palus; cf. 61, 3. — 7 *ultro occurrendum*] ut § 2 ultro concursuros; Sall. hist. 3, 67, 11 D. ultro obferre pugnam.

59. 8 *non arbitror esse praetermittendum*] Verbo initio enuntiati posito Asinius quandam sui fiduciam prodit, cum mollioris ingenii scriptores abuterentur illo 'videtur'. Cf. ad 84, 1. — 9 *utriusque*] ne quis putet scribendum esse 'utrique', cf. 61, 1 utrorumque exercitus instructi. — 10 *conlocarat*] accommodavimus iis quae sequuntur: conlocaverat, substituerat, disposuerat, opposuerat, appulerat: cf. 28, 2 curarat, 35, 6 nominarunt, 63, 4 superarunt; 85, 7 vulnerarunt, et varias lect. ad 60, 2. 5 (collocarat). — 11 *Numidas*] pedites, id est Iubae legiones. — *subsidiaria*] secunda. Livius 4, 28, 2 subsidia et secundam aciem adortus, id est secundam aciem, in qua erant subsidia. — 12 *extenuatos*] cum Scipio octo legiones habuisse dicatur, Iuba quattuor (1, 4. 20, 2), sequitur ut prima peditum acies octo fere ordinibus instructa staret, secunda quattuor. — 13 *ab legionariis militibus*] inepte admodum assuta sunt, quia ipsa illa media acies legionibus firmata erat; dicendum erat: Caesarianis, nostris vel tale quid.

interiectis, post autem [elephantes] armaturam levem Numi-
4 dasque auxiliares substituerat. Equitatum frenatum univer-
sum in suo dextro cornu disposuerat: sinistrum autem cornu
oppido Uzita claudebatur, neque erat spatium equitatus ex-
5 plicandi. Praeterea Numidas levisque armaturae infinitam
multitudinem ad dextram partem suae aciei opposuerat [fere] interiecto non minus mille passum spatio et ad collis radices magis appulerat longiusque ab adversariorum suisque copiis promovebat, id hoc consilio, ut, cum acies duae inter se concurrissent, initio certaminis paulo longius eius equitatus circumvectus ex inproviso clauderet multitudine sua exercitum Caesaris atque perturbatum iaculis configeret. [Haec fuit ratio Scipionis eo die proeliandi.]

1 **60.** Caesaris autem acies hoc modo fuit conlocata [ut
ab sinistro eius cornu ordiar] [et ad dextrum perveniam].

1 iniectis *L* ‖ *elephantes, *quod inclusimus, L;* elephantos *R* ‖ *armaturam] armatnra *UF;* armaturas *R* ‖ *levem] leves *O* ‖ 2 substituere *ALPδ;* constituerat *Novák* ‖ universum freuatum *L* ‖ 3 disposuere *L* ‖ *autem *LV;* enim *R* ‖ 6 dexteram *L* ‖ opposito *A* ‖ *[fere] *inclusimus* ‖ 7 *passum *A;* pass̄. *L;* passuum *editt.* ‖ colles *A* ‖ 9 id quidem consilio *L;* id quod consilio *P* ‖ 12 *[haec . . . proeliandi] *inclusimus* ‖ 13 eodem die *L pr. m.* ‖ 14 collata *L;* conlata *P* ‖ ut] aut *A* ‖ [ut ab . . perveniam] *inclusimus* ‖ 15 a sinistro *L* ‖ ordinare *L;* ordinaret *PVDδ* ‖ et ad dextrum *om. LPVDδ;* ad dextru *A in marg. superiore sec. m.*

---

1 *post autem [elephantes]*. Glossema et insolens substantivi forma prodit et verba falso collocata: 'autem' enim apud optimos scriptores praepositioni cum nomine coniunctae postponitur, ut hoc nomine notandus sit Nepos Eum. 13, 1 post autem Alexandri mortem: simile vitium admisit Suetonius ill. gramm. 16 post deinde damnationem. Cf. § 2. — *armaturam levem*] ex constanti Asinii, Caesaris, Livii, Taciti usu vel invitis codicibus singularis restituendus erat. Cf. ad 51, 6. — 2 *substituerat*] paulo insolentius dictum pro: ita collocaverat, ut vel nullum vel exiguum intervallum esset inter elephantos ac Numidas; post ipsos elephantos, proxime elephantos constituerat. — 3 *in suo dextro cornu*] praepositionis haec est vis, ut equites totum dextrum cornu tenuisse significet; contra, quod supra tradidit Asinius 'elephantos dextro cornu collocaverat' de parte tantum dictum est. Simili ratione in libro tertio est per totum librum tertium, libro tertio = loco quodam libri tertii. — 6 *opposuerat*] Caesari. — 7 *passum*] = passuum. Neue I² 360. — 8 *appulerat*] Caesar I 26, 1 turres ad opera Caesaris appellebat. — 9 *promovebat*] imperfectum, quod dicitur conatus; si fieri posset insciis hostibus. — 10 *eius equitatus*] = suus. — 12 *configeret*] b. Alex. 40, 2 Pontica legio confixa et oppressa est. — *haec fuit etc.*] Cum Asinius disertis verbis se expositurum esse professus sit, quomodo et Scipio et Caesar aciem derexerint (59, 1. 60, 1. 61, 1), haec verba delere satius duximus; accedit, quod nec proeliari idem est cum 'aciem instruere', nec Asinius usquam proeliandi verbo usus est.

60. 14 *acies*] Cum Caesar decem legiones haberet, unam Ruspinae et Lepti praesidio relictam fuisse sequitur; de quinta (Martia) cf. § 4.

Habuit legionem X., VIIII. in sinistro cornu, XXV., XXVIII.,
XIII., XIIII., XXVIIII., XXVI. in media acie. In suo autem 2
dextro cornu ex secunda acie veteranarum [legionum] partem
cohortium conlocaverat, praeterea [ex] tironum adiecerat
paucas. Tertiam autem aciem in sinistrum suum cornu con- 3
tulerat et usque ad aciei suae mediam legionem porrexerat
[et ita conlocaverat, uti sinistrum cornu triplex esset]. Id 4
eo consilio fecerat, quod suum dextrum latus munitionibus
adiuvabatur, sinistrum autem, equitatus hostium multitudini

1 leg̃. *L; fortasse scribendum* legiones ‖ X. VIIII. *Nipperdeius;* VIIII · VIII · *ALPV;* VIIII. et VIII. *UFDδ;* IX. VII. *Aldus* ‖ in] hi *A* ‖ XXV.] XX *L;* XXX *R* ‖ 2 in suo *Nipperdeius;* ipsum *AUFVD;* fere *LP* ‖ autem *APUFVD;* ante *L* ‖ 3 dextro cornu *Nipperdeius;* dextrum cornu *LPUFVD;* dextrum cornu *A* ‖ *ex] *in codicibus ante* tironum *traditum huc retraximus;* e *suppl. Nipperdeius* ‖ secunda acie *Nipperdeius;* secundum aciem *A;* secundum ante aciem *L;* secundam (secundum *Pδ*) autem aciem *PUFVDδ* ‖ veteranarum *Oudendorpius;* fere in (in *om. L*) earum *O* ‖ *[legionum] *inclusimus* ‖ partem *L;* parte *R* ‖ 4 ordinaverat *L* ‖ *[ex] tironum] ex tironum *O; cf. supra ad v. 3* ‖ *adiecerat paucas (paucos *L*) *ALPUFD;* p. a. *edd.* ‖ 5 autem ad tertiam aciem *LP* ‖ contulerant *PUFV* ‖ 6 legionem collocaverat et ita ordinaverat uti *L* ‖ 7 *[et ita . . . esset] *inclusimus* ‖ sinistrum cornu *L;* sinistri sui cornus *APV;* sinistri sui cornu *UFD* (quaere *in marg. U*); sinistrum suum cornu *editt.* ‖ esset triplex *L;* esset *om. A* ‖ 8 quod *editt.;* ut *O* ‖ 9 adiuvaretur *D corr.*


Cf. Nipperd. Proleg. p. 220. — [*ut . . ordiar*] Quintil. 8, 3, 11 ut a prima divisione ordiar. Sed neque in iis, quae 59, 1. 2 de Scipionis acie dicta sunt, simile quid huic enuntiato legitur, et ipsa Asinii enarratio redit § 3 et 4 ad sinistrum cornu, cum non solum de media acie cornibusque dicendum esset, sed etiam de prima, secunda, tertia acie. — 2 *suo dextro*] hic ut in sequentibus addidit Asinius pronomen possessivum, quia Caesaris cornua opponuntur Scipionis: ut enim dextrum Caesaris munitionibus adiuvabatur, sinistrum laborabat, sic sinistrum Scipionis oppido claudebatur, dextrum equitum multitudine abundabat. — 3 *ex secunda acie*] hac praepositionis forma (si discesseris a locutione 'e regione' constanti usu corroborata) ubique usus est Asinius; ante litteram s 37, 1. 40, 3. 44, 1. 47, 3. 62, 1. 85, 6. (88, 4). 90, 2. — *partem*] cum denarum cohortium quaternae in prima, trinae in secunda ac totidem in tertia acie collocari solerent, Caesar ternas de legionibus XIII. XIV. XXIX. XXVI. ex secunda acie subduxit, eaque re ex triplici effecit duplicem. — 5 *tertiam autem a.*] Noluimus scribere 'at tertiam a.', quia Asinius hac particula non usus est. — 6 *porrexerat*] cf. ad 4, 3 et 17, 1. — 7 *sinistrum cornu triplex*] Sive ita scripseris, sive 'sinistri sui cornus' scilicet acies, haec verba ideo falsa sunt, quia non solum sinistrum cornu, sed etiam altera pars mediae aciei tripliciter fuit instructa. — *id eo consilio*] plerumque variavit Asinius pronomina: 1, 2 hoc eo consilio fecit ne; 51, 3 id hac ratione . . ne; 59, 5 id hoc consilio ut; 86, 1 id hoc consilio, si; hoc loco propter sequentem particulam 'quod' secutus est diversam rationem, quam commendabat notissima locutio 'ideo quod'.

uti resistere posset, laborabat, eodemque suum omnem equitatum contulerat et, quod ei parum confidebat, praesidio [his equitibus] legionem v. [prae]miserat levemque armaturam inter equites interposuerat. Sagittarios [varie] passim locisque certis maxime [in cornibus] conlocaverat.

61. Sic utrorumque exercitus instructi non plus passum

1 uti] ut *VD; om. A et in marg.* q̄ (= quaere) || *resistere *A;* resisti *R* || laborabat *D Petavianus;* laborat *LUFV;* laboret *P pr. m.; om. A* | equitum *A* || 2 parum ei *L* || 3 *[his equitibus] *inclusimus;* iis equitibus *A* || leḡ unam *L* || *[prae]miserat *nos;* praemiserat *O* || 4 *[varie] *om. L* || *passim locisque certis maxime *L;* passimque locis certis maximeque *R* || 5 *[in cornibus] *om. L* || collocarat *D* || 6 abutrorumque *U pr. m.* || *passum] passū *A;* passuum *R*

1 *resistere*] 73, 2 erat ei laborandum, ut consuefaceret milites hostium dolos cognoscere. — 2 *ei parum confidebat*] non quod de fide dubitaret, sed quia eos impares fore Numidis intellexit. A confidendi (fidendi) verbo, sicut a nitendi, plerumque ablativus suspensus est (15, 2 multitudine confisus; 49, 1 magnitudine copiarum confisi; 79, 1 virtute confidere), rarius dativus, praesertim pronominum velut mihi, tibi, sibi. — 3 [*prae*]*miserat* praepositio perperam repetita, quia paulo ante scriptum erat 'praesidium'; cf. Hirt. 8, 17, 2 mittere praesidio. 77, 1. — 4 [*varie*] cum non dicatur de loco (= hic illic), pro interpretamento adverbii passim habendum est. — 5 *certis*] corruptum esse videtur; cf. 3, 4 locum certum. Ut rem oculis legentium subiciamus, hoc modo (quod fere intellexit Nipperdeius) acies fuit instructa:



A Nipperdeii sententia ita discedendum esse putavimus, ut aciem non primum more Romanis consueto constitutam, deinde aliquantum immutatam, postremo in formam a nobis propositam redactam esse, sed ut statim ex agmine singulas cohortes in suum quamque locum abiisse existimemus. Igitur legiones sinistri cornus, item leg. XXV et XXVIII triplici acie, quattuor reliquae duplici ita instruebantur, ut ex secunda acie sex veteranorum cohortes (legionum XIII et XIV) totidemque tironum (legionum XXIX. XXVI) dextrorsum abirent dextrumque cornu tenerent. Utrum duodecim legionum XIII. XIV. XXIX. XXVI. cohortes in tertia acie collocatae in locum earum successerint, quae ex secunda acie deductae dextrum cornu firmabant, necne, non dixit Asinius; maxime verisimile tamen est id factum esse. In Nipperdeii sententia maxime vituperandum, quod cohortes temere ultro citroque commeantes fecit easque ita miscuit, ut nullius fere legati officium in suis militibus ducendis contineretur. Cf. Stoffel, II 284—289.

61. 6 *utrorumque*] Caesaris et Scipionis, non Caesarianorum et Pompeianorum; cf. ad 28, 1 et 59, 1. — *passum*] cf. 59, 5.

ccc interiecto spatio, quod forsitan ante id tempus acciderit
numquam, quin dimicaretur, a mane usque ad horam x. diei
persiterunt. Iamque Caesar cum exercitum intra munitiones 2
suas reducere coepisset, [subito] universus equitatus ulterior
Numidarum Gaetulorumque sine frenis ab dextra parte se
movere propiusque Caesaris castra, quae erant in colle, se
conferre [coepit], frenatus autem Labieni eques in loco per-
manere legionesque detinere: cum subito pars equitatus 3
Caesaris cum levi armatura contra Gaetulos iniussu ac temere
longius progressi paludemque transgressi multitudinem hostium
pauci sustinere non potuerunt, levique armatura deserta pulsi
convulneratique uno equite amisso, multis equis sauciis, levis
armaturae xxvii occisis ad suos refugerunt. Quo secundo 4

1 ante *om.* *L* ‖ acciderat *L* ‖ 2 *diei *AL;* die *R* ‖ 3 cum *editt.* dum *O* ‖ 4 suas *om.* *L* ‖ *[subito] *inclusimus* ‖ 5 ab dextra parte *Nipperdeius;* ad dextram partem *O* ‖ 7 *[coepit] *inclusimus* ‖ frenati equites *D* ‖ 8 detinere *Dδ;* destinere *P pr. m.;* destinare *V;* destituere *L;* distinere *R* ‖ 9 iniussi et temere progressi longius *V* ‖ 10 transgressi] progressi *L* ‖ 11 deserta *P pr. m.;* deserti ac *R;* deserti (*omisso* ac) *L marg. sec. m.*

---

2 *quin dimicaretur*] suspensum a 'numquam', ut apud Cic. Verr. 4, 95 numquam tam male est Siculis, quin aliquid facere dicant. (Raph. Kühner, gramm. lat. II 830 explicat: perstiterunt = cunctati sunt, quin dimicaretur.) — *a mane*] cf. ad 42, 1. — *diei*] 69, 5. Caesar libro altero de analogia (Gell. 9, 14, 25) huius die et huius specie dicendum esse docuit. — 3 *munitiones suas*] pronomen retinendum erat coll. 41, 1. 51, 3. 58, 2. — 4 *subito . . . coepit*] addita sunt ad explicandos infinitivos historicos; illud molestum, quia hoc adverbium § 3 reservandum est, hoc ideo suspectum, quia iam in enuntiato temporali scriptum est 'coepisset'. — *ulterior*] qui longius circumvectus clauderet Caesaris copias; 59, 5: sed fortasse vocabulum a grammatico adiectum est. — 5 *sine frenis*] 19, 4. 48, 1, unde adiectivum cum *in* privativo compositum non praesto fuisse intellegitur. Primus finxit Vergilius (nisi antecessorem habuit Ennium) et infrenus (Aen. 4, 41 Numidae infreni) et infrenis (Aen. 10, 750 illum infrenis equi lapsu tellure iacentem), metri parens necessitati. Participio autem 'infrenatus', quod est ἅπαξ εἰρημένον apud Livium 21, 44, 1 uti noluit Asinius, quia homonymum ducitur ab infrenandi verbo. Silius 1, 215 Numidae gens inscia freni. — 7 *frenatus eques*] Usus talium substantivorum sensu collectivo positorum apud Asinium (Caesarem, Hirtium) angustis finibus circumscriptus est; ne 'hostis' quidem saepius sic usurpatum invenies (15, 2. 18, 5. 31, 2. 39, 2, etc. quibus pluralis formae longe praevalent); adversarius, quod habet Nepos Dat. 7, 3 nusquam; miles, Caesari non spretum et olim lectum b. Afr. 15, 1 merae coniecturae debebatur, quamquam tribus locis 71, 2. 72, 1. 4 librorum fide defenditur. Cum nostro loco comparare licet Cic. epist. 9, 25, 1 equitem Parthum. Magis indulserunt huic usui et poetae, veluti Catullus 63, 22 (tibicen Phryx) et qui post Asinium floruerunt rerum scriptores, Sallustius Livius Tacitus. — 8 *detinere*] Caes. III 75, 4 equitatus novissimos proelio detinebat. — *pars . . . progressi*] constructio κατὰ σύνεσιν; cf. 6, 1 et ad 95, 1.

equestri proelio facto in castra Scipio laetus nocte copias
5 reduxit. Quod proprium gaudium [bellantibus] fortuna tri-
buere non decrevit: namque postero die Caesar cum partem
equitatus sui Leptim frumentandi gratia misisset, in itinere
praedatores equites Numidas Gaetulosque ex inproviso adorti
circiter centum partim occiderunt, partim vivorum sunt
6 potiti. Caesar interim cotidie legiones in campum deducere
atque opus facere vallumque et fossam per medium campum
ducere adversariorumque excursionibus [iter] officere non
7 intermittit. Scipio item munitiones [contra] facere et, ne
8 iugo a Caesare excluderetur, adproperare. Ita duces utrique
et in operibus occupati esse, et nihilo minus equestribus
proeliis inter se cotidie dimicare.

1 **62.** Interim Varus classem, quam antea Uticae hiemis
gratia subduxerat, cognito legionis X. et VIIII. ex Sicilia ad-

1 proelio facto equestri *L* ‖ in castra Scipio laetus *L;* in castra laetus *P* ‖ 2 quod] sed *Kraner* ‖ gaudium *Dδ;* claudium *APU;* cladium *LV;* clau *F* ‖ *[bellantibus] *inclusimus;* ei *Novák* ‖ 3 die *om. UF* ‖ partem *δ*; parte *R* ‖ 4 *frumentandi gratia *A;* frumentandi causa *D corr. δ*; *om. R* ‖ misisset *Clarkius;* misit *O; om. L* ‖ 6 *centum *A;* C *R* ‖ *sunt potiti *L;* potiti sunt *R* ‖ 7 lēg deducere adversariorumque *L, omissis intermediis* ‖ 9 [iter] *del. Vascosanus;* ita *Oudendorpius* ‖ 10 autem *V* ‖ *[contra] *om. L* ‖ ne iugo *P;* ne a iugo *L;* ni iugo *AUFV;* ui iugo *δ*; in iugo ne *D* ‖ 11 apparare *L;* adperperare *F* ‖ ita ut duces *AD* ‖ 12 esse *Nipperdeius;* erant *F;* essent *R* ‖ 13 *dimicare] dimicarent *D;* dimicabant *R* ‖ 14 classem *om. L* ‖ 15 *X. et VIIII.] VII et VIII *AUFDδ*; VII et VIII *LPV;* XIII et XIIII. *Nipperdeius*

---

2 *proprium gaudium*] proprium, quod saepe cum ‘perpetuus’ coniungitur, hoc loco idem est, quod diuturnum, longum. Cf. ad 32, 1. — *quod gaudium*] = quam laetitiam, si quidem praecessit ‘laetus’. — *bellantibus*] plus uno nomine suspectum; neque enim Pompeiani in hoc commentario dicuntur bellantes, et gaudium ad Scipionem referri exspectes: deleto tamen participio desideratur dativus, quem glossemate grammatici loco deturbatum esse statuendum est. — 4 *frumentandi gratia*] 65, 3. 68, 1; Caesar constanter frumentandi causa; cf. ad 24, 2. — 6 *sunt potiti*] cf. ad 28, 4. — 9 *excursionibus officere*] delendum erat ‘iter’ vel hanc ob causam, quia dicitur officere itineri, velut apud Sall. Iug. 52, 6. — 12 *occupati esse*] constructio a priscis scriptoribus nondum usurpata primum legitur apud Cic. Verr. 4, 10 primum .. videri, deinde esse perspicuum; Sallustius esse coniunxit cum adiectivis; Livius 24, 32, 2 invisum esse nomen Romanum; 45, 41, 6 nimia fortuna videri eoque suspecta esse. Cf. Gust. Mohr, De infinitivo historico, Halis Sax. 1878.

62. 15 *cognito...adventu*] quod accidebat praeter opinionem, cum Caesarianis per menses hibernos mare clausum esse putaret; nuntio autem accepto de duabus legionibus in Africam transvectis si quae aliae classes Caesari aut copias aut frumentum supportarent, eas intercipere constituit; qua tamen spe lapsus est, quia illo tempore iam omnes copiae in Caesaris castra pervenerant. — *legionis X. et VIIII.*]

ventu celeriter deducit ibique Gaetulis remigibus epibatisque
conplet insidiandique gratia [ab Utica] progressus Adrume-
tum cum LV navibus pervenit. Cuius adventus inscius Caesar 2
Lucium Cispium cum classe XXVII navium ad Thapsum versus
in stationem praesidii gratia commeatus sui mittit, itemque
Quintum Aquilam cum XIII navibus [longis] *ad* Adrumetum
eadem de causa praemittit. Cispius, quo erat missus, celeriter
pervenit; Aquila tempestate iactatus promunturium superare 3
non potuit atque angulum quendam tutum a tempestate
nactus [cum classe] se longius a prospectu removit. Reliqua 4
classis in salo ad Leptim egressis remigibus passimque in
litore vagantibus, partim in oppidum victus sui mercandi
gratia progressis vacua a defensoribus stabat. Quibus rebus 5
Varus ex perfuga cognitis occasionem nactus vigilia secunda

2 insidiantique *P;* insidiandi *D* ‖ [ab Utica] *AL; om. R* ‖ 3 cum] ·c· *L* ‖ aduentu *AL* ‖ 4 Tharsum *L* ‖ 6 Quintium *ALPUFV* ‖ *[longis] *inclusimus* ‖ *ad Adrumetum] Adrumetum *O, nisi quod* Harimetium *L* ‖ 7 de *om. LV* ‖ 8 at Aquila *UFD* ‖ promuntorium *A;* promontorium *L; de ceteris parum constat* ‖ 10 *[cum classe] *inclusimus* ‖ se *om. LP* ‖ conspectu *V* ‖ 11 egressi *PUF;* egressa *D* ‖ remigibusque passim *D pr. m.* ‖ 12 littoris *PU* ‖ partim] parum *ADδ* ‖ in oppidum *L;* in oppido *R* ‖ 14 *ex perfuga *APUFV;* ex perfugis *δ, editt.;* a perfuga *L* ‖ occansionem *A;* occasione *L* ‖ nactus *om. L*

cap. 53; nam legionibus XIII. et XIIII. secundo commeatu advectis iam antea insidiatus erat Varus 44, 2. — 1 *epibatis*] classiariis; 20, 1. 63, 4. b. Alex. 11, 4. — 4 *L. Cispium*] fortasse idem est cum Cispio Laevo, amico L. Munatii Planci. Cic. epist. 10, 18, 1. 10, 21, 3. — *XXVII navium*] Caesar quadraginta navium duas partes Thapsum versus misit, tertiam, id est tredecim naves, Adrumetum. — *ad Thapsum versus*] nam oppidum portumque tenebant Pompeiani: 28, 1. 67, 1. — 5 *commeatus sui*] ad tuendas naves, quae Caesari frumentum ex Sicilia subveherent aliaque, quae bello usui essent. Recte Stoffel II 134: des convois de vivres. Ceterum genetivus ex genetivo suspensus suspicionem movet glossematis. — 6 *Q. Aquilam*] ex gente Pontia, ut vulgo creditur. — *ad Adrumetum*] ut supra 'ad Thapsum versus'; nam et huic oppido praeerat Considius cum duabus legionibus. Cf. 33, 3 ad Acyllam ire contendit. — 7 *eadem de causa*] ut naves Caesarianas ab hostibus defenderent. — 8 *promunturium*] prope Ruspinam. — 10 *nactus*] ad unum Aquilam referendum; 'cum classe', quod additur, pugnat cum iis quae sequuntur: reliqua classis. — 11 *ad Leptim*] unde has naves ex portu Leptitano, non Ruspinensi exiisse verisimile est. — 12 *p. vagantibus*] ut 47, 6 passim vagabantur; supplendum autem ex altera parte enuntiati 'partim', ut b. Hisp. 34, 2 legiones ex perfugis conscriptae, partim oppidanorum servi. Tacitus 6, 32 tardari motu (suppl. modo), modo cupidine vindictae inardescere. — 14 *ex perfuga*] Restituendus erat singularis non solum propter codicum auctoritatem, sed etiam quia Asinius res Caesaris in melius refert et plures ad Caesarem transiisse quam ad Scipionem satis constat. 51, 3. Praepositionem quod attinet, cognoscere aliquid ab aliquo ipsi Caesari, subtilissimo harum

Adrumeto ex cothone egressus cum primo mane Leptim universa classe vectus naves [onerarias], quae longius a portu in salo stabant, incendit et penteres duas [vacuas a defensoribus] nullo repugnante cepit.

1 **63.** Caesar interim celeriter per nuntios in castris, cum
opera circumiret, certior factus, quae aberant a portu milia
passus VI, equo admisso omissis omnibus rebus celeriter
pervenit Leptim ibique hortatur, omnes ut se naves conse-
querentur, [postea] ipse parvulum navigiolum conscendit, *et*
in cursu Aquilam multitudine navium perterritum ac trepi-
2 dantem nactus hostium classem sequi coepit. Interim Varus
celeritate Caesaris audaciaque commotus cum universa classe
3 conversis navibus Adrumetum versus fugere contendit. Quem
Caesar in milibus passuum IIII consecutus recuperata quin-

1 cothone] cottione *A;* contione *LD;* coitione *R* ‖ 2 *[onerarias] *inclusimus* ‖ a portum *PUF* ‖ 3 in salo *om. A;* salo *PUFV* ‖ penteres *A;* pentiremes *LVD;* penteremes *PUF* ‖ *[vacuas a defensoribus] *inclusimus;* duas, quae longius erant vacuas a defensoribus *D pr. m.* ‖ 6 milia] mille *L;* mil *A* ‖ 7 *passus] pass' *L;* pass̄s. *A;* passuum *editt.* ‖ equo] eo quod *A* ‖ 8 hortatur *P;* oratur *UF;* moratur *ADδ*; hortabatur *L* ‖ omnes ut se naves omnes *L* ‖ 9 *[postea] *inclusimus;* p. a. *AP* ‖ parvolum *A, corruptum ex* navigiolum; *cf. 34, 2. 37, 3. 54, 1. 87, 3* ‖ *et] *addidimus* ‖ 10 *ac *L;* atque *R* ‖ 11 hostium multitudinem classe *L* ‖ 14 passuum] pass. *AL* ‖ *recuperata *A;* recuperatas *L;* reciperata *R*

---

rerum iudici probatum erat (5, 18, 4 his rebus cognitis a captivis perfugisque), Asinius tamen scripsit c. alqd ex aliquo 8, 5. 19, 2. 68, 2. Praeterea subiectum (Varus) praeter morem suum ablativo absoluto inseruit. Cf. ad 11, 2. — 1 *cothone*] Paulus Fest. p. 37, 9 M. cothones appellantur portus in mari interiore arte et manu facti; quod autem proprie fuit appellativum, Carthagini (Strabo 17, p. 832. Diodor. 3, 44. Servius ad Verg. Aen. 1, 427) et fortasse etiam Adrumeti in nomen proprium abiit. — *cum primo mane*] Lucilius 3, 56 M. e somno pueros cum mane expergitu' clamo. Cf. ad 42, 1. — 2 *onerarias*] non poterat Varus onerarias naves Aquilae incendere, quem cum longis navibus profectum esse supra scripserat auctor. — 3 *penteres*] cf. ad 44, 2 trieris: ex interpretamento suprascripto 'quinqueremes' orta est scriptura hybrida pentiremes. — [*vacuas a defensoribus*] non solum origo huius interpolationis (cf. § 4) luce clarior est, sed etiam ex 63, 3 cognoscimus in altera saltem quinqueremi fuisse epibatas Caesaris; praeterea servatis his verbis 'nullo repugnante' sensu caret.

63. 5 *in castris*] maximis in summo iugo positis, quae quantum afuerint a portu Leptitano, praestabat deinceps explicare, non aliquot verbis interpositis. — 7 *passus*] cf. ad 41, 2. — 8 *hortatur*] ut 88, 1 hortatur, ut servitia manumitterent. — *omnes ut*] ad 88, 6. — 9 [*postea*] suspectum est, quia pronomen ipse navibus cum vi quadam oppositum initio enuntiati collocandum erat. — *p. navigiolum*] ad 27, 1. — 10 *in cursu*] b. Alex. 13, 5 una (navis) in cursu Aegyptio defecerat. — *ac trepidantem*] 10, 2 ac tristimonia; 40, 4 ac terrore; 44, 2 ac tempestate; 48, 1 ac terrorem. — 14 *in milibus*] intra IIII milium spatium.

queremi cum suis omnibus epibatis atque etiam hostium
custodibus CXXX in ea nave captis triremem hostium proxi-
mam, quae in repugnando erat commorata, onustam remigum
epibatarumque cepit. Reliquae naves hostium promunturium 4
superarunt atque Adrumetum in cothonem se universae con-
tulerunt. Caesar eodem vento promunturium superare non 5
potuit atque in salo in ancoris ea nocte commoratus prima
luce Adrumetum accedit, ibique navibus onerariis quae erant
extra cothonem incensis, omnibus reliquis ab iis aut sub-
ductis aut in cothonem conpulsis, paulisper commoratus, si
forte vellent classe dimicare, rursus se recepit in castra.

64. In ea nave captus est P. Vestrius, eques Romanus, 1
et P. Ligarius Afranianus, quem Caesar in Hispania cum
reliquis dimiserat, et postea se ad Pompeium contulerat,

1 quinqueremes *L* ‖ etiam *om. V* ‖ 2 naves *P* ‖ turrem *L;* tyrremem *P* ‖ 4 promuntorium *A;* promuntorio *P pr. m.;* promontorium *R* ‖ 5 chothonem *O* (*praeter UF; qui* chotonem) ‖ 6 promunturium *A;* promontorium *R* ‖ 7 eadem die *L;* eadem nocte *Petavianus* ‖ 9 *omnibus *LDδ*; omnibusque *R* ‖ ab is *P;* ab his *LV; om. D* ‖ 12 Vistrius *L* ‖ eq. r. *A; om. L* ‖ 13 Ligerius Affranius *L* ‖ in Hispaniam *A* ‖ 14 Pompeium⁚, *et in marg.* ⁚inde ex p̄lio se *L*

---

3 *onustam remigum*] o. auri Plaut. Aul. 611. 617; Tac. ann. 15, 12 magna vis camelorum o. frumenti; sed et genetivus et ablativus non usurpantur nisi de rebus. Livius 6, 25, 9 repletas semitas puerorum. — 4 *promunturium*] in quo erat Ruspina: nomen non a 'monte', sed a prominendo ductum esse iam ante Ritschelium docuit Turnebus Advers. 13, 18. — 8 *accedit*] insolentius de navibus dictum, ut 1, 5 concurrere, 2, 2 antecedere; similiter de equitibus 39, 5 abscessisse, 61, 3 progressi. Senex Polio a se ipse descivit, cum Sallustium vituperaret, quod 'transgressos' eos dixisset, qui transfretassent. Cf. Gellius 10, 26, 1. — 9 *incensis* . . . *subductis*] Ut ablativus absolutus 'navibus incensis' recte refertur ad subiectum sententiae primariae (*Καῖσαρ ἐμπρήσας*), quia Romani constructione passiva defectum participii aoristi activi resarciunt, ita ab usu optimorum scriptorum abhorrent participia subductis et conpulsis in eodem enuntiato et in oratione specie quidem concinna ad Pompeianos relata. Quare verba 'ab iis', scilicet Adrumetinis, admodum asperam reddunt orationem, cum praesertim nulla adversariorum iniecta esset mentio; multo etiam asperior esset ablativis incensis et subductis, ut antea edebatur, particula que coniunctis. Ceterum 'omnibus' quoque abundat.

64. 12 *nave*] Asinius apud Cic. epist. 10, 31, 1 nave perlatae litterae. — 13 *P. Ligarius*] aliunde non notus; insignior Q. Ligarius, de quo cf. ad 89, 2. Afranianus autem dicitur, quia ductu Afranii Pompeii legati contra Caesarem pugnaverat. Caes. 1 78, 1. — *in Hispania*] id est bello anno undequinquagesimo ante Chr. n. contra Afranium Petreiumque gesto et apud Ilerdam finito. — *cum reliquis*] qui se apud Ilerdam in fidem Caesari tradiderant. — 14 *dimiserat*] impunitos; Caesar 1 85, 12 proinde provinciis excederent exercitumque dimitterent; si id sit factum se nociturum nemini; hanc unam atque extremam esse pacis condicionem — *et postea*] = quique postea. Notanda sunt in pluribus

inde ex proelio effugerat in Africamque ad Varum venerat;
2 quem ob [periurium] perfidiam Caesar iussit necari. P. Vestrio autem, quod eius frater Romae pecuniam imperatam numeraverat, et quod ipse suam causam probaverat Caesari, se a Nasidi classe captum, cum ad necem duceretur, beneficio Vari esse servatum, postea sibi facultatem nullam datam transeundi, ignovit.

1 **65.** Est in Africa consuetudo incolarum, ut in agris et in omnibus fere villis sub terra specus frumenti condendi

1 effugeret *A;* se *L* ‖ in Affricam et ad Varum *L* ‖ 2 *ob [periurium] *inclusimus;* opperi (operi *V*) urtum *PV;* ob periurii *ALδ*; *de reliquis non constat* ‖ perfidiamque *Aldus* ‖ Vestrio *D pr. m.;* Vistrium *L;* Vestrium *R* ‖ 4 Caesaris ca *LPUFV;* Caesari se *Dδ* ‖ 5 navium *L* ‖ 7 ignoravit *LPV* ‖ 8 ut agris *A*

---

enuntiatis relativis iuxta positis tria compositionis durioris genera, a priscae latinitatis scriptoribus non anxie evitata, ab optimis, si a paucis exemplis discesseris, consulto remota, quamquam in sermone graeco admodum exculta: primum hoc, cum in altero enuntiato pronomen demonstrativum (is, ille) eodem cum relativo casu positum est, quod fecit Plautus Capt. 555 Multos iste morbus homines macerat, quibus insputari saluti fuit atque is (= iis) profuit; alterum illud, cum pronomen demonstrativum aliam formam induit, velut apud Ciceronem Tusc. 5, 38 bestiis aliud alii praecipi a natura datum est, quod suum quaeque retinet nec discedit ab eo; tertium denique, omisso diversi casus pronomine demonstrativo, ut apud Caesarem 4, 3, 3 Ubii, quorum fuit civitas ampla . . et (= quique) paulo sunt ceteris humaniores. Cf. ad 75, 2. 80, 1. 97, 3. Severioribus legibus obtemperavit Asinius 37, 2 oppidum, in quo ipse praesidium habuit et quod primum ad amicitiam eius accessit. — 1 *proelio*] intellegitur pugna Pharsalica. — *in Africamque*] 71, 2 in eosque; 92, 4 ab eoque; 93, 3 a suisque, et sic etiam ab aliis scriptoribus que saepius adhaeret pronominibus, quod rarius fit in nominibus, ut 97, 1 ex regnoque: praepositionibus bisyllabis que subiunctum habemus 55, 1 contraque regem. — 2 [*periurium*] cum olim periurium explicandi causa esset adscriptum, ne claudicaret oratio, alii fuerunt, qui scriberent: periurium perfidiamque, alii: periurii perfidiam. Cf. ad 3, 4 mos consuetudo; 66, 3 vim multitudinis. — 5 *Nasidi*] equitis Romani, quem Pompeius anno undequinquagesimo cum classe Massiliam miserat, ut obsessis auxilium ferret: Caes. II 3—7; postea navibus praefuit, quae Africae oram maritimam tuerentur, si quidem ad eum spectat, quod Cicero scripsit in epist. ad Att. 11, 17, 3: L. Terentium discessisse ex Africa scimus; dicitur enim per Nasidium emissus esse.

65. 8 *consuetudo*] coutume conservée jusqu'à nos jours. Stoffel II 135. — *in agris et in villis*] Plautus Rud. prol. 33 in agro atque villa; Cic. Verrin. 2, 92 circum agros villasque; Asinius apud Cic. epist. 10, 33, 5 aut in agris aut in villis: Caesar cum hoc vocabulo uti nollet, in eius locum substituit aedificium, 4, 38, 3 agris vastatis . . . aedificiis incensis; 4, 35, 3 vicos atque aedificia incendi; 3, 29, 2 vastatis agris, vicis aedificiisque incensis, et sic passim. Cf. ad 9, 1 et 26, 5. 40, 1. 91, 1 4. — 9 *specus*] verbum optimis scriptoribus raro usurpatum; cf. Krebs Antibarb. s. v. Varro r. rust. 1, 57, 2 quidam granaria habent sub terris speluncas, quas vocant σειρούς, ut in Cappadocia; alii

gratia [clam] habeant atque id propter bella maxime hostium-
que subitum adventum [praeparent]. Qua de re Caesar per 2
indicem certior factus tertia vigilia legiones duas cum equi-
tatu mittit a castris suis milia passus X atque inde magno
numero frumenti onustos recipit in castra. Quibus rebus 3
cognitis Labienus progressus a suis castris milia passus VII
per iugum et collem, per quem Caesar pridie iter fecerat,
ibi castra duarum legionum facit atque ipse cotidie existi-
mans, Caesarem eadem saepe frumentandi gratia commeatu-
rum, cum magno equitatu levique armatura insidiaturus locis
idoneis considit.

66. Caesar interim de insidiis Labieni ex perfugis cer- 1
tior factus, paucos dies ibi commoratus, dum hostes *ex* co-
tidiano instituto [saepe] idem faciendo in neglegentiam ad-
ducerentur, subito mane imperat, porta decumana legiones
se III veteranas cum parte equitatus sequi, atque equitibus

1 *[clam] *om.* *L V;* flām *A* (*in marg.* q̄ = quaere); flā *P* || 2 *[praeparent] *inclusimus* || 3 equitatum *A* || 4 *a castris *A* (*ut 69, 1. 80, 3*); ab castris *R* *editt.* || *passus *A;* pass̄. *L;* passuum *editt.* || 5 onusto *L;* onustis *P* *pr. m.* || 6 *passus] pās *A;* pass̄ *L;* passuum *editt.* || 8 existimans cotidie *L* (cotidie *inter versus*) || 12 interim *ante* certior *habent* *L P* || 13 hostis . . . adduceretur *L* || *ex *addidimus* || 14 *[saepe] *inclusimus* || 15 porta decumana porta *L* || 16 III *Nipperdeius;* VIII *L U;* octo *R*

---

puteos, ut in agro Carthaginiensi. — 1 [*clam*] delevimus, quia non de clam habendo agitur, sed de clandestinis sive occultis specubus. — *atque id*] 'und zwar'; 5, 1. 10, 3. Dicitur autem non solum isque, et is, sed etiam 'atque is'. Cic. ep. Att. 5, 12, 1 negotium magnum est navigare, atque id mense Quinctili; or. Phil. 2, 67 totos dies potabatur atque id locis pluribus. — 2 *praeparent*] per figuram, quae dicitur ὕστερον πρότερον, poterat quidem addi verbo habeant, sed difficiliorem explicationem haberet pronomen *id*: cf. ad 51, 3 id hac ratione [opus instruebat]. — 4 *passus*] cf. ad 41, 2. — 5 *onustos*] scilicet legionarios. — 7 *iugum et collem*] iugi nomine comprenduntur complures colles inter se iuncti, ut intellegitur ex Caes. 7, 36, 2 omnibus eius iugi collibus; quare sententia haec est: per iugum (ut 67, 3) et per eum quidem collem, per quem Caesar etc. — 8 *cotidie*] cum verbo commeaturum coniungendum est.

66. 13 *ex cotidiano instituto etc.*] Cum in nimia verborum abundantia restituenda esset oratio Asinio non indigna pluresque ut in re incerta viae paterent, maluimus includere 'saepe', quia in sententia simili 6, 5. 29, 3. 30, 2. 69, 5 'saepius' scriptum est. Ne autem duo diversi generis ablativi concurrentes orationem efficerent ad intellegendum difficiliorem, praepositionem *ex* addidimus, qua et Asinius (41, 2 quadruplici acie instructa ex instituto suo) et Caesar (5, 58, 2 ex consuetudine cotidiana) usus est. Quo minus 'cotidiano' more scriptorum priscorum, Plauti, Afranii pro adverbio positum acciperemus, deletis scilicet verbis 'instituto saepe', id maxime impediebat, quod reliquis locis omnibus — sunt autem fere octo — cotidie scriptum est. — 16 *III veteranas*] sufficisse veri simile est, cum 65, 2 duabus rem gesserit.

praemissis neque opinantes insidiatores [subito] in convalli-
bus latentes levis armaturae concidit circiter D, reliquos in
2 fugam turpissimam coniecit. Interim Labienus cum universo
3 equitatu fugientibus suis suppetias occurrit. Cuius vim [mul-
titudinis] cum equites pauci Caesariani [iam] sustinere non
possent, Caesar instructas legiones hostium copiis ostendit.
Quo facto perterrito Labieno atque retardato suos equites
4 recepit incolumes. Postero die Iuba Numidas eos, qui loco
amisso fuga se receperant in castra, in cruce omnes suffixit.
1 67. Caesar interim, quoniam inopia frumenti premeba-
tur, copias omnes in castra conducit atque praesidio Lepti,
Ruspinae, Acyllae relicto, Cispio Aquilaeque classe tradita,
ut alter Adrumetum, alter Thapsum mari obsiderent, ipse
castris incensis quarta noctis vigilia acie instructa impedi-
mentis in sinistra parte conlocatis ex eo loco proficiscitur
et pervenit ad oppidum Aggar, quod a Gaetulis saepe antea

1 *[subito] *inclusimus;* subito adortus *Dübner* ‖ 2 *levis armaturae] levi armatura *O;* ex levi armatura *Nipperdeius* ‖ 4 *[multitudinis] *inclusimus* ‖ 5 *[iam] *inclusimus; om. L;* tam *A;* cum *PV* 7 *atque *L;* ac *R* ‖ 10 premebantur *LP* ‖ 11 concludit *Dδ* ‖ Leptim *L;* Lepte *A* ‖ 12 Cispo *ALPUF; cf. 62, 2.* ‖ 13 Tharsum *L* ‖ 14 nocta *A* ‖ instructa *om. L*

---

1 [*subito*] turbat orationem, quia et supra scriptum est 'subito imperat' et quia eadem sententia iam verbis 'neque opinantes' expressa est. Cf. ad 7, 5. — 2 *levis armaturae*] 13, 1 levis armaturae Numidas; 71, 2 gravis a. miles; animadvertendum autem Asinium haud raro prolixiora orationis membra, velut hoc loco verba obiecti munus sustinentia, interpositis aliis distinere. — *reliquos*] maxime equites, id est Numidas, de quibus dictum est § 4. — 4 *vim* [*multitudinis*] Dicitur plerumque vim alicuius sustinere (70, 2. 78, 7. Caes. 6, 30, 3. 7, 87, 3); rarius multitudinem sustinere, 14, 2. 61, 3; unde factum est ut grammaticus explicandi causa alterum adderet. — 5 [*iam*] non solum non opus est particula (78, 7 postquam vim hostium sustinere non poterant), sed, si scripsisset Asinius, coniunxisset utique utrasque particulas: cum iam, de quibus cf. ad 39, 2. Alia tamen huius corruptelae explicatio haec est, ut coniunctionem *cum* per socordiam librarii bis scriptam fuisse dicas. — 7 *atque*] 67, 2 atque recreato. — *retardato*] 68, 4 quae res eius impetum retardavit: Caesar, Hirtius, auctor belli Hispaniensis non utuntur nisi tardandi verbo. — 8 *loco amisso*] Sall. Iug. 52, 4.

67. 11 *in castra*] maxima. — *praesidio relicto*] eodem, quod antea in his oppidis fuerat; quare sententia haec est: copias omnes in unum coegit exceptis iis, quae praesidii causa Lepti etc. erant. Cum autem Caesar ad Uzitam novem haberet legiones (ad 60, 1), sequitur ut quattuor fere cohortes Ruspinae essent, tres Lepti totidemque Acyllae (ut tres Thabenae, 77, 2), aut, si praesidia firmiora erant, novem illas legiones non plenas fuisse statuendum est. — 14 *noctis vigilia*] ad 47, 1. — — 15 *in sinistra parte*] aversa ab hostibus et orae maritimae adversa. — 16 *Aggar*] quod erat medium fere inter Uzitam et Thapsum, quinque mil. pass. a Lepti remotum. 'La ville possédait des bains décorés

oppugnatum summaque vi per ipsos oppidanos erat defensum.
Ibi in campo castris unis positis ipse frumentatum circum 2
villas cum parte profectus exercitus magno invento hordei,
olei, vini, fici numero [parvo tritici] atque recreato exercitu
redit in castra. Scipio interim cognito Caesaris discessu 3
cum universis copiis per iugum Caesarem subsequi coepit
atque ab eius castris milia passus VI longe trinis castris
dispertitis copiis consedit.

68. Oppidum erat Zeta, quod aberat ab Scipione milia 1
passuum X, ad eius regionem et partem castrorum conlocatum,
a Caesare autem diversum ac remotum, quod erat ab eo
[longe] milia pass̄. XIIII. Huc Scipio legiones duas frumen-
tandi gratia misit. Quod postquam Caesar ex perfuga cognovit, 2

2 in castro unis castris *L* ‖ 3 *profectus exercitus *A;* exercitus profectus *R* ‖ inmento *APUFV* ‖ *hordei *AUFVD;* ordei *LP* ‖ 4 *[parvo tritici], *quod habet L, inclusimus;* pauco tritici *UFD;* paucum tritici *APV* ‖ 6 cum copiis universis *L* ‖ sequi *L* ‖ 7 *passus] pass. *AL;* passuum *editt.* ‖ 8 dispartitis *D* ‖ 9 Zumi *L* ‖ *ab Scipione *L;* a Scipione *R; cf. 25, 4. 5* ‖ 10 pass̄. *AL;* passuum *editt.* ‖ 11 diuisum *L* ‖ 12 longe *om. L* ‖ pass̄. *AL;* passuum *editt.* ‖ ·XIIII· *L;* XVIII *AUFVD;* XVIIII *P* ‖ duas legiones *L*

---

de mosaïques, de gros murs, deux forteresses, dont une à chaque extrémité de l'enceinte, enfin tout ce qui indique une place de guerre.' Stoffel II 280. — 1 *per ipsos oppidanos*] nullo Caesarianorum praesidio auctos. — 2 *frumentatum*] quia commeatus ex Sicilia et Sardinia hiemis causa ad Caesarem non pervenerunt. — 3 *magno numero*] 'große Quantitäten'. — 4 [*parvo tritici*] interpolatio desumpta ex 36, 2, ubi tritici magnam vim Thysdram comportatam esse dixit; neque quid haec verba ad exercitum recreatum faciant, potest intellegi. — 6 *cum universiis copiis*] hunc verborum ordinem confirmant 30, 2. 48, 5. 58, 1. 75, 1. — *subsequi*] 75, 7 per iugum summum collis procul subsequi. — 7 *trinis castris*] 86, 1. Varro ling. lat. 10, 67 unae bigae, binae quadrigae, trinae nuptiae: trinae litterae, trina castra apud Ciceronem et Caesarem. Quod autem M. Cicero filius ad patrem scripsisse dicitur 'direxi litteras duas', a falsario quodam excogitatum est. Cf. Arch. lex. lat. IV 100. Intelleguntur castra Scipionis, Iubae (48, 2) et Afranii, quae posita esse existimat Stoffel super Tegeam. Plut. Caes. 53 *Σκηπίων καταλιπὼν χωρὶς μὲν Ἀφράνιον, χωρὶς δὲ Ἰόβαν δι' ὀλίγου στρατοπεδεύοντας.* (Infra 79, 2 binis castris consedit.) 'Les trois camps occupaient les collines de Menzel-Kemel.' Tissot II 746.

68. 9 *Zeta*] quod finitimum fuit Vagae (74, 1), oppido Byzacii; secundum Stoffelium II 136 hodie Bourdjine: 'à l'ouest d'Agar et de Menzel-Kemel, le bourg de Kneïs', Tissot II 746 sq. — 10 *conlocatum*] verba sic struenda: ad regionem et partem castrorum eius (Scipionis) situm; cf. 37, 5 in quibus (collibus) turres perveteres erant conlocatae. — 12 *longe*] 2, 2. 38, 2: adverbium tamen omitti posse in sermone vulgari ostendunt b. Hisp. 24, 2 Aspavia, quod est (= abest) ab Ucubi milia passuum V; ib. 8, 6. Cf. Nipperd. quaest. Caes. p. 225. — *frumentandi gratia*] 61, 5. 65, 3; frumentatum ter. Cf. ad 7, 5.

castris ex campo in collem ac tutiora loca conlatis atque ibi
praesidio relicto ipse quarta vigilia egressus praeter hostium
3 castra proficiscitur cum copiis et oppidum potitur. Legiones
Scipionis conperit longius in agris frumentari et, cum eo
contendere conaretur, animadvertit, copias hostium his legio-
4 nibus occurrere suppetias. Quae res eius impetum retardavit.
Itaque capto C. Minucio Regino, equite Romano, Scipionis
familiarissimo, qui ei oppido praeerat, et P. Atrio, equite
Romano de conventu Uticensi, et camelis XXII regis ab-
ductis, praesidio ibi cum Oppio legato relicto ipse se reci-
pere coepit ad castra.

1 **69.** Cum iam non longe a castris Scipionis abesset,
quae eum necesse erat praetergredi, Labienus Afraniusque
cum omni equitatu levique armatura [ex insidiis adorti]
agmini eius extremo se offerunt atque ex collibus primis

1 castris ex campo *L sec. m. inter versus* ‖ collatis *Lipsius; conlocatis A;* collocatis *R* ‖ 3 castra multitudinem proficiscitur *L* ‖ oppidum *ALP;* oppido *R* ‖ 4 eous *F* ‖ 5 is *P* ‖ 7 itaque] ipse *L* | Minucio *Nipperdeius;* Mincio *L;* Mocio *cod. Scalig.;* Mucio *idem sec. m.;* Biocio *UFDδ*; Biotio *A* ‖ eq. Ro. *A;* eq. p. r̄. *L* ‖ 9 abductis *Iurinius;* adductis *O* ‖ 10 Oppio *AF;* oppido *R* ‖ 11 in castra *L* ‖ 13 quae eum] quae cum *UF;* quae tunc *L;* quaestum *PV* ‖ 14 *[ex insidiis adorti] *inclusimus*

---

1 *castris.. conlatis*] scripsimus ex necessaria Lipsii emendatione neque aliter scribere Asinio licuit; nam transferre castra dicitur quidem, sed de castris ultra aliquem locum sive flumen positis. Cf. Caes. III 66, 4. b. Alex. 37, 3. 60, 5. — *tutiora loca*] propius mare. — 3 *cum copiis*] cum dimidia fere parte exercitus. — *oppidum potitur*] 36, 4. 39, 3. 87, 6. 89, 2. — 4 *eo contendere*] ubi Scipionis legiones frumentabantur. — 5 *his legionibus*] fortasse glossema est. — 6 *occurrere suppetias*] praestat: succurrere. cf. ad 18, 1. — 7 *Minucio*] Mutium dicit Tissot II 744. — 8 *P. Atrio*] cui postea vitam concessit; 89, 5. — 9 *conventu Uticensi*] concilium civium Romanorum, qui Uticae sedes fortunarum collocaverant; pariter commemorantur 97, 2 conventus Thapsitanorum et Adrumetinorum, quibus imperantur pecuniae. — *camelis*] Camelos Romani primum viderunt bello Mithridatico secundum Sallustium apud Plut. Lucull. 11, 10: *Σαλουστίου δὲ θαυμάζω τότε πρῶτον ὦφθαι Ῥωμαίοις καμήλους λέγοντος, εἰ μήτε πρότερον τοὺς μετὰ Σκιπίωνος νικήσαντας Ἀντίοχον ᾤετο μήτε τοὺς ἔναγχος πρὸς Ὀρχομενῷ καὶ Χαιρώνειαν Ἀρχελάῳ μεμαχημένους ἐγνωκέναι κάμηλον.* Quod ut non satis accurate Sallustius memoriae prodidit, ita bello Iugurthino nullos commemorari camelos constat: multa contra eorum mentio in Corippi Iohanneide. Cf. Tissot II 744. 745 adnot. — 11 *ad castra*] Quamquam Asinius constanter scripsit 'se recipere in castra' 18, 2. 30, 1. 48, 5. 63, 5. 66, 4. 86, 1, tamen praepositio verbo 'coepit' quodammodo defenditur.

69. 15 *agmini extremo*] ita Asinius constanter scripsit (novissimos 18, 2); Caesar plerumque agmen novissimum, raro agmen extremum. — *offerunt... existunt*] *ὕστερον πρότερον*, nisi quod alterum verbum ad eos potest referri, qui primis ordinibus auxilio succurrunt. Cf. ad 7, 6.

existunt. Quod postquam Caesar animadvertit, equitibus 2
suis hostium vi oppositis sarcinas legionarios in acervum
iubet conportare atque celeriter signa hostibus inferri. Quod 3
postquam coeptum est fieri, primo impetu legionum equitatus et levis armatura hostium nullo negotio loco pulsa et
deiecta est de colle. Cum iam Caesar existimasset, hostes 4
pulsos deterritosque finem lacessendi facturos, et iter inceptum pergere coepisset, iterum celeriter ex proximis collibus erumpunt, atque eadem ratione, qua ante dixi, in Caesaris legionarios impetum faciunt Numidae levisque armatura mirabili velocitate praediti, qui inter equites pugnabant et una pariter cum equitibus occurrere et refugere consueverant.
Cum hoc saepius facerent et proficiscentes Iulianos inseque- 5
rentur, refugerent instantes, propius non accederent et singulari genere pugnae uterentur eosque iaculis convulnerare satis esse existimarent, Caesar intellexit, nihil aliud eos conari,

2 vi] III *PUF* ‖ sarcinas *om.* *A* ‖ legionarias *LV* ‖ acerbum *A* ‖ 3 comportare *A;* comportari *R* ‖ celeriter *om.* *L* ‖ *inferri *LP;* inferre *AUFVD* ‖ 4 impetum *L* ‖ legionis *A;* legioñ *LP*, legiones *V* ‖ equitatus hostium et *L* ‖ 6 defecta *APV* ‖ 7 *inceptum *APUFVD;* coeptum *Lδ*, *editt.* ‖ 9 quam *L* ‖ 10 levis *Dδ* ‖ *armatura *D;* armaturae *R* ‖ 12 *pariter *L;* pariterque *R* ‖ *occurrere] accurrere *O* ‖ et refugerent *δ* ‖ 14 instantes *cod. Scalig.;* stantes *R* ‖ 15 iaculis eos *F* ‖ 16 eos nihil aliud *L*

---

2 *hostium vi*] = multitudini, quamquam dativum evitari satis constat. Corp. Inscr. lat. V 837 vi divinae sacrum. Neue I² 497. — *legionarios*] Asinius opposuit equitibus, quod verbum noluimus restituto infinitivo passivi 'conportari' inducere; immo constructionis inaequalitas eo explicatur, quod alter infinitivus ad legionarios refertur, alter ad signiferos. — 3 *conportare*] hoc Asinius verbo novem locis usus est, cum Caesar conferendi praeferat (sarcinas, impedimenta), Livius coiciendi. — 4 *coeptum est fieri*] Cum fieri (= fierei, fiere, *φύειν*) sit infinitivus verbi intransitivi activi, rectius Cicero scripsit Brut. 106 iudicia fieri coeperunt; epist. 14, 18 si quae rapinae fieri coeperint; Sall. Cat. 51, 40 alia huiuscemodi fieri coepere; Livius 2, 21, 6 iniuriae a primoribus fieri coepere: sed ex quo obscurata origine terminatio in -i infinitivi passivi speciem offerret Romanis, altera quoque constructione usi sunt, quam Livius inde a libro tertio unam probavit, velut 3, 65, 7 ab iunioribus patrum iniuriae fieri coeptae. Cf. supra ad 27, 1. — 7 *iter inceptum*] 75, 6 iter inceptum ire. — 9 *qua*] 41, 3 in eo loco, quo paulo ante commemoravi. — 10 *armatura etc.*] De constructione *κατὰ σύνεσιν* cf. ad 95, 1: ad genetivum levis armaturae supplendum esset 'milites', quod ellipsis genus ab Asinii oratione alienum est. — 11 *una pariter*] Similia asyndeta leguntur apud Plautum Curc. 48 pariter simul; Pseud. 390. Ter. Heaut. 907 una simul; Varro sat. Men. 438 Büch. pariter item; supra 31, 1 minutatim modeste. Cf. S. Preuss, De bimembris dissoluti usu sollemni (1881) p. 62. — 12 *occurrere*] scripsimus, quia accurrere 74, 3. 85, 7 est celeriter subsidio venire. Cf. 39, 2. 49, 2. An scribendum procurrere, ut 71, 1?

nisi ut se cogerent castra eo loco ponere, ubi omnino aquae nihil esset, ut exercitus eius [ieiunus], qui a quarta vigilia usque ad horam X. diei nihil gustasset, ac iumenta siti perirent.

1 **70.** Cum iam ad solis occasum esset, et non totos C
passus in horam [IIII] esset progressus, equitatu suo propter
equorum interitum extremo agmine remoto, legiones in vicem
2 [ad extremum agmen] evocabat. Ita vim hostium placide
leniterque procedens per legionarium militem commodius
3 sustinebat. Interim equitum Numidarum copiae dextra sini-
straque per colles praecurrere coronaeque in modum cingere
multitudine sua Caesaris copias, pars agmen extremum in-
4 sequi. Caesaris autem non amplius III aut IIII milites veterani
cum se convertissent et pila viribus contorta in Numidas
infestos coiecissent, amplius duum milium numero ad unum
terga vertebant ac rursus ad aciem passim conversis equis
se colligebant atque in spatio consequebantur et iacula in
5 legionarios coniciebant. Ita Caesar modo procedendo modo
resistendo tardius itinere confecto noctis hora prima omnes
suos ad unum in castra incolumes sauciis X factis reduxit.

1 aqua *A* ‖ 2 eius *om. Dinter* ‖ *[ieiunus] *inclusimus* ‖ 3 gustassent *L* ‖ 5 et non totos] et vento *D* ‖ 6 in horis *AUFVD;* in hora *Novák* ‖ ·IIII·] *ALPUFV;* quattuor *Dδ*; *inclusit Oudendorpius* ‖ 8 *[ad extremum agmen] *inclusimus* ‖ revocabat *D* ‖ 9 militum *L* ‖ 10 equitatum *A* ‖ copiae Numidarum *L* ‖ 11 coronamque *ALPV* ‖ 12 suas *L* ‖ extremum agmen *L* ‖ 13 autem] interim *AUFVDδ* ‖ 14 *cum *L;* si *R* ‖ 15 infertos *A;* infectos *LP* ‖ duo *A* ‖ numerum *AD; om. rec.* ‖ 16 et rursus *L* ‖ conversi se quisque *V* ‖ 18 (coiciebant *ALPUF*) ‖ 20 castra *Vascosanus;* castris *R*

---

2 *eius*] = suus; cf. ad 33, 1.

70. 6 *in horam*] singulis horis non centenos passus. — 7 *equorum interitum*] ut 71, 2. — *extremo agmine*] = ab extremo agmine ad exemplum poetarum. Ovid. met. 7, 256 arcanis oculos removere; Velleius 2, 32, 5 remoto mari loco. — *invicem*] unam post álteram. Hirtius 8, 6, 4 invicem legionibus expeditionum onus iniungebat. — 9 *leniter*] ad 6, 5. — 13 *III aut IIII*] Ut bina adverbia numeralia modo coniunctione copulantur (ter quaterque, bis terve), modo ἀσυνδέτως iuxta ponuntur (ter quater, semel saepius), sic cardinalia et ordinalia quoque utramque rationem sequuntur. Cf. 47, 2 tertio quarto quoque die. — 14 *cum se convertissent*] 14, 3 cum (= quotiens) Caesariani in eos impetum fecissent, equites refugiebant. Draeger, hist. Synt. II² 574 (§ 498. 2. b). — 15 *ad unum*] usitatius 'ad unum omnes' vel, quod praetulit Asinius, 'omnes ad unum' 70, 5. 74, 2. 85, 9: nostro tamen loco 'duo milia' eodem iure sunt, quo in notissima illa formula 'omnes'. — 20 *incolumes*] salvos, integros, id est ne vulneratos quidem. — *sauciis decem factis*] Plaut. Pers. 1, 1, 24 saucius factus sum in Veneris proelio. Cato (orig.) apud Gellium 3, 7, 19 cum saucius multifariam ibi factus esset. Sisenna frgm. 36 Pet. ad binum milium numero sauciis utrim-

Labienus circiter CCC amissis, multis vulneratis, [ac] defessis 6
instando omnibus ad suos se recepit. Scipio interim legiones 7
productas cum elephantis, quos ante castra in acie terroris
gratia in conspectu Caesaris conlocaverat, reducit in castra.

71. Caesar contra eiusmodi hostium genera copias suas 1
non ut imperator exercitum veteranum victoremque maximis
rebus gestis, sed ut lanista tirones gladiatores condocefacere;
quo pede se reciperent ab hoste et quemadmodum obversi
adversariis et in quantulo spatio resisterent, modo procurrerent modo recederent comminarenturque impetum, ac prope
quo loco et quemadmodum tela mitterent, praecipere. Miri- 2
fice enim hostium levis armatura anxium exercitum nostrum
atque sollicitum habebat, quia et equites deterrebat proelium
inire propter equorum interitum, quod eos iaculis interficiebant, et legionarium militem defatigabat propter velocitatem:

1 *⌊ac] *del. Forchhammer;* ·c· *ALPV* ‖ 3 quas *Nipperdeius;* quos *O* ‖ 7 condocefaceret *LPFVD* ‖ 8 qđ (quod) pedes *APUFV;* q ad pedes *L*^ ‖ 9 adversarios *O* ‖ 10 communicarenturque *A* ‖ 11 praeciperet *LPUF;* praecipit *D;* praecepit *V* ‖ 12 nostrum exercitum *L* ‖ 14 *interficiebant *LDδ*; interficiebat *R* ‖ 15 et *L inter versus* ‖ legionarium . . . defatigabat *om. L*

---

que factis. Turpilius 64 Rib. Cic. p. Tull. 56. Ovid. trist. 1, 1, 75. Ascon. p. 31, 2 K. Auson. per. Iliad. 5. Quamquam sauciare iam legitur apud Plautum, tamen haec locutio ad illud tempus referenda esse videtur, cum verbum transitivum nondum formatum esset, ut planum facere antiquius est quam explanare (planare), aequum parare (aequiparare) fortasse antiquius quam aequare, salvum sistere haud dubie multo antiquius quam salvare.

71. 5 *eiusmodi hostium genera*] = eiusmodi hostes, id est insidiosos; 10, 3. 73, 2. De pleonasmo cf. ad 23, 1. Cic. de imp. Pomp. 6 genus est belli eiusmodi. Nep. Ages. 8, 4 eiusmodi genera obsonii. — 6 *veteranum victoremque*] de allitteratione cf. ad 2, 5. — 7 *lanista*] hoc loco non in malam partem dictum: infamem autem fuisse lanistarum artem Lex Iulia municipalis (tab. Heracl.) 123 ostendit: queive corpore quaestum fecit fecerit, queive lanistaturam . . fecit fecerit, queive lenocinium faciet, unde explicandus versus Iuvenalis 6, 216: testandi cum sit lenonibus atque lanistis Libertas. — *condocefacere*] cf. ad 27, 1. — 10 *comminarenturque*] Plaut. Aul. 417 quia comminatu's mihi. — 11 *mirifice*] cf. ad 88, 5. — 12 *anxium atque sollicitum habebat*] vetustissima huius structurae exempla apud Plautum sunt: exercitum, sollicitum habere aliquem, quem sequitur Cicero Cat. mai. 66 angere atque sollicitam habere; adiectivum anxius non addito participio primus Tacitus an. 2, 65 cum habendi verbo coniunxit. Cf. Arch. lex. lat. II 377. — *exercitum nostrum*] Cum Caesari, Hirtio, auctori belli Hispaniensis maxime frequentata sint: exercitus noster, equites, milites nostri, naves nostrae, etiam nostri non addito substantivo, Asinius uno praeter hunc loco (72, 4) scripsit: miles noster, si probanda est editorum coniectura. — 13 *quia*] (72, 1?) Asinius apud Cic. epist. 10, 31, 6. 32, 3. 33, 5; particula a Caesare in commentariis rerum suarum non admissa nisi III 30, 4, qui tamen locus ad Polionem referendus esse videtur. — *deterrebat . . . interficiebant*] nominibus collectivis Asinius praedicata verbalia

gravis enim armaturae miles simulatque ab iis insectatus constiterat in eosque impetum fecerat, illi veloci cursu periculum facile vitabant.

1 **72.** Quibus ex rebus Caesar vehementer commovebatur, quod, quotienscumque proelium erat commissum, equitatu suo sine legionario milite hostium equitatui levique armaturae
2 [eorum] nullo modo par esse poterat. Sollicitabatur etiam [his rebus], quod nondum legiones hostium cognoverat, et quonam modo sustinere se posset [ab eorum equitatu levique armatura, quae erant mirifica], si legiones quoque ac-
3 cessissent. Accedebat autem haec causa, quod elephantorum magnitudo multitudoque militum animos detinebat in terrore.
4 Cui uni rei tamen invenerat remedium: namque elephantos

1 armatura *L* ‖ his *A*; hiis *L* ‖ 2 impetumque *L* ‖ 4 ex *om.* *D* ‖ vehementer . . . proelium *om.* *L* ‖ 5 *quod quotienscumque pr.] quodcumque proelium quotiens *O*, *et A* quod *ante* poterat; quia quodcumque proelium quotiens *Dδ*, *editt.* ‖ equitatu suo *om.* *V* ‖ 6 sine *L* ‖ legionarios milites *LP*; legionariis militibus *V* ‖ equitatu *L* ‖ 7 *[eorum] *inclusimus* ‖ *etiam] autem *O* ‖ 8 *[his rebus] *inclusimus* ‖ hostium legiones *A* ‖ 9 se *om.* *A* ‖ possent *L*; non posset *V* ‖ *[ab eorum . . . mirifica] *inclusimus* ‖ et levi *L* ‖ 10 armaturę *A* ‖ *erant *ALPUF*; erat *R* ‖ 11 *autem] autem et *L*; etiam *R* ‖ 12 *militum animos *A* *(ut 83, 1)*; animos militum *R* ‖ 13 uni *om.* *UF*

singulari quidem numero addidit, ita tamen, ut in altero vel tertio enuntiato in pluralis formam transiret. Cf. 6, 1 equitatus occupat... coeperunt. — 1 *insectatus*] passive; Plaut. Capt. 591 insectabit; Varro r. rust. 2, 9, 6 qui vellet se a cane sectari: infra 93, 3 regem ab omnibus aspernari. Cf. Asinius apud Prisc. 8, 19 cuius experta virtus bello Germaniae traducta ad custodiam Illyrici est.

72. 4 *vehementer commovebatur*] Caes. 1, 37, 4 quibus rebus Caesar vehementer commotus maturandum sibi existimavit. — 5 *quod*] ut § 2 sollicitabatur, quod; § 3 accedebat, quod. — *proelium*] cum non dicatur de variis proeliorum generibus, veluti pedestri, equestri, mixto, 'quodcunque' (= qualecunque) damnandum erat; nam aliae coniecturae (velut: quia, quotiens quodque proelium erat commissum) magis etiam recederent a codicum auctoritate. — 7 *etiam*] cf. 51, 4. 5. — 8 *his rebus*] scribendum certe erat: hac re, scilicet, quod nondum legionum periculum fecerat. Glossema petitum ex § 1. — 9 *sustinere se*] Caes. 2, 6, 4 nisi subsidium sibi summittatur, sese diutius sustinere non posse; 2, 25, 1 ut iam se sustinere non posset; absolute 4, 32, 3. 7, 86, 2. — *ab eorum equitatu*] neque in commentariis rerum a Caesare gestarum scriptum est: se sustinere ab aliqua re, et mentione equitatus levisque armaturae iniecta omnis sententiarum conexus evertitur. — 10 *erant*] scil. equites et levis armatura; mirifica: neutr. plur. Quare pravam sententiam suppeditabat lectio hucusque propagata 'erat', laude ad unum armaturam levem relata. Cf. 71, 2 mirifice etc. — 12 *magnitudo*] Diod. 2, 16 *ἔχει δὲ (Ἰνδικὴ χώρα) καὶ τῶν ἐλεφάντων ἄπιστον πλῆθος, αἳ ταῖς τε ἀλκαῖς καὶ ταῖς τοῦ σώματος ῥώμαις πολὺ προέχουσι τῶν ἐν τῇ Λιβύῃ γινομένων.* — 13 *elephantos*] Dio Cassius 43, 4, 1 *Καῖσαρ ἐκ*

ex Italia transportari iusserat, quo et miles speciemque et virtutem bestiae cognosceret, et cui parti corporis eius telum facile adigi posset, ornatusque ac loricatus cum esset elephans, quae pars corporis [eius] sine tegmine nuda relinqueretur, ut eo tela coicerentur; praeterea, ut iumenta bestiarum odorem stridoremque [speciem] consuetudine capta ne reformidarent. Quibus ex rebus largiter erat consecutus: nam et milites 5 bestias manibus pertractabant earumque tarditatem cognoscebant, equitesque in eos pila praepilata coiciebant, atque in consuetudinem equos patientia bestiarum adduxerat.

73. Ob has causas, quas supra commemoravi, sollicita- 1 batur Caesar tardiorque et consideratior erat factus et ex pristina bellandi consuetudine celeritateque excesserat. Nec 2

1 ex Italia *Ciacconius;* in Italia *A;* in Italiam *R* ‖ quo] quod *LP;* quos *R* ‖ *miles] miles nosset *O;* miles noster *editt.* ‖ 3 ornatusque *A δ*; oneratusque *R* ‖ *elephans *ALPUFV;* elephantus *vulg.* ‖ 4 [eius] *O* ‖ tegumine *P;* tegimine *UFD pr. m.* ‖ 5 tala *A* ‖ coicerentur *L;* conicerentur *R* ‖ propterea *A* ‖ 6 stridoremque *LP;* stridorem *R* ‖ *[speciem], *quod inclusimus, AL;* et speciem *R, ut videtur, editt.* ‖ consuetudinem *D δ*; consutunae *F* ‖ capta *codex Norvicianus;* captarum *APδ*; captirum *L;* capturum *UFV;* captum *D* ‖ *ne *Novák;* non *O* ‖ reformidarent *AD;* reformidare *R* ‖ 7 ex *om. L* ‖ largiter] tria *Badenus* ‖ 8 contractabant *L* ‖ 9 in *post* atque *om. LP* ‖ atque consuetudo equos in patientiam *Novák* ‖ 13 neque *AUFV*

τῆς Ἰταλίας ἐλέφαντας μετεπέμπετο, οὐχ ὡς καὶ ἀξιόμαχόν τι δι᾽ αὐτῶν δράσων, οὐδὲ γὰρ πολλοὶ ἦσαν, ἀλλ᾽ ἵνα οἱ ἵπποι πρός τε τὴν ὄψιν καὶ πρὸς τὴν φωνὴν αὐτῶν ἐκμελετήσωσιν οὐδὲν ἔτι τοὺς τῶν πολεμίων φοβεῖσθαι. — 1 *miles*] quod vulgo scribitur 'miles noster' parum congruit cum Asinii consuetudine (ad 71, 1 nostrum), et codicum scripturam 'nosset' nihil nisi glossema esse verbi 'cognosceret' ultro apparet. — *speciemque et virtutem*] Haec duorum substantivorum iunctura Livio quidem admodum frequens (1, 43, 2 tela in hostem hastaque et gladius, et sic passim), Ciceroni tamen ac Caesari non probata, Sallustio nisi in pronominibus priore loco positis, Iug. 55, 1 seque et exercitum; 76, 6 illaque et domum. Sic infra 93, 3 seque et sua omnia. — 3 *elephans*] eadem nominativi forma 84, 2. 4. — 4 *pars corporis*] Livius 21, 55, 11 aversos sub caudis, qua maxume molli cute vulnera accipiunt, fodiebant. — 5 *odorem stridoremque*] Florus 1, 13 (18) elephanti, quorum cum magnitudine tum deformitate et novo odore simul ac stridore consternati etc. Polyaen. strat. 4, 21. — *ut ... ne*] 9, 2 ut maritima oppida post se ne vacua relinqueret. — 6 [*speciem*] ex superioribus male repetitum est. — *consuetudine capta*] Cic. offic. 1, 59 'consuetudo exercitatioque capienda', quamquam sunt, qui haec verba utpote ab interpolatore addita delenda esse censeant. Caesar 6, 22, 3. Suet. div. Iul. 30. — 7 *largiter erat c.*] cf. Nägelsbach, Lat. Stilistik, § 145, 2. — 9 *pila praepilata*] figura pseudetymologica; nam est: pīla pĭlis (id est globulis, ne transfoderent cutem elephantorum) in cuspide munita.

73. 11 *sollicitabatur*] 71, 2. 72, 2. — 13 *consuetudine*] explicatur § 2. — *nec mirum*] 26, 5.

mirum: copias enim habebat in Gallia bellare consuetas locis
campestribus et contra Gallos, homines apertos [minimeque
insidiosos], qui per virtutem [non per dolum] dimicare con-
suerant; tum autem erat ei laborandum, ut consuefaceret
milites hostium dolos, insidias, artificia cognoscere, et quid
3 sequi, quid vitare conveniret. Itaque, quo haec celerius
conciperent, dabat operam, ut legiones non uno loco con-
tineret, sed per causam frumentandi huc atque illuc rapsaret,
ideo quod hostium copias ab se suoque vestigio non disces-
4 suras existimabat. Atque post diem tertium, productas ac-
curatius suas copias sicut instruxerat, propter hostium castra
praetergressus aequo loco invitat ad dimicandum. Postquam
abhorrere eos videt, reducit sub vesperum legiones in castra.

2 *[minimeque insidiosos] *inclusimus* || 3 *[non per dolum] *inclusimus* || *consuerant] consuerunt *O* || 5 cognoscere et] cognoscerent *ALPV*; cognosceret *U*; cognoscere *FDδ* || 6 quod vitare *PV* 7 dabant *AP* || *uno loco *APUFVD*; in uno loco *Lδ* || 8 *rapsaret] rapsare *ALP*, *item UF cum nota corruptelae*; repsare *V*; raptaret *D corr.*; laxare *codex Petavianus* || 9 discesseras *UF* || 10 existimabant *PUFV* || productas copias a. s. *L*; productis a. suis copiis *Clarkius* || 13 eos abhorrere *A*

---

1 *copias*] hoc ad veteranos solos referri potest, id est legiones quintam Martiam, IX. X. XIII. XIIII. — 2 *Gallos*] quorum tamen ipse Caesar multos dolos in commentariis suis descripsit (2, 18. 19. 3, 20. 28. 4, 12. 5, 32. 7, 83); ceterum, quae ab Isidoro orig. 9, 2, 105 in Gallis laudatur naturae ferocia, animo aperto ac simplici propior est quam versutiae. Asinius autem non legatus in Gallia Caesaris fuerat, ut Labienus aliique. — [*minimeque insidiosos*] et [*non per dolum*] inclusimus, ne quae sequuntur 'hostium dolos, insidias' languide et frigide dicta esse concederemus. — 3 *consuerant*] 78, 1 ubi praesidium habere consuerat; 78, 5 trecentos habere expeditos consuerat. Plusquamperfectum refertur ad tempus, cum Caesar Galliam subigeret; perfectum ideo minus consentaneum est, quia Galli, cum Asinius hunc commentarium conscriberet, nulla omnino bella cum Romanis gesserunt. — 4 *consuefaceret ... cognoscere*] Terentius Ad. 74 consuefacere filium sua sponte recte facere; Sall. Iug. 80, 2 consuefacere ordines habere. An scribendum: ut milites .. cognoscerent? — 5 *dolos*] 10, 3 insidiosae nationis; Sall. Iug. 46, 3 genus Numidarum . . . infidum, ingenio mobili. Salv. gub. d. 7, 15, 64 Afri fallacissimi, fraudulentissimi, perfidissimi. Serv. Aen. 6, 724 Afros versipelles. — 7 *uno loco*] ut Caes. 7, 10, 1 si uno loco legiones contineret. — 8 *rapsaret*] A rapiendi verbo ducta sunt frequentativa et raptare et rapsare, ut a mergendo, pellendo et mersare, mertare et pulsare pultare. Quintil. 1, 4, 14. Gellius 2, 6, 5 qui fertur et rapsatur atque huc atque illuc distrahitur. Cf. Arch. lex. lat. IV 201. — 9 *vestigio*] verbum a re venatoria desumptum. — 10 *productas ... praetergressus*] ita praetergressus, sicut copias suas in aciem productas instruxerat, nisi potius faciendum cum Clarkio coll. 30, 2. 75, 1. — 12 *aequo loco*] non opportuno, sed plano. b. Alex. 18, 3 in aequo loco ac plano; b. Hisp. 25, 3 in aequum locum non sunt ausi descendere.

74. Legati interim ex oppido Vaga, quod finitimum 1
fuit Zetae [cuius Caesarem potitum esse demonstravimus],
veniunt; petunt obsecrant, ut sibi praesidium mittat: se res
conplures, quae utiles bello sint, subministraturos. Per idem 2
tempus deorum voluntate studioque erga Caesarem transfuga
suos cives facit certiores, Iubam regem celeriter cum copiis
suis, antequam Caesaris praesidium eo perveniret, ad oppidum adcucurrisse atque advenientem multitudine circumdata
eo potitum omnibusque [eius oppidi] incolis ad unum interfectis dedisse oppidum diripiendum delendumque militibus.

75. Caesar interim lustrato exercitu a. d. XII. Kal. 1
April. postero die productis universis copiis progressus ab

2 *[cuius . . . demonstravimus] *inclusimus* ‖ 3 *petunt obsecrant *O;* petunt et obsecrant *editt.* ‖ 4 itales *F* ‖ *subministraturos *coniecit Kraner;* administraturos *vel* amministraturos *O* ‖ id *PFD* ‖ 5 de eorum *A* ‖ transfugas *LPVDδ* ‖ 8 adcucurrisse *APUF*; decurrisse *L;* cucurrisse *VDδ* ‖ adveniente *ADδ* ‖ 9 *[eius oppidi] *inclusimus* ‖ 11 a. d.] ad *AL, et fortasse etiam R* ‖ 12 progressus *codex Norvicianus et Vossianus;* processus *R* ‖ ab suis castris *om. UF*

---

74. 1 *Vaga*] non celebre Numidiae oppidum, sed alterum cognomine provinciae Byzacenae, Plinio nat. hist. 5, 29. 30 Vagense oppidum. — 2 *cuius . . . demonstravimus*] verba glossematis speciem prae se ferunt, quia et desideratur 'supra' vel tale quid (24, 1. 55, 1. 73, 1. 80, 3), et quia alterum enuntiatum relativum priori copula (cuiusque, vel et cuius) adnectendum fuit. Cf. simile glossema cap. 43. — 3 *petunt obsecrant*] 7, 1 veniunt . . . pollicentur; 22, 2 plane oppressam, funditus deletam; 26, 3 perire, funditus everti. Notissimum huius generis asyndeton 'oro, obsecro' non solum in Plauti fabulis, sed etiam apud Terentium Ad. 472, Caelium apud Cic. epist. 8, 16, 1, et in epist. ad Att. 11, 2, 3 legitur; similia velut 'monere, orare' (Caes. 5, 27, 7), 'rogo oro' (Plin. epist. 6, 8, 9), hortari orare congessit S. Preuss, De bimembris dissoluti usu, pg. 95 seq. Copula usus est Asinius supra 33, 1 orare et petere; 77, 1 petunt orantque. Sed ut hoc genus dicendi priscis scriptoribus magis etiam familiare fuisse intellegatur, cf. ex Catonis rei rust. libro 2, 1 vilicum vocet roget; 22, 1 corbulae sarciantur picentur; 40, 2 praecidito inclinato; ibid. iniudicatis incondemnatis; 42 oblinito integito; 45, 9 mortuus est, sepelitus est; 58 condito parcito; 106, 2 infundito misceto; 107, 2 commoveto videto; 112, 3 operito relinquito; 157, 13 spargito opponito; frgm. Iord. 41, 3 verberavere videre: quibus addere iuvat duo Sallusti exempla, Catil. 11, 6 amare potare; Iug. 62, 1 captos occisos. — 4 *subministraturos*] 33, 1 se frumentum subministraturos. — *per idem tempus*] cf. ad 57, 1. — 5 *deorum voluntate*] auctorem huius libelli non fuisse religionum contemptorem demonstrant hi loci: 47, 6 ubi prodigium narratur; 82, 2; 86, 3 ubi de divina re facta dicitur. — *transfuga*] Vagensis ipse; cives intelleguntur legati Vagenses: qui si protinus Vagam revertissent, una cum praesidio Caesaris in manus Iubae incidissent. — 8 *adcucurrisse*] = accessisse, ut 75, 3; tuenda erat haec lectio, quamquam aliis locis accurrere idem est quod subsidio venire. — *advenientem*] primo statim adventu; 89, 2. — 9 [*eius oppidi*] verba non solum supervacanea, ut 7, 2, sed adeo molesta post 'eo potitum'.

suis castris milia passus v, a Scipionis circiter duum milium
2 interiecto spatio, in acie constitit. Postquam satis diu ad-
versarios ab se ad dimicandum invitatos supersedere pugnae
animadvertit, reducit copias posteroque die castra movet
atque [iter] ad oppidum Sarsuram, ubi Scipio Numidarum
habuerat praesidium frumentumque conportaverat, ire con-
3 tendit. Quod ubi Labienus animadvertit, cum equitatu levi-
que armatura agmen eius extremum carpere coepit atque
ita lixarum mercatorumque, qui plostris merces portabant,
sarcinis interceptis addito animo propius audaciusque accedit
ad legiones, quod existimabat, milites sub onere ac [sub]
4 sarcinis defatigatos pugnare non posse. Quae res Caesarem
non fefellerat: namque expeditos ex singulis legionibus tri-
cenos milites esse iusserat. Itaque eos in equitatum Labieni
5 inmissos [turmis suorum] suppetias mittit. Tum Labienus
conversis equis signorum conspectu perterritus turpissime
6 fugere contendit. Multis eius occisis, conpluribus vulneratis
milites legionarii ad sua se recipiunt signa atque iter in-

1 *passus] pass̄. *L;* pas *A;* passuum *editt.* ‖ 2 circumiecto *LPUFVD* ‖ *diu] diuque *O, editt.* ‖ 3 *[ab se] *om. L;* ad se *ADδ* ‖ 5 *[iter] *UFVD* (it̄ *A*); *om. LPδ editt.* ‖ 8 capere *LD* ‖ 9 armatorumque *L* ‖ 10 *sarcinis interceptis *AL;* interceptis sarcinis *R* ‖ 11 *[sub] *om. L* ‖ 12 defatigatos *fort. delendum* ‖ 15 *turmis suorum] *inclusimus* ‖ 18 iter interceptum agere *L*

---

75. 2 *satis diu*] Claudius Quadrigarius apud Gellium 15, 1, 7 satis diu sunt conati ... incendere; Cic. Phil. 13, 10 haec satis diu multumque defleta sunt, et sic passim. — 3 *supersedere pugnae*] unicum huius verbi cum dativo coniuncti exemplum; nam reliquis ablativus intellegi potest. Caes. 2, 8, 1 proelio; Monum. Ancyr. I 23. — 5 [*iter*] *ire*] 6, 4 iter constitutum ire contendit; infra § 6 iter inceptum ire coeperunt; Livius 21, 27, 2 iter unius diei ire: sed cum in his figuris, quae dicuntur, etymologicis, accusativi rarissime attributo careant, hoc loco Asinium 'iter ire' scripsisse parum probabile est, cum praesertim obiectum a verbo admodum sit remotum. — *Sarsuram*] in tabula Peutingeriana Sassura vicus, qui abesse dicitur a Thysdra duodecim milia passuum. Tissot II 185: les ruines, que les indigènes appellent Henchir ez-Zaouadi, me paraissent être celles de Sassura. Ibid. p. 749. — 6 *habuerat*] cf. ad cp. 43. — *conportaverat*] rectius: quoque frumentum conportaverat. Cf. ad 36, 2. — 11 *sub onere ac sarcinis*] sub onere sarcinarum, id est vallorum, cibariorum etc. Lectio 'ac sub sarcinis' ferri quidem posset, si 'onere' addito genetivo, velut armorum (Caes. 4, 24, 2), ad aliud impedimentorum genus referre liceret; opponuntur § 4 expediti. Ceterum Kreyssigius verba 'ac sub sarcinis' delenda esse censuit, quia Caesar nusquam utrumque coniunxit (I 66, 2 sub onere confligere; 2, 17, 2. 3, 24, 3. 8, 27, 5 sub sarcinis): accedit quod hoc loco alia vocabulo subiecta est notio atque in verbis supra scriptis (interceptis sarcinis). — 15 *turmis suorum*] immo legionibus, ut dictum est § 3. — 17 *fugere contendit*] locutio Asinio propria, 40, 2. 63, 2. 85, 4; ruere contendunt 83, 2. cf. ad 16, 3. — *multis ... conpluribus*] 19, 1. 78, 8. Cum Asinio

ceptum ire coeperunt. Labienus per iugum summum collis dextrorsus procul subsequi non destitit.

76. Postquam Caesar ad oppidum Sarsuram venit, in- 1
spectantibus adversariis interfecto praesidio Scipionis, cum
suis auxilium ferre non auderent, fortiter repugnante P. Cor-
nelio, evocato Scipionis, qui ibi praeerat, atque a multitu-
dine circumvento interfectoque oppido potitur atque ibi fru-
mento exercitui dato postero die ad oppidum Thysdram
pervenit, in quo Considius per id tempus fuerat cum grandi
praesidio cohorteque sua gladiatorum. Caesar oppidi natura 2
perspecta aquae inopia ab eius impugnatione deterritus pro-
tinus profectus circiter milia pass. IIII ad aquam facit castra
atque inde quarta vigilia egressus redit rursus ad ea castra,

2 destitit *APUFV*; desistit *LDδ* ‖ 3 Sassuram *A, ut est in tabula Peutingeriana* ‖ pervenit *V* ‖ 5 pugnante *L* ‖ 8 ad *om. PUFV* ‖ 11 aquae *Lipsius*; atque *O* ‖ *eius impugnatione *L*; oppugnatione eius *R* ‖ 12 *pass.] *L*; passuum *R, ut videtur* ‖ 13 *quarta vigilia *Aδ et D marg.*; inde quarto *LP*; die quarta *U*; quarta die *FVD* ‖ castra IIII die quae *A*; castra die quae *P*

---

consequi idem sit quod sequi (cf. ad 2, 4), conplures quoque eodem sensu intellegi possunt quo comparativus plures. — 1 *iugum summum collis*] Caes. 2, 24, 2 summo iugo collis, et inversa ratione 7, 36, 2 omnibus eius iugi collibus. — 2 *destitit*] cf. ad 22, 1.

76. 3 *inspectantibus*] ut 85, 9; adversariis = oppidanis. — 5 *non auderent*] quamvis vellent; nam ex participio inspectantibus quodammodo colligitur caedem factam esse invitis oppidanis. — 6 *evocato*] ut Crastinus ille evocatus in exercitu Caesaris, qui superiore anno apud eum primum pilum in legione decima duxerat. Caes. III 91, 1. Dicebantur autem evocati (ἀνάκλητοι), qui expletis stipendiis ab imperatoribus invitati denuo militiam capessebant. Cf. Ioh. Schmidt, Herm. XIV 321 sqq. — 7 *interfectoque*] languidum est, quia supra scriptum erat 'interfecto praesidio.' — 9 *Considius*] idem qui antea Adrumeti praefuerat; 3, 1 ubi cf. adnot — *per id tempus*] scilicet ex quo Caesar castra ad Aggar collocaverat; cf. ad 1, 3. — 10 *praesidio*] Gaetulorum; 93, 1. — *cohorte*] quae 93, 1 dicitur familia. — 11 *aquae inopia*] probanda est Lipsii coniectura, quia omisso genetivo, cuius rei inopia laboraverit Caesar, non satis intellegitur. — *impugnatione*] defenditur loco Hirtii 8, 43, 2 revocant ab impugnandis operibus armatos; quae quamquam differt a iusta oppugnatione, tamen et ipsa complurium dierum moram afferre poterat. Cf. Cic. Att. 4, 3, 3 ipse domum P. Sullae pro castris sibi ad eam impugnationem sumpserat. — 13 *quarta vigilia egr.*] 79, 1 tertia vigilia egressus. Ante lucem profectus est Caesar, ne agmen a Labieni equitibus lacesseretur. Quod vulgo editur 'die quarto' et propter verborum ordinem dubitationem movet (dicitur enim, ut postero die, ita quarto die et sim. 34, 5. 98, 2. Hisp. 37, 3), et ipsa codicum discrepantia vocabulum die, cum alii alio loco inserant, insiticium esse docet: praeterea haud facile intellegitur, cur Caesar tres dies ad aquam commoratus sit; cum enim unus dies frumento distribuendo suffecerit, cur tribus opus fuit ad aquam hauriendam? — *redit ad castra*] ad castra ire contendit et in c. revertitur; cf 68, 4.

quae ad Aggar habuerat. Idem facit Scipio atque in antiqua castra copias reducit.

1 **77.** Thabenenses interim, qui sub dicione et potestate Iubae esse consuessent, in extrema eius regni regione maritima locati interfecto regio praesidio legatos ad Caesarem mittunt, rem [male] gestam docent, petunt orantque, ut suis fortunis *cum de* p. R. bene meriti essent, auxilium
2 ferret. Caesar eorum probato consilio Marcium Crispum [tribunum] tribus cum cohortibus et sagittariis tormentisque
3 conpluribus praesidio Thabenam mittit. Eodem tempore ex legionibus omnibus milites, qui aut morbo impediti aut commeatu dato cum signis non potuerant ante transire Africam, ad milia IIII, equites CCCC, funditores sagittariique mille

1 ad *om. D* ‖ 4 consuevissent *V* ‖ maturrima *A;* maritima *R* ‖ 5 collocati *L* ‖ 6 *[male] *om A;* a se *Vascosanus, editt.* ‖ 7 fortuniis *L* ‖ *cum de p. R.] p. R. quod *UFDδ*; p̄. r̄. *ALPV;* populus Romanus cum *Nipperdeius* ‖ 8 ferre *A* ‖ *probato consilio *L;* consilio probato *R* ‖ 9 *[tribunum] *om. ALPV* ‖ *tribus cum cohortibus *Aδ;* cum cohortibus tribus *LPV;* cum cohorte *UFD* ‖ 12 *Africam *LPUFD;* in Africam *R* ‖ 13 mille] ∞ *UF;* eo *A*; cum *V;* quo *P;* $\overset{\text{i}}{\text{q}}$ *L*

---

77. 3 *Thabenenses*] Oppidum Straboni p. 832 (*εἷλε δ' ἐξ ἐφόδου Καῖσαρ . . Θέναν, πολίχνην ἐπιθαλαττιδίαν*) et p. 834 (*Θ. πόλις παρὰ τὴν ἀρχὴν κειμένη τῆς μικρᾶς σύρτεως*) dicitur *Θένα*; Plinio nat. hist. 5, 25 Thena, Ptolemaeo 1, 15, 3 et 4, 3, 11 *Θεαῖναι*; in inscript. (Corp. VIII p. 10) est THAENIT[anorum], in numis תעינת, Thaïnat, unde Thabena, Thaenae, Thena eiusdem oppidi nomen esse existimant. Tissot II 751, quod situm erat in Byzacio ex adverso insulae Cercinae. (Sed iure Wilmanns-Mommsen haec oppida diversa fuisse censent.) — *sub dicione et potestate*] Caesar 2, 34 civitates in dicionem potestatemque populi R. esse redactas; b. Alex. 66, 5 sub imperio ac dicione. — 4 *consuessent*] coniunctivus in sententia concessiva. Caesar III 96, 3 at hi luxuriem obiciebant, cui semper omnia ad necessarium usum defuissent. — 5 *locati*] b. Alex. 67, 2 in ea parte positus terrarum; ceterum quaeritur possitne defendi lectio codicis L collocati, cum Asinium in usu talium compositorum nimium fuisse constet. Cf. ad 5, 1. — 6 *rem gestam*] Caesar 5, 52, 5 contione habita rem gestam proponit; II 39, 2 rem gestam proponit; 'male' autem, quod in plerisque codicibus legitur, glossema videtur esse grammatici, qui, cum Thabenenses se de populo Romano bene meritos esse gloriarentur, perfidiam notandam esse putaret. — 7 *cum de populo R.*] non sufficiebat ad explendam lacunam particula cum; quare praepositionem adiecimus in codicum scriptura quod (= quom de) latentem. B. Alex. 66, 5 cum bene meritus de republica esset. — *populus Romanus*] cuius causam Caesarem suscepisse constabat, sicut Pompeium senatus; b Hisp. 3, 3 eam civitatem omni tempore optime de populo Romano meritam esset. — 8 *ferret*] scilicet Caesar, non, quod in lectione vulgata intellegendum erat, populus Romanus. — *consilio*] ad amicitiam Caesaris confugiendi. De ordine verborum cf. Hirtius 8, 21, 1. I 78, 3. b. Alex. 6, 1. — 12 *transire*] traicere; cf. 19, 3. — *Africam*] Caesar III 106, 1 coniectans eum Aegyptum iter habere.

uno commeatu Caesari occurrerunt. Itaque [cum his] co- 4
piis [et] omnibus [legionibus] eductis, sicut erat instructus,
v[III] milibus pass. ab suis castris, ab Scipionis [vero] II
milibus [pass.] longe constitit in campo.
78. Erat oppidum infra castra Scipionis nomine Tegea, 1
ubi praesidium equestre circiter II milium numero habere
consuerat. Eo equitatu dextra sinistra derecto ab oppidi 2
lateribus ipse legiones ex castris eductas atque in iugo in-
feriore instructas non longius fere mille passus ab suis
munitionibus progressus in acie constituit. Postquam diu- 3
tius in uno loco Scipio commorabatur et tempus diei in
otio consumebatur, Caesar equitum turmas suorum iubet in
hostium equitatum, qui ad oppidum in statione erant, facere
inpressionem levemque armaturam, sagittarios funditoresque

1 occurrunt *Dδ* ‖ *[cum his] *inclusimus;* cum omnibus his *D* ‖ 2 et *incl. Nipperdeius* ‖ *[legionibus] *inclusimus* ‖ 3 V *Nipperdeius;* VII *L;* VIII *R* ‖ *pass.] pās. *AL;* passnum *editt.* ‖ *ab Scipionis] ab Scipionis vero *Dδ*; *om. R* ‖ II] ∞·∞ *L;* co∞ (c superscr.) *A;* cōcō *PV;* ∞∞ mil. *F;* XX mil. *U* ‖ 4 *[pass.] *inclusimus;* pass *L;* pas *A;* passuum *editt.* ‖ 5 Thegea *D* ‖ 6 II milium] ∞∞ *ALF;* co. cō. *P;* XX *U* ‖ numerum *LP* ‖ 7 consueverat *F* ‖ derecto *P pr. m. UF;* directo *R* ‖ directo dextra sinistra *L* ‖ oppidi *Aδ*; oppido *R* ‖ 9 passus *L;* pas *A* ‖ 10 constituit *Oudendorpius;* constitit *Lδ*; consistit *R* ‖ 12 consumebat *Novák* ‖ Caesar *om. L* ‖ 13 erat *D pr. m.*, *δ*

---

1 *uno commeatu*] ita, ut ne una quidem navis deerraret. — 3 *V milibus*] 75, 1 progressus ab suis castris milia pass. V, a Scipionis circiter duum milium interiecto spatio. — [*vero*] neque opus erat, neque Asinius ea particula usus est: cf. 75, 1. — 4 *milibus*] 24, 1.

78. 5 *Tegea*] Τέγη Ptolem. 4, 3, 42. Tissot II 747. 753. — 6 *numero*] ut infra § 7 ad IIII milia numero; 70, 4. 95, 1; et passim apud Caesarem. — 7 *dextra sinistra*] asyndeton sollemne a Catone usque ad Ciceronem. Cato r. rust. 21. 160. Cic. Att. 13, 52, 2. Phil. 13, 9, 19. b. Alex. 37, 4. Sall. Iug. 101, 9. Quamquam eadem vocabula etiam copulis (que, et, ac) iunguntur, veluti apud Catonem r. rust. 161. Sall. Iug. 70, 3; supra 70, 3, et sic constanter apud Livium. Antiquissimorum scriptorum usus ut melius cognoscatur, haec apposuimus exempla: Cato r. rust. 2, 5 argentariam frumentariam; vinariam oleariam; 3, 2 oleariam vinariam; 35, 1 loco aperto celso; 90 fabam coctam tostam; ibid. fabam fresam puram; 110 testam crassam puram; 156, 6 vini atri duri. Cat. fragm. Iord. pg. 4, 15 campestris plerus; 48, 4 pulcher pisculentus; 55, 12 exercitum meliorem industriorem. Sall. Cat. 11, 3 avaritia infinita insatiabilis; 11, 5 loca amoena voluptaria; 19, 1 infestum inimicum Pompeio; Iug. 28, 4 homines nobilis factiosos. — 8 *iugo inferiore*] quod erat medium inter castra et oppidum Tegeam. — 10 *postquam diutius commorabatur*] postquam in horas expectationem Caesaris fallebat; Cic. epist. 7, 5, 1 posteaquam Pompei commoratio diuturnior erat: imperfectum enim rem nondum ad finem perductam significat: cf. ad 5, 1. — 11 *Scipio*] fortasse a grammatico additum est, quia in apodosi de Caesare dictum est. — 13 *qui . . . erant*] pronomen relativum ad equitatum (equites) potius quam ad hostium referendum est. — 14 *inpressionem*] ut § 8 =

4 eodem submittit. Quod ubi coeptum est fieri, et equis con-
citatis Iuliani impetum fecissent, Pacidius suos equites ex-
porrigere coepit in longitudinem, ut haberent facultatem
turmas Iulianas circumfundi et nihilo minus fortissime acer-
5 rimeque pugnare. Quod ubi Caesar animadvertit, CCC, quos
ex legionibus habere expeditos consuerat, ex proxima legione
[quae ei proelio in acie constiterat] iubet equitatui succur-
6 rere. Labienus interim suis equitibus auxilia equestria sub-
mittere sauciisque ac defatigatis integros recentioribusque
7 viribus equites subministrare. Postquam equites Iuliani CCCC
vim hostium ad IIII milia numero sustinere non poterant et
a levi armatura Numidarum vulnerabantur minutatimque
cedebant, Caesar alteram alam inmittit, qui satagentibus
8 celeriter occurrerent. Quo facto [sui] sublati universi [in
hostes] inpressione facta in fugam adversarios dederunt;
multis occisis, conpluribus vulneratis insecuti per III milia
passuum usque ad collem hostibus adactis se ad suos reci-

1 submittit *AL;* summittit *R* ∥ et . . . fecissent *incl. Novák* ∥ 4 circumfundendi *Madvigius Advers. crit. II 288;* circumeundi *Novák, deletis* et . . . pugnare ∥ nichilhominus *A* ∥ 6 consueverat *FV* ∥ prima *Dδ* ∥ 7 *[quae . . . constiterat] *inclusimus;* quae ex pr. *L;* quae ei praesidio *D corr.* ∥ 8 submittere *L;* summittere *R* ∥ 10 CCC *D* ∥ 12 ad levi *A;* ab levi *UF* ∥ minuatimque *PV* ∥ 13 *inmittit *L;* mittit *R* ∥ quis adagentibus *A* ∥ 14 *occurrerent *O;* succurrerent *Nipperdeius* ∥ facto *om. L* ∥ *[sui] *om. LD* ∥ *[in hostes] *inclusimus* ∥ 16 consecuti *V* ∥ 17 pass̄ *L;* pas̄ *A* ∥ ad *om. AUF* ∥ *collem *O;* colles *editt. cum codice Petaviano*

---

impetum § 4. Varro r. rust. 2, 4, 1 impressionem facere in castra; Hirtius 8, 6, 2 in fines Suessionum i. f.; Livius 3, 62, 7: Caesar tamen et Sallustius hoc vocabulo abstinere maluerunt. — 1 *equis concitatis*] Caesar III 96, 3 equo citato; Livius 3, 46, 6 etc. — 2 *exporrigere*] cf. ad 42, 2. — 4 *circumfundi*] aliquid, sensu mediali = amplecti, ut Lucr. 1, 40 hunc tu, diva, tuo recubantem corpore sancto Circumfusa; Ovid. met. 3, 180; diversi autem generis infinitivos coniunxit Asinius, ut 51, 2 duci . . . derigere; 80, 5 appelli . . . observare. Facultas denique, quod plerumque cum genetivo gerundii vel gerundivi construitur (47, 2. 49, 1. 50, 2), infinitivum a se suspensum habet exemplo poetarum. Statius Theb. 4, 513 nobis saevire facultas. (Si scripseris 'circumfundendi', oratio propter id quod sequitur 'pugnare' magis etiam inconcinna erit.) — 5 *CCC*] 75, 4. — 7 [*ei proelio*] utcunque delenda sunt, vel servatis verbis: quae in acie constiterat. — 9 *recentioribus*] positivo locus esse non poterat, quia integri ab iis discernuntur, qui proelio iam interfuerant quidem, sed per breve tantum temporis spatium. — 10 *CCCC*] fortasse ex 77, 3 repetitum. — 13 *inmittit*] 18, 5. 39, 5. 75, 4. Asinius apud Cic. epist. 10, 32, 3 Gallos equites immisit. — *satagentibus*] laborantibus, vocabulum priscis scriptoribus usitatum; Pacuv. 72. — 14 *occurrerent*] dici poterat, si minutatim cedentes in tempus terga dabant. Cf. ad 18, 1. — [*in hostes*] aegre conciliari possunt cum 'adversarios'. — 16 *conpluribus*] = pluribus.

piunt. Caesar in horam x. commoratus, sicut erat instructus, 9
se ad sua recepit castra omnibus incolumibus. In quo proelio 10
Pacidius graviter pilo per cassidem caput ictus conpluresque
duces ac fortissimi quique interfecti vulneratique sunt.

79. Postquam nulla condicione cogere adversarios po- 1
terat, ut in aequum locum descenderent legionumque periculum facerent, neque ipse propius hostem castra ponere propter aquae penuriam se posse animadvertebat, *et* adversarios non virtute eorum confidere, sed aquarum inopia fretos despicere se intellexit, pridie Non. Apr. tertia vigilia egressus ab Aggar, xvi milia nocte progressus, ad Thapsum, ubi Vergilius cum grandi praesidio praeerat, castra ponit oppidumque eo die circummunire coepit locaque idonea oppor-

1 *Post* erat *in P rasura quattuor litterarum, quarum extrema compendium &* ‖ 2 *recepit castra *L;* castra recepit *R* ‖ 3 Pacidiu *A* ‖ 4 *fortissimi quique *A, rec.;* fortissimique quique *L;* fortissimus quisque *R* ‖ 5 adversarios cogere potuit *L* ‖ 6 legionemque *A* ‖ 8 *et] *addidit Iurinius* ‖ 9 suorum *Madvigius, Advers. crit. II 289* ‖ *fortasse scribendum* aquae ‖ 10 pridie *FDδ;* prid̄ *A;* II · *R* ‖ 12 Virgilius *LDδ* ‖ 13 oportunaque *AL*

---

3 *caput ictus*] 85, 8 brachium gladio percussus; Ennius ann. fr. inc. 35 M. perculsi pectora Poeni: post Asinium a Livio 21, 7, 10 adscitum. Alia est ratio participiorum significatione medii praeditorum, veluti apud Cat. orig. 1, 18 togae parte caput velati (καλυψάμενοι). — 4 *fortissimi quique*] ferendum esse putavimus et propter optimorum codicum consensum, et quia pluralem pronomini 'conplures' assimilatum esse credibile est, ut apud Ciceronem Lael. 34 plerisque ... in optimis quibusque. Monendum tamen Plautum, Cornificium, Ciceronem plurali non uti nisi in superlativis anomalis optimus, primus, proximus; superlativis in -issimus finitis primus fortasse hunc usum accommodavit Trogus Pompeius (Iustinus?) 5, 6, 2 fortissimis quibusque; Seneca dial. 1, 2, 3 cum fortissimis quibusque. B. Afr. 22, 5 optimo cuique; 44, 3 optimum quemque; 44, 4 optimo quoque. Asinius apud Cic. epist. 10, 31, 3 optimus quisque.

79. 5 *nulla condicione*] Asinius apud Cic. epist. 10, 31, 4 nulla condicione litterae perferri potuerunt; Caesar in simili sententia 6, 12, 7 nullo modo coniungi poterant, et sic Cicero in orationibus plus septuaginta locis, excepto uno p. Balbo 23: ut nulla condicione praemiis adfici possit. — *poterat*] 78, 8 postquam ... non poterant; imperfectum actionem iteratam exprimit, postquam saepius temptando etc. Cf. ad 5, 1. 78, 3. — 6 *legionum*] ut legionibus (suis) belli fortunam experirentur. — 8 *aquae penuriam*] variandae orationis causa positum, pro eo quod infra scriptum est 'inopia'. Sall. Iug. 17, 5 aquarum penuria. — 9 *virtute eorum*] = virtute sua. Draeger, hist. synt. I² § 29, b. Cf. ad 33, 1. — *aquarum inopia*] 76, 2. b. Alex. 9, 4; de plurali cf. 47, 6 et Sallustium Iug. 17, 5. — 11 *ab Aggar*] barbarum oppidi nomen Asinius indeclinabilium numero habuit eiusque rationem multi secuti sunt scriptores ecclesiastici, velut Hieronymus. Sall. Iug. 38, 5 relicto Suthule. Minus horridum esset: ab oppido Aggar; Ciceronianum: ab oppido, cui nomen est Aggar. — 13 *circummunire*] 80, 2. — *opportunaque*] glossematis suspicionem auget particula que intra unum fere versum ter posita.

tunaque conplura praesidiis occupare, hostes ne intrare [ad
2 se] ac loca interiora capere possent. Scipio interim cognitis
Caesaris consiliis ad necessitatem adductus dimicandi, ne
per summum dedecus fidissimos suis rebus Thapsitanos et
Vergilium amitteret, confestim Caesarem per superiora loca
consecutus milia passuum VIII a Thapso binis castris consedit.
1 **80.** Erat stagnum salinarum, inter quod et mare angustiae
quaedam non amplius MD passus intererant; qua Scipio in-
2 trare et Thapsitanis auxilium ferre conabatur. Quod futu-
rum Caesarem non fefellerat. Namque pridie in eo loco
castello munito ibique III cohortium praesidio relicto ipse
cum reliquis copiis lunatis castris Thapsum operibus circum-
3 munivit. Scipio interim exclusus ab incepto itinere supra
stagnum postero die et nocte confecta caelo albente non

1 *[ad se] *inclusimus* ‖ 6 passuum] pass̄. *L;* pas̄ *A* ‖ 8 **MD*] ∞ et D *UF;* ·CC·D *L;* eo et B *A;* cō et D *PV* ‖ pass̄ *L;* pas̄ *A* ‖ *qua] quas *O* ‖ 11 muniti *PV* ‖ ubique *A* ‖ *III cohortium] cohortibus III *L;* III *APUF;* tercio *V;* inde *D, sed expunctum;* magno δ: III legionum *Nipperdeius;* tertia parte *Em. Hoffmannus;* ibique praesidio relicto *Kraner* ‖ 13 super *L* ‖ 14 *confecta] confecto *O*

---

1 *hostes, ne*] De subiecto ante particulas ut, ne, collocato cf. ad 88, 6. — *intrare*] absolute positum, ut apud Nep. Dat. 7, 2 hic ne intrare posset; Liv. 27, 45, 12 nocte clam intrare melius visum; aut coniungendum cum 'loca', ut apud Caes. III 44, 4 ne quem locum nostri intrare possent. — 6 *consecutus*] Sall. Iug. 55, 8 per colles sequi.

80. 7 *stagnum salinarum*] Salzsee; hodie Sebhka de Moknine vel de Sidi ben Nour. Tissot II 754 sq. Dio Cassius 43, 7, 2 *ἡ δὲ Θάψος κεῖται μὲν ἐν χερρονήσῳ τρόπον τινά, ἔνθεν μὲν τῆς θαλάσσης ἔνθεν δὲ λίμνης παρηκούσης· στενὸν δὲ δὴ τὸν ἰσθμὸν καὶ ἑλώδη διὰ μέσου οὕτως ἔχει, ὥστε διχῇ μέν, δι᾽ ἐλαχίστου δέ, ἐφ᾽ ἑκάτερα τοῦ ἕλους παρ᾽ αὐτὴν τὴν ῥαχίαν, ἀμφοτέρωθεν παριέναι.* Plut. Caes. 53 *Σκηπίων ἐτείχιζεν ὑπὲρ λίμνης ἔρυμα τῷ στρατοπέδῳ*; et ibidem *Καῖσαρ ὑλώδεις* (emendandum *ἑλώδεις* collato Dione) *τόπους καὶ προσβολὰς ἀφράστους ἔχοντας ἀμηχάνῳ τάχει διελθών.* — *inter quod et mare*] verborum compositio duriuscula; melius enim scriptor pronomine demonstrativo et enuntiato primario usus esset. — 8 *qua*] cum altero quoque infinitivo (auxilium ferre) coniungi potest; nisi potius *quas* retinendum, quamquam horridiorem efficit orationem. Livius 6, 2, 9 ne qua intrare ad munimenta hostis posset. — *intrare*] Dio Cassius 43, 7, 3 *ὁ δὲ δὴ Σκηπίων καὶ ὁ Ἰόβας ἐπεχείρησαν τὸ στόμα τοῦ ἰσθμοῦ, καθ᾽ ὃ πρὸς τὴν ἤπειρον τελευτᾷ, σταυρώμασι καὶ ταφρεύμασι διχῇ διαλαβόντες ἀνταποτειχίσαι.* — 11 *castello*] cui § 3 castrorum nomen inditur. — *cohortium*] quod restituit Nipperdeius trium legionum praesidium, nimium esse videtur. — *relicto .. reliquis*] § 5; b. Gall. 8, 2, 2; Alex. 39, 2. Landgraf, Unters. 68. — 12 *lunatis castris*] Vegetius epist. milit. 1, 23 castra semirotunda naturae locorum adaptata; cf. francogallicum 'la lunette'. Sed hic significatur munitiones ad claudendum oppidum in formam lunae novae factas esse. — 14 *confecta*] correximus, quia genus participii proximo substantivo adaptatur. Cf. Rud. Menge, Ueber das Relativum in der Sprache Caesars. 1889. pg. 29. — *caelo albente*] cf. ad 11, 1.

longe a castris praesidioque, quod supra commemoravi, MD
passibus ad mare versus consedit et castra munire coepit.
Quod postquam Caesari nuntiatum est, milite ab opere de- 4
ducto, castris praesidio Asprenate proconsule cum legionibus
duabus relicto ipse cum expedita copia in eum locum citatim
contendit, classisque parte ad Thapsum relicta reliquas naves 5
iubet post hostium tergum quam maxime ad litus appelli
signumque suum observare, quo signo dato subito clamore
facto ex inproviso hostibus aversis incuterent terrorem, ut
perturbati ac perterriti respicere post tergum cogerentur.

81. Quo postquam Caesar pervenit et animadvertit aciem 1
pro vallo Scipionis [contra] elephantis dextro sinistroque
cornu conlocatis, et nihilo minus partem militum castra non
ignaviter munire, ipse acie triplici conlocata, legione X.
XIII.que dextro cornu, XIIII. et VIIII. sinistro oppositis,
V. legionis in quarta acie ad ipsa cornua quinis cohortibus

1 *MD*] *D*; ·eo· b' (*id est* ꝏ D) *A*; ∞Θ *UF*; ꝏ̄ *L*; cō *PV* || 2 passibus *LUF*; pas̄ *A* || 3 milites *ALP* || ab opere de castris *V* || deductos *ALP* || 4 praesidio *om. L* || Aspernate *L* || 5 in locum *Dinter, typothetae socordia, ut videtur* || 6 naves reliquas *L* || 9 aversis] adversis *O* || terrorem incuterent *L* || 10 *tergum *L*; terga *R* || 12 [contra] *L sec. m. inter versus; inclusit Dinter*; contra . . . conloc. *incl. Nipperdeius* || *elephantis . . . collocatis *L*; elephantos . . . collocatos (conlocatos *A*) *APUFV*; elephantosque collocatos *rec.*; elephantos . . . collocatam *D* || 13 cornu *L inter versus sec. m.* | nihilo *D corr.*, *δ*; nihil *vel* nichil *R* || castra] contra se *Dδ*; contra *R* || 14 tripliciter *D corr.*, *δ* || 15 XIII.que *Nipperdeius*; secundaque *O* || XIIII. *Nipperdeius*; VIII· *O* || 16 V. legionis] quinque legionis *ALPUFV*; V legionibus *Dδ*; quinta legione *Nipperdeius* || cornua a quinis *LPV*

4 *Asprenate*] Intellegendus L. Nonius Asprenas, a Catullo carmine 53 Struma dictus, Hispaniensi quoque bello Caesari legatus. b. Hisp. 10, 2. — *proconsule*] propraetore imperio proconsulari. cf. ad 86, 3. — 5 *citatim*] hoc unicum per totam latinitatem exemplum huius adverbii esse videtur; nam citatius et citatissime, quamquam citate non in usu est, rectius tamen a citatus repetuntur. Cf. ad 41, 2 turmatim. — 8 *quo signo*] cf. ad 23, 1. — 10 *post tergum*] sic et Asinius et Caesar (supra 40, 3. b. civ. III 44, 4) et constanter a tergo, non a tergis.

81. 12 [*contra*] neque adverbii loco usurpatum est ab Asinio (cf. 61, 7), et si esset haec nostro loco particulae vis (= ex adverso), verbis supra scriptis (animadvertit aciem) subiungenda erat. — *elephantis . . . collocatis*] cum 'aciem' Asinius opposuerit 'parti militum', elephanti non pari loco commemorandi erant, sed, quod expressum est ablativo absoluto, tamquam res minoris momenti. — 13 *castra munire*] inconcinne dictum pro: munientes. — *non ignaviter*] Ennius apud Priscianum 15, 13. Lucilius 16, 2 M. Hirtius apud Cic. Att. 15, 6, 2. Ammian. 17, 10, 2. Cf. 73, 2 minime insidiosos; et ad 58, 4 (non sino); 22, 1 (non desistere); 26, 6 (non intermittere). — 15 *cornu*] in media acie tirones collocasse censendus est, ut perspicitur ex § 2; veteranas legiones in cornibus et contra elephantos. — 16 *quarta acie*] Caesar III 89, 4

contra bestias conlocatis, sagittariis, funditoribus in utrisque cornibus dispositis levique armatura inter equites interiecta, ipse pedibus circum milites concursans virtutesque veteranorum proeliaque superiora commemorans blandeque
2 appellans animos eorum excitabat. Tirones autem, qui numquam in acie dimicassent, hortabatur, ut veteranorum virtutem aemularentur eorumque famam, locum, nomen victoria parta cuperent possidere.

1 **82.** Itaque in circumeundo exercitum animadvertit, hostes circa vallum trepidare atque ultro citroque pavidos concursare et modo se intra portas recipere, modo inconstanter
2 immoderateque prodire. Cum idem a pluribus animadverti coeptum esset, subito legati evocatique obsecrare Caesarem, ne dubitaret signum dare: victoriam sibi propriam a dis

4 proeliaque . . . veteranorum *om. A* ‖ blandeque singulos appellans *Novák* ‖ 5 incitabat *VD* ‖ 6 hortatur veteranorum *V* ‖ virtute *A* ‖ 7 nomenque *L* (famam nomen locorumque *Dδ*) ‖ victoria parta *F*; victoriam partam *R* ‖ 8 cupiant *V* ‖ 9 in *om. A* ‖ *exercitum *LVD*; exercitu *R* ‖ 10 circa *D corr.*, *δ*; contra *R* ‖ 12 animadvertit coeptum esse *A* ‖ 14 dis *APUF*; diis *R*

'ex tertia acie singulas cohortes detraxit atque ex his quartam instituit', quae praeter morem instructa tantum contulit ad victoriam, ut pugna Pharsalica apud plerosque scriptores dicatur 'acies Pharsalica'. — 1 *bestias*] Appian. b. civ. 2, 96 *ἡ δὲ στρατιὰ τοῦ Καίσαρος ἐς τοσοῦτον ἀνεθάρρησεν, ὡς τὸ πέμπτον τέλος αἰτῆσαν ἀντιταχθῆναι τοῖς ἐλέφασι κρατῆσαι πάνυ καρτερῶς. καὶ νῦν ἀπ' ἐκείνου τῷδε τῷ τέλει ἐλέφαντες ἐς τὰ σημεῖα ἐπίκεινται.* — *in utrisque cornibus*] Livius 30, 8, 7 utraque cornua et Numidae pulsi: pluralis eo fortasse potest excusari, quia et dextrum et sinistrum cornu binis legionibus firmatum erat. Aliter Caesar apud Cic. Att. 9, 14, 1 ab utroque portus cornu molis iacimus. Praeterea rectius scripsisset Asinius 'utrisque cornibus', omissa praepositione, qua de re cf. ad 84, 1. — 3 *ipse*] pronomen iterum positum, quia longo ablativorum absolutorum ambitu interiecto ex animis legentium, de quonam dicatur, paene elapsum est. — 4 *blande appellans*] 21, 1. Suet. div. Iul. 67 nec milites eos, sed blandiore nomine commilitones appellabat. Caes. III 71, 4. Arch. lex. lat. V 67.

82. 9 *in circumeundo exercitum*] constructio priscae latinitatis et praecedente praepositione *ad* vel posterioris aetatis scriptoribus hic illic probata. Varro r. rust. 3, 9, 12 'in supponendo ova observant, ut sint numero imparia'. Liv. 30, 13, 9 in codice, qui olim fuit Puteani, scriptum est: in alloquendo victorem, in Spirensis propagine: victore. — 10 *circa vallum*] intra et extra vallum. — *ultro citroque*] S. Preuss, De bimembris dissoluti usu sollemni pg. 17 sq. — 12 *an. coeptum esset*] cum iam plures idem animadvertissent. — 13 *obsecrare*] Unus infinitivus historicus non subsequente altero poni solet, cum quid aut saepius et continuo aut cum vi quadam facimus, veluti apud Ter. Andr. 120 ego illud sedulo negare; Cic. Att. 14, 19, 1 ille exilium meditari; Hor. sat. 1, 8, 47 currere: itaque hoc loco multis legatos precibus onerasse Caesarem significatur. Cf. 8, 5 mirari; 12, 2 antecedere (sine ulla intermissione); 15, 2 hostis magis magisque instare. — 14 *propriam*] cf. ad 32, 1.

immortalibus portendi. Dubitante Caesare atque eorum 3
studio cupiditatique resistente, sibi eruptione pugnari non
placere clamitante et etiam atque etiam aciem sustentante,
subito dextro cornu iniussu [Caesaris] tubicen a militibus
coactus canere coepit. Quo facto ab universis cohortibus 4
signa in hostem coepere inferri, cum centuriones pectore
adverso resisterent vique continerent milites, ne iniussu imperatoris concurrerent, nec quicquam proficerent.

83. Quod postquam Caesar intellexit, incitatis militum 1
animis resisti nullo modo posse, signo Felicitatis dato equo
admisso contra hostem inter principes ire contendit. A dextro 2

1 dubitanti Caesare *P;* dubitanti Caesari *L;* dubitans Caesar *V* || 2 cupiditateque *A* || resistens *V* || *sibi *L*; ibique *A;* sibique *R* || irruptione *Scheelius, Oudendorpius, Madvigius Advers. crit. II 289:* eruptione facta *Novák* || 3 clamitante *rec. ut videtur;* clamitat et *ALPV;* clamitat *FD pr. m.;* clamitat ante *U* || sustentantem *ALP* || 4 *[Caesaris] *inclusimus*; eius *Novák* || tubicin a *A;* tubicina *LPUV;* a *om. Dδ* || 5 coactis *A* || 6 in hoste *L* || 7 ne iniussu . . . proficerent *om. A* || 8 nequicquam *Uδ* || 9 quod postquam *om. A* || 10 resisti *post* posse *L inter versus sec. m.* || 11 āmisso *A* || *contra hostem inter principes] in hostem contra principes *O*

---

2 *eruptione*] Nihil opus erat Scheelii coniectura 'irruptione'; eruptionem enim Asinius dixit, quia legiones non omnes simul procedebant, sed eversa disciplina militari periculum erat, ne singulae cohortes temere prorumperent. 'Eruptione pugnare' Caesar scripsit 7, 76, 5. 7, 86, 2. II 14, 5. — 3 *sustentante*] verbo iterativo exprimitur Caesarem omni vi adnisum esse, ut milites retineret. Sall. Iug. 101, 9 Iugurtha dum sustentare suos cupit; 56, 6. Multum differt sustinere agmen, velut apud Livium 25, 36, 1. — 4 *iniussu*] Florus 4, 2, 66 'quod alias numquam, ante imperium ducis sua sponte signa cecinerunt', contumacia militum in prodigium versa. 'Caesaris' praecedente ablativo absoluto 'dubitante Caesare' ut defendi potest loco similiter conformato 79, 2, ita genetivo non opus esse perspicitur ex 61, 3. — 6 *coepere inferri*] = coepta sunt. cf. ad 27, 1. — *cum resisterent . . . proficerent*] prius enuntiatum concessivam habet sententiam, quia cohortes invitis centurionibus progrediebantur; alterum causam potius indicat, quoniam irrita ducum opera ipsa causa fuit, cur proelium committeretur.

83. 10 *signo Felicitatis*] Verg. Aen. 7, 637 classica iamque sonant, it bello tessera signum, ad quae Servius: symbolum bellicum, quod ad pugnam exeuntibus datur, scilicet propter confusionem, ut fuit in bello Marii †Bardeus (Lar deus? Pan deus? Liber deus?), in Sullae Apollo Delphicus, in Caesaris Venus Genetrix. Cf. Appian. b. civ. 2, 102. 2, 104 de Caesare: *σύνθημα καὶ τότε δοὺς Ἀφροδίτην, ἔδωκε δὲ καὶ ὁ Πομπήιος Εὐσέβειαν.* Dio Cassius 47, 43, 1 *σύνθημα τοῖς μὲν ἀμφὶ τὸν Βροῦτον Ἐλευθερία.* Sic iam Xenoph. anab. 1, 8, 16 de pugna prope Cunaxa *Ζεὺς σωτὴρ καὶ νίκη.* Saepius autem signum dicitur de tessera in obeundis vigiliis data, veluti Optima mater, Priapus, Venus. Tac. ann. 13, 2. Suet. Calig. 56. Claud. 42. — *equo admisso*] ut 63, 1; antea enim Caesar pedibus circumcursans (81, 1) milites retinere conatus erat. — 11 *contra hostem*] Caesar 7, 67, 2 equitatum contra hostem ire iubet;

interim cornu funditores sagittariique concita tela in elephantos frequentes iniciunt. Quo facto bestiae stridore fundarum lapidum perterritae sese convertere et suos post se frequentes stipatosque proterere et in portas valli semifactas ruere [con-

1 concitati *Madvigius Adv. II 289* || elephantes *A* || 2 frequenter *LPV* || coiciunt *Novák* || *fundarum lapidum *PUFVD;* fundarum lapidarum plumbique itata *A;* fundarum lapidumque *L;* saxorum plumbique *δ* || 3 posse *A* || 4 proterrere *A* || semi uallifactas *A* || ruere] ire *L* || *[contendunt] *inclusimus*

---

dem Feinde entgegen; 'in hostem' de eo potius dicitur, qui ipse manus cum hoste conserturus est, non de imperatore, cui ducis potius quam militis officia praestanda erant. — *inter principes*] non opponuntur principes hastatis, sed verba idem significant, quod 'inter primos'; Curtius 5, 3, 9 rex inter primos constiterat. — 1 *concita tela*] tela maiore nixu emissa; Accius 545 reciproca tendens nervo equino concita tela. Quamquam abundantia quaedam inest in verbis 'concita tela inicere'. Hisp. 23, 2 multis telis iniectis complures vulneribus adfecere. 'Concitati' § 4 est subito in terrorem coniecti, quod de funditoribus dici non potuit. Cf. ad 46, 1 percitus. — 2 *bestiae*] Dio Cassius 43, 8, 2 *τοὺς ἐλέφαντας πόρρωθεν σφενδόναις καὶ τοξεύμασιν ἐκταράξας ἐφέσπετό τε αὐτοῖς ἀναχωρήσασι.* Florus 4, 2, 67 elephanti bellorum rudes et nuper a silva consternati subito clangore lituorum in suos sese circumegere. — *fundarum lapidum*] Ut hoc loco orationis asperitati mederi conati sunt codicum librarii sive grammatici addita particula *que*, ita nostris adhuc temporibus multi sunt, qui, quam late patuerit in sermone prisco asyndeton bimembre ignorent. Scilicet cum Madvigius in Livii libris edendis iusto saepius inseruisset particulas vel invitis codicibus, S. Preuss in libello 'De bimembris dissoluti usu sollemni' (1881) hunc errorem tollere aggressus est, sed ut fere fit, adulescentuli opera parum valuit contra viri primarii auctoritatem. In hoc autem commentario haec leguntur exempla codicum fide firmata: 11, 3 militum equitum, 18, 5 cohortes turmas, 20, 3 ferrum plumbum, (23, 1 servorum liberorum), 26, 6 turres castella, 40, 5 pretio pollicitationibus, 72, 4 odorem stridorem(?), 78, 2 dextra sinistra, nec abest suspicio aliis quoque Asinium locis asyndeto usum esse, veluti 22, 2 patria civitate, 26, 5 oppida castella. — Continentur autem bina nomina vel omissa copula saepius allitteratione, veluti apud Catonem r. rust. 135, 12 claves clostra; 2, 3 centones cuculiones; 16 lapidem ligna; interdum, in adiectivis praesertim, homoeoteleuto, de quo cf. ad 78, 2; saepissime ipsa substantivorum notione, quippe quae, licet inter se sint diversa, ad unum idemque sive animalium sive rerum genus pertineant. Huc spectant apud Catonem 47, 17 Iord. servi ancillae (Caes. I 24, 2 servos pastores); 50, 5 haruspicem fulguratorem; Sall. Cat. 25, 2 viro liberis; Livius 21, 28, 2 nautarum militum; 28, 13, 5 civium sociorum; 34, 2, 11 sine tutore auctore: Cat. r. rust. 2, 2 operarum dierum; 2, 7 vinum frumentum; 5, 8 foenum sicilimenta; 35, 1 siliginem triticum; 134, 1 thure vino; 135, 1 dolia labra; fragm. Iord. 40, 3 rumorem famam; ap. Cornif. 2, 34 metum cupiditatem; ap. Sall. Cat. 10, 2 otium divitiae; Iug. 20, 8 urbis agros; apud Livium passim arma tela; 32, 3, 5 labore opere; 4, 3, 12 ingenio virtute; ibid. 28, 8 hominem plaustrum; 37, 9 bona liberos; apud Livium armis viris. — 4 *semifactas*] 81, 1. Compositorum huius generis apud Plautum leguntur semidoctus et seminatus, apud

tendunt]. Item Mauri equites, qui in eodem cornu elephantis 3
erant praesidio, deserti principes fugiunt. Ita celeriter bestiis 4
circuitis legiones vallo hostium sunt potitae, et paucis acriter
repugnantibus interfectisque reliqui concitati in castra, unde
pridie erant egressi, confugiunt.

84. Non videtur esse praetermittendum de virtute mi- 1
litis veterani v. legionis. Nam cum sinistro cornu elephans
vulnere ictus et dolore concitatus in lixam inermem impe-
tum fecisset eumque sub pedem subditum dein genu innixus
pondere suo proboscide erecta vibrantique stridore maximo
premeret atque enecaret, miles hic non potuit pati, quin se
armatus bestiae offerret. Quem postquam elephans ad se 2
telo infesto venire animadvertit, relicto cadavere militem

1 idem *ALPD* ‖ cum elephantis *Kraner* ‖ 3 *circuitis *O;* circumitis *editt.* ‖ 5 progressi *L* ‖ 6 praetereundum *L* ‖ 7 leg *A* ‖ *sinistro *LPUFV;* in sinistro *R* ‖ elephas *D* ‖ 8 vulnere] pilo *Novák* ‖ 9 *pedem] pede *δ* (subditum sub pedem *L*) ‖ dein *incl. Novák* ‖ genu] ge *A* ‖ 10 pondere suo *incl. Novák* ‖ promuscide *D pr. m.*, *δ* ‖ cum stridore m. *Novák, ut § 4* ‖ 12 armatum *δ* ‖ 13 militem *incl. Novák*

Varronem semiatratus et semiustulatus, apud Catullum semilautus, semimortuus, semirasus, apud Vergilium semiputatus et semiustus, apud Ovidium semiadapertus, semicrematus, semireductus, semirefectus, semisepultus, semisopitus. Ut autem poetae plurimum contulerunt ad excolendum hoc genus, ita oratores et rerum scriptores parcissime eo usi sunt; nam Caesar plane ab iis abhorruit, Cicero semidoctus, semiustus, semiustulatus non tam finxit quam ab aliis accepit; Sallustius in uno semirutus acquievit (nam de semipletus, quod est in fragmentis Aurelian. hist. lib. II 8, 2 licet dubitare), Asinius in uno semifactus, quod Tacitus adscivit ann. 15, 7 semifacta opera. — *ruere*] de fugientibus, ut Liv. 24, 16, 2 ruunt fugientes in castra. — [*contendunt*] parum aptum est verbo ruendi; interpolatio autem profecta est a grammatico, qui infinitivos historicos explicandos esse putaret. Cf. 32, 3 et supra § 1 ire contendit. — 2 *principes*] initium fugae faciunt. Livius 21, 5, 8 princeps in proelium ibat. — 4 *unde ... egressi*] 6, 1.

84. 6 *praetermittendum de*] Gellius 13, 14, 7 de Aventino monte praetermittendum non putavi: frequentius quidem in hac re praetereundi verbum, ut 59, 1. Sall. Iug. 4, 2; Catil. 53, 6. Nep. Lys. 4, 1. Paus. 4, 3, sed addito accusativo vel forma passiva. Utramque constructionem adsciscunt silere, celare, edocere. — 7 *sinistro cornu*] ut 82, 3; 59, 3; 81, 1 (an einer Stelle des ... Flügels); a quo diversum est 'in s. c. pugnare, collocatum esse'; dicitur enim de iis, qui per totum cornu extenduntur, veluti 42, 1. 60, 1. — 8 *ictus*] proprie dicitur de lapidibus, Caes. III 22, 2. — 10 *proboscide*] vocabulum graecum a Varrone quoque in satiris Menippeis (490 Büch.) adhibitum; latine 'manus'. Plin. nat. h. 8, 18 proboscidem facillime amputari Pyrri proeliorum experimentis patuit. Florus 1, 13 (18), 9 proboscide abscisa. — 11 *non potuit pati quin*] Ter. Heaut. 762 non possum pati, quin tibi caput demulceam; Plautus: non possum quin exclamem. Apud optimos scriptores: non possum facere quin.

proboscide circumdat atque in sublime extollit [armatum].
3 Qui in eiusmodi periculo cum constanter agendum sibi videret,
gladio proboscidem [quo erat circumdatus] caedere, quantum
4 viribus poterat, non destitit. Quo dolore adductus elephans
milite abiecto maximo cum stridore cursuque conversus ad
reliquas bestias se recepit.

1 **85.** Interim, Thapso qui erant praesidio, ex oppido
eruptionem porta maritumā faciunt [et] sive ut suis succurrerent, sive ut oppido deserto fuga salutem sibi parerent,
[egrediuntur] atque ita per mare umbilici fine ingressi ter-
2 ram petebant. Qui a servitiis puerisque, qui in castris erant,
lapidibus pilisque prohibiti terram attingere rursus se in
3 oppidum receperunt. Interim Scipionis copiis prostratis pas-
simque toto campo fugientibus, confestim Caesaris legiones
4 consequi spatiumque se non dare colligendi. Qui postquam

1 promuscide *D pr. m.*, *δ* ‖ *extollit [armatum] *L;* extollit. Armatus *R* ‖ 2 qui in] quin *A pr. m.* ‖ *cum *Aδ; om. R* (sibi cum videret *V*) ‖ 3 *[quo erat circumdatus] *inclusimus;* qua erat circumdatus *Morus, editt.* ‖ 4 desistit *D* ‖ 6 se convertit *P pr. m.* ‖ 8 *[et] *om. L* ‖ *succurrerent *L;* subsidio occurrerent *R* ‖ 9 parent *AP;* pararent *UFV* ‖ 10 *[egrediuntur] *inclusimus* ‖ 11 patebant *A* ‖ qui a] a qua *V* ‖ 12 *se in oppidum *O praeter P, qui habet* in oppidum se ‖ 13 recipiunt *L* ‖ copias prostratas . . fugientes *V* ‖ 15 non *P inter versus* ‖ se colligendi non dare *V;* non dare se colligendi *Novák*

---

1 *in sublime extollit*] Cic. Tusc. 1, 40 animos, cum e corpore excesserint, sublime ferri; id. nat. d. 2, 101 aer extenuatus sublime fertur; Verg. Georg. 3, 108 elati sublime; Liv. 21, 30, 7 legatos non pinnis sublime elatos Alpis transgressos. Sed apud eundem Ciceronem nat. d. 2, 44 et 141 omnium codicum consensu traditum est: in sublime ferri, quod plerique editores deleta praepositione corrigendum esse putarunt. — 3 *quo erat circumdatus*] quo cinctus erat, glossator ad gladium relatum voluit, nec minus de glossemate dubitandum, si olim scriptum fuit 'qua', cum idem iam § 2 dictum sit. — 4 *viribus*] addi poterat, quoniam 54, 4. 5 'quantum pote' dictum est pro 'quam celerrime'. — 5 *maximo cum stridore*] mirum sane idem dictum esse § 2.
85. 7 *praesidio*] C. Vergilius cum suis. 28, 1. — 8 *succurrerent*] necessario restituendum erat; subsidio enim occurrimus fugientibus, adversarii autem non Thapsum versus fugiebant, ut oppidani eis occurrere possent. — 9 *salutem sibi parerent*] 50, 4. — 10 *umbilici fine*] Cato r. rust. 113, 2 amphoras inplere ansarum fini; Sall. hist. 3, 77 D. fine inguinum ingrediuntur mare. Lucr. 4, 627 f. palati. Cf. Arch. lex. lat. 1 424 sq. — 11 *servitiis*] b. Alex. 73, 3. Asin. Cic. epist. 10, 33, 4 servitia concitaturum. — 12 *terram attingere*] omitti poterat. 'Le canal qui sépare du continent les deux îles plates des 'Sorelle' offre très peu de profondeur dans la partie voisine des deux rivages. On comprend très bien que les soldats de Vergilius, ne pouvant franchir les lignes d'investissement, aient cherché à tourner l'obstacle en se jetant dans le canal.' Tissot II 759. — 15 *sp. se dare colligendi*] 25, 1. = sui colligendi. Asin. Cic. epist. 10, 33, 5 spatium confirmandi sese Antonio dari. Cf. Reisig-Landgraf, synt. lat. p. 790, adnot. 595[b].

ad ea castra, quae petebant, perfugerunt, ut refecti castris
rursus se defenderent ducemque aliquem requirerent [quem
respicerent], cuius imperio auctoritateque rem gererent *et*
animadverterunt, neminem ibi esse praesidio, protinus [armis
abiectis] in regia castra fugere contendunt. Quo postquam 5
pervenerunt, ea quoque ab Iulianis teneri vident. Desperata
salute in quodam colle consistunt atque armis [dimissis]
salutationem more militari faciunt. Quibus miseris ea res 6
parvo fuit praesidio. Namque milites veterani ira et dolore
incensi non modo, ut parcerent hosti, non poterant adduci,
sed etiam ex suo exercitu inlustres uiros [quos urbanos
auctores appellant] conplures aut vulnerarunt aut interfece-
runt; in quo numero fuit Tullius Rufus quaestorius, qui pilo 7
traiectus consulto a milite interiit; item Pompeius Rufus

1 patebant *A* ‖ *refecti *Daehnius;* refectis *O* ‖ 2 *se *LDδ;* sese *R* ‖ *[quem respicerent] *inclusimus* ‖ 3 *imperio auctoritateque *L;* auctoritate imperioque *R* ‖ **et* animadverterunt] qui postquam animadverterunt *O; aliter Vielhaber* ‖ 4 praesidio *inclusit Nipperdeius* ‖ *[armis abiectis] *inclusimus* ‖ 5 contenderunt *L* ‖ 7 *[dimissis] *inclusimus; om. AL;* missis *L in marg. pr. m.;* admissis *δ;* dimissis *R* ‖ 8 miseriis *O praeter δ* ‖ 9 *fuit praesidio *O;* praesidio fuit *editt.* ‖ 11 sed aut ex *L* ‖ sua *A* ‖ *uiros [quos urbanos auctores appellant] *nos:* uiros, quos urbanos appellant *L;* urbanos quos auctores (actores *δ*) appellabant *R* ‖ 12 uulneraverunt *L* ‖ 13 fuit *om. V* ‖ Tulius *D;* illius *A;* Tillius *V* ‖ rursus *A* ‖ 14 consulte *A* ‖ item] interim *LP* ‖ Rusus *A*

Plaut. Men. 687 te defraudandi causa; Ter. Hec. 91 cupida vos videndi. Cf. E. Krause, De gerundii et gerundivi apud antiquos scriptores Romanos usu. 1875. pg. 29 sq. — 1 *ea castra*] Afranii, ut intellegitur ex Plut. Caes. 53: *τρεψάμενος δὲ τούτους ἐχρῆτο τῷ καιρῷ καὶ τῇ ῥύμῃ τῆς τύχης, ὑφ᾽ ἧς αὐτοβοεὶ μὲν ᾕρει τὸ Ἀφρανίου στρατόπεδον.* — *refecti*] se ex laboribus reficientes cibo, potu, somno. — 2 *se defenderent*] 32, 4. 42, 1: eadem librorum discrepantia apud Caes. 4, 37, 1. b. Afr. 3, 2. — 3 *imperio auctoritateque*] 31, 6 nomen auctoritasque. Cic. Phil. 10, 9 Bruti imperio auctoritate copiis instructus. Qui invertit verborum ordinem, maluit particulam que ablativo in syllabam longam finito subiungere. Cf. ad 51, 3. — 4 [*armis abiectis*] satis artificiosa interpretatione de galeis, loricis, similibus dictum esse putant, parum probabiliter, quoniam iidem milites § 5 armis (id est gladiis) salutationem fecisse dicuntur. Glossema inde explicatur, quod infra in codicibus 'armis dimissis' vel 'missis' scriptum est. — 5 *regia castra*] Plut. Caes. 53 *αὐτοβοεὶ δὲ φεύγοντος Ἰόβα διεπόρθει τὸ τῶν Νομάδων (στρατόπεδον).* — 7 *armis*] Luc. Phars. 4, 173 tantum nutu motoque salutant Ense suos (Schol. facientes nutum cum ense = Isid. orig. 1, 25, 1). Statius Theb. 12, 400 teque ille acie respexit ab ipsa Ense salutatam et nutantis vertice coni. — 10 *parcerent hosti*] Suet. div. Iul. 75 acie Pharsalica proclamavit, ut civibus parceretur. Flor. 4, 2, 49. — 11 *inlustres viros*] b. Alex. 40, 5 ceciderunt eo proelio splendidi atque inlustres viri nonnulli, equites Romani. — 12 *vulnerarunt*] cf. ad 59, 2. — 14 *a milite interiit*] Aurelius Victor Caes. 33, 19 ab suis interiit. Ovid. met. 5, 192 a tanto cecidisse viro. — *Pompeius Rufus*] aut qui

brachium gladio percussus, nisi celeriter ad Caesarem ac-
8 currisset, interfectus esset. Quo facto conplures equites Romani senatoresque perterriti ex proelio se receperunt, ne a militibus, qui ex tanta victoria licentiam sibi assumpsissent immoderate peccandi impunitatis spe propter maximas res
9 gestas, ipsi quoque interficerentur. Itaque illi omnes [Scipionis milites], cum fidem Caesaris inplorarent, inspectante ipso [Caesare] et a militibus deprecante, uti eis parcerent, ad unum sunt interfecti.

1 **86.** Caesar trinis castris potitus occisisque hostium decem milibus fugatisque conpluribus se recepit L militibus amissis, paucis sauciis in castra ac statim ex itinere ante oppidum Thapsum constitit elephantosque LX[IV] ornatos armatosque [cum turribus ornamentisque capit] captos ante

1 *accurrisset *L;* occurrisset *D;* accucurrisset *R* ‖ 3 ne militibus *O* ‖ 4 licentia *PF* ‖ 5 *spe *codex Petavianus et Norvicianus; post* gestas *addidit Oudendorpius; om. R* ‖ 6 ipsi *Oudendorpius;* ab ipsis *O* ‖ ita *D* ‖ *illi] ii *editt.*, II *F;* ·I· *P;* hi *D;* primi *V; om. ALδ. cf. ad 87, 4.* ‖ *[Scipionis milites] *inclusimus* ‖ 7 implorassent *V* ‖ 8 *[Caesare] *inclusimus* ‖ *uti eis *O;* eis uti *editt.* ‖ 11 *decem *A;* decem *vel* X *R;* L *Nipperdeius, editt.* ‖ 12 *ac statim] ęstatim *AP;* estatim *L;* et statim *Nipperdeius; cf. § 3* ‖ ex itinere *fortasse delendum* ‖ LX *Nipperdeius;* LXXX *cod. Havniensis;* LXIIII *R* ‖ 14 cum . . . capit *incl. Kraner; om. D*

fuit praetor a. u. c. 691, aut qui tribunus plebi a. u. c. 702. — 1 *brachium p.*] Verg. Aen. 11, 543 pectora duro transfossi ligno. — *accurrisset*] 31, 10 occurrisset; 59, 5 concurrissent; 77, 3 occurrerunt; 87, 2 praecurrisset. — 4 *licentiam . . . peccandi*] cf. Caes. II 31, 7 (Polio) licentiam . . . peccare. — 5 *impunitatis spe*] ablativus utpote monosyllabus non in exitu sententiae collocandus fuit; cf. Caes. I 14, 4 productos Lentulus spe libertatis confirmat. — 6 *itaque*] ut ad rem redeam: § 6 quibus . . . fuit. — 8 *ipso*] cf. ad 26, 1.

86. 10 *trinis*] Scipionis, Afranii, Iubae. Plut. Caes. 53 *ἡμέρας δὲ μιᾶς μέρει μικρῷ τριῶν στρατοπέδων ἐγκρατὴς γενόμενος.* Id. Cat. min. 58. Appian. b. civ. 2, 97. Cf. ad 48, 2. 79, 2. — 11 *decem milibus*] Sprevimus Nipperdeii coniecturam duabus potissimum ex causis: primum enim 'conplures' praecedente aut numerali aut nomine indefinitam multitudinem indicante comparativi loco ab Asinio ponitur (78, 8 multis occisis, conpluribus vulneratis), deinde adeo modicus fuit in numeris caesorum proferendis Asinius, ut in acie Pharsalica sex milia Pompeianorum haud amplius caesa esse memoriae proderet. Appian. b. civ. 2, 82 *Ἀσίνιος Πολλίων ὑπὸ Καίσαρι τῆς μάχης ἐκείνης στρατηγῶν, ἑξακισχιλίους ἀναγράφει νεκροὺς εὑρεθῆναι τῶν Πομπηίου.* Quamquam non negandum alios de exercitu fere ad internecionem deleto tradidisse, inter quos est Plutarchus Cat. min. 58 *ὅτι Σκηπίων καὶ Ἰόβας σὺν ὀλίγοις ἐκπεφεύγασιν, ἡ δὲ ἄλλη δύναμις ἀπόλωλεν*; id. vit. Caes. 53 *πεντακισμυρίους τῶν πολεμίων ἀνῃρηκὼς οὐδὲ πεντήκοντα τῶν ἰδίων ἀποβαλών.* — 12 *sauciis*] 61, 3 uno equite amisso, multis equis sauciis; 70, 5 sauciis X factis. — *ante oppidum*] abesse quidem poterat, quia de loco iam dictum est, insertum tamen id efficit, ne duo eiusdem generis

oppidum instructos constituit, id hoc consilio, si posset Ver-
gilius, quique cum eo obsidebantur, rei male gestae suorum
indicio a pertinacia deduci. Deinde ipse Vergilium appellavit 2
invitavitque ad deditionem suamque lenitatem et clementiam
commemoravit. Quem postquam animadvertit responsum
sibi non dare, ab oppido discessit. Postero die divina re 3
facta contione advocata in conspectu oppidanorum milites
conlaudat totumque exercitum veteranum donavit, praemia
fortissimo cuique ac bene merenti pro suggestu tribuit, ac
statim inde [digressus] Rebilo proconsule cum III ad Thapsum
legionibus et Cn. Domitio cum duabus Thysdrae, ubi Consi-
dius praeerat, ad obsidendum relictis, M. Messala Uticam
ante praemisso cum equitatu, ipse eodem iter facere contendit.
87. Equites interim Scipionis, qui ex proelio fugerant, 1
cum Uticam versus iter facerent, perveniunt ad oppidum
Paradae. Ubi cum ab incolis non reciperentur, ideo quod 2
fama de victoria Caesaris praecurrisset, vi oppido potiti in

3 ipsum *L* ‖ 4 incitavitque *L* ‖ suam *L* ‖ 8 veteranorum *ADδ* ‖ praemiis *Vδ*; praemia ac *cod. Ursin.* ‖ 10 *[digressus] *incl. Novák* ‖ 11 legionibus ad Thapsum *Dd*; ad Thapsum cohortibus *A*; cohortibus ad Thapsum *L* ‖ 15 pervenerunt *V* ‖ 16 *Paradae *O*; Paradam *Nipperdeius, editt.* ‖ 17 *praecurrisset *LDδ*; praecucurrisset *R*

---

participia concurrant. — 6 *divina re*] id est sacris. Plaut. Amph. 3, 3, 11 ego rem divinam intus faciam. Ter. Eun. 513. Cato r. rust. 5, 4. Liv. 23, 11, 5; opponuntur verba divina (preces, carmina), Cat. r. rust. 14, 3 de ea re verba divina uti fiant. — 8 *exercitum veteranum*] 71, 1. b. Alex. 4, 1. 74, 3. — 10 *Rebilo*] C. Caninio Rebilo. Legatus is fuerat Caesaris in Gallia (comm. lib. 7 et 8), anno 49 pacis cum Pompeio faciendae interpres (I 26, 3), postea Curionis in Africa legatus (ibid. II 24, 2), quem magnum in re militari usum habere constabat (ibid. II 34, 4). — *proconsule*] id est propraetore imperio proconsulari: cf. ad 2, 3 et 80, 4. — 11 *Cn. Domitio*] Calvino, viro praetorio et consulari, qui in pugna Pharsalica mediae aciei praefuerat (Caes. III 89, 3). 'A Pharnace apud Nicopolim devictus (b. Alex. 34 sqq.) ita Caesaris benevolentiam retinuit, ut rebus Asiae ordinandis praeponeretur. Anno 40 ante Chr. secundum consulatum gessit una cum Asinio Polione, et cum in Hispania prospere pugnasset, triumphum egit. Dio Cass. 48, 42. — *Thysdrae relictis*] Thysdram misso et ibi ad obsidendum oppidum relicto. cf. 93, 3. — 12 *M. Messala*] cf. ad 28, 2. — *Uticam*] Qui cladi superfuerant, plerique ad M. Catonem profugiebant. Dio Cass. 43, 10, 1. — 13 *ante praemisso*] antequam ipse Uticam proficisceretur. — *ipse*] cum quattuor vel quinque legionibus, si quidem praesidiis Ruspinae, Lepti non iam opus fuit.

87. 15 *oppidum Paradae*] cf. ad 36, 2. Strabo p. 831 extr. *Φαρὰν (Φαραδὰν?) δ' οἱ Σκιπίωνος ἱππεῖς ἐνέπρησαν.* 'Cette ville n'a pas encore été retrouvée; on se demande si l'orthographe donnée par les manuscrits n'est pas fautive.' Stoffel II 282. Tissot II 767. — 17 *praecurrisset*] cf. ad 85, 7.

medio foro lignis coacervatis omnibusque rebus eo congestis
ignem subiciunt atque [eius oppidi] incolas cuiusque generis
aetatisque vivos constrictosque in flammam coiciunt atque
ita acerbissimo afficiunt supplicio; deinde protinus Uticam
3 perveniunt Superiore tempore M. Cato, quod in Uticensibus
propter beneficium legis Iuliae parum suis partibus praesidii
esse existimaverat, plebem inermem oppido eiecerat et ante
portam bellicam castris fossaque parvula duntaxat munierat
ibique custodiis circumdatis habitare coegerat; senatum autem
4 oppidi custodia tenebat. Eorum castra illi equites adorti
expugnare coeperunt, ideo quod eos Caesaris partibus favisse
sciebant, ut [eis interfectis] eorum pernicie dolorem suum
5 ulciscerentur. Uticenses animo addito ex Caesaris victoria
6 lapidibusque fustibusque equites reppulerunt. Itaque postea-
quam castra non potuerunt potiri, [Uticam] se in oppidum
coniecerunt atque ibi multos [Uticenses] interfecerunt domos-
7 que eorum expugnaverunt ac diripuerunt. Quibus cum Cato
persuadere nulla ratione quiret, ut secum oppidum defende-
rent et caede rapinisque desisterent, et, quid sibi vellent,

1 *eo] eorum *O* ‖ 2 *[eius oppidi] *inclusimus* ‖ 3 *coiciunt *L;* coitiunt *A;* coniciunt *vulg.* ‖ 4 supplicio afficiunt *L* ‖ 5 pervenerunt *V* ‖ in *Lipsius; om. O, sed versu inseq.* parum in suis ‖ 7 existimarat *D* ‖ 8 bellicam] uerrucam *Madrigius, Advers. II 289* ‖ fossisque *LP* ‖ muniverat *APUFV* ‖ 10 illi] · l · (*id est* uel?) *AL;* L *R, ut videtur;* hi *Nipperdeius;* ii *Manutius* ‖ adhorti *PUFV* ‖ 11 *fortasse scrib.* oppugnare ‖ partibus Caesaris *A* ‖ 12 *[eis interfectis] *inclusimus* ‖ ex eorum *A* ‖ 14 *lapidibusque *A;* lapidibus *R* ‖ reppulerunt *PU;* repulerunt *R* ‖ 15 *potuerunt] potuert *A;* potuerant *R editt.* ‖ *[Uticam] *inclusimus, nisi potius* in oppidum *delendum est* ‖ 16 *[Uticenses] *inclusimus* ‖ 18 quiret] posset *L;* potuisset *V* ‖ 19 rapinaque *D*

---

1 *eo congestis*] 91, 1 quo carissimas res conportaverat; 91, 2 omnibus rebus eo coacervatis. — 6 *legis Iuliae*] de provinciis. Cic. Phil. 1, 19 quae lex melior, utilior, optima etiam re publica saepius flagitata, quam, ne praetoriae provinciae plus quam annum, neve plus quam biennium consulares obtinerentur? id. in Pis. 37 lege Caesaris iustissima atque optima populi liberi plane et vere erant liberi. — 8 *portam bellicam*] Caesar I 25, 1 castra Vari muro oppidoque coniuncta ad portam, quae appellatur bellica. — *duntaxat*] 90, 1; vocabulum praeter II 41, 2 (Polio?) in commentariis rerum a Caesare gestarum non usurpatum. — *munierat*] circumsepserat, scil. plebem. — 10 *custodia tenebat*] intra oppidum continebat, oppido egredi vetabat. — *illi*] de quibus § 1 dictum erat. — 11 *coeperunt*] = conati sunt. — 14 *lapidibusque*] cf. ad 20, 3 sagittasque telaque. — *posteaquam . . . potuerunt*] Asinius apud Cic. epist. 10, 31, 1 posteaquam itum est ad arma; ibid. posteaquam navigari coeptum est. — 18 *quiret*] verbum Sallustio et scriptoribus priscis adamatum magis convenit Asinii orationi quam ‘posset’.

sciret, sedandae eorum importunitatis gratia singulis C di-
visit. Idem Sulla Faustus fecit ac de sua pecunia largitus 8
est, unaque cum his ab Utica proficiscitur atque in regnum
ire contendit.

88. Conplures interim ex fuga Uticam perveniunt. Quos 1
omnes Cato convocatos una cum trecentis, qui pecuniam
Scipioni ad bellum faciendum contulerant, hortatur, ut ser-
vitia manumitterent oppidumque defenderent. Quorum cum 2
partem assentire, partem animum mentemque perterritam
atque in fugam destinatam habere intellexisset, amplius de
ea re agere destitit navesque iis attribuit, ut, in quas quis-
que partes vellet, proficiscerentur. Ipse omnibus rebus dili- 3
gentissime constitutis, liberis suis Lucio Caesari, qui tum ei
pro quaestore fuerat, commendatis, et [sine suspicione] vultu
atque sermone, quo superiore tempore usus fuerat, cum dor-
mitum isset, ferrum [intro] clam in cubiculum intulit atque

1 importunitatis eorum *L* ‖ 2 Silla *AL* ‖ 3 *his *AVD;* eis *L;* iis *R* ‖ regnum Iubae *L;* regnum *R* ‖ 4 *contendit *δ*; intendit *R, editt.* ‖ 6 convocato *L* ‖ trecentis *A et codd. plerique, ut videtur;* CCC *L, editt.* ‖ 7 Scipionis *A* ‖ hortatus *ALPV* ‖ servitia *L inter versus sec. manu* ‖ 10 in fuga *F* ‖ 11 navemque *LPUFV* ‖ his *AVD;* hiis *L;* is *P* ‖ in quasque *A;* in quascunque *Dδ* ‖ 12 uellent *ADδ* ‖ *profiscerentur *ADδ*; proficisceretur *R* ‖ 14 *[sine suspicione] *inclusimus* ‖ 16 iret *coniecit Novák* ‖ *[intro] *inclusimus* ‖ *intulit *L;* tulit *R*

---

1 *C*] scilicet sestertios; b. Alex. 48, 2 imperator appellatus sestertiis centenis milites donavit; ib. 52, 1. — 2 *Sulla Faustus*] 95, 1. Caesar I 5, 6. Dictatoris filius, quaestor anno 54 ante Chr. Pompeium socerum in Thessaliam secutus erat. De eius morte cf. Cic. epist. 9, 18, 2. Dio Cass. 43, 12, 2. — *ac de sua*] ac de sua quidem pecunia, quod non fecisse Catonem ex hoc loco concluditur. — 3 *regnum*] scil. Iubae; omisso genetivo, ut 91, 1. 92, 2. 93, 1 quia regnum, provinciae oppositum, de Numidia intellegitur. — 4 *ire contendit*] ut constanter apud Asinium; cf. ind. verb.

88. 6 *cum trecentis*] Plut. Cat. min. 59 *τοὺς τριακοσίους, οἷς ἐχρῆτο βουλῇ, Ῥωμαίους μὲν ὄντας, ἐν δὲ Λιβύῃ πραγματευομένους ἀπὸ ἐμπορίας καὶ δανεισμῶν.* Appian. b. civ. 2, 95. — 7 *bellum faciendum*] bellum gerendum; francogall. faire la guerre. — *hortatur*] Plut. Cat. min. 59 *βιβλίον ἀνεγίνωσκεν. ἦν δὲ ἀναγραφὴ τῶν πρὸς πόλεμον ὀργάνων, ὅπλων, σίτου, τόξων, ὁπλιτῶν . . . παρεκάλει μὴ διαλυθῆναι ταῖς ἐλπίσιν ἕκαστον αὐτῶν φυγὴν ἰδίαν ἢ ἀπόδρασίν τινα ποριζόμενον.* — 9 *assentire*] Varro apud Gellium 2, 25, 9: sentior nemo dicit, adsentior tamen fere omnes dicunt. Sisenna unus adsentio in senatu dicebat, et eum postea multi secuti, neque tamen vincere consuetudinem potuerunt. De re cf. Plut. Cat. min. 60. — *animum mentemque perterritam*] 47, 6 imbre grandineque consecuta. — 13 *constitutis*] cf. Plut. Cat. min. 66. — 14 *fuerat*] de plusquamperfecto cf. ad 43. — 16 *in cubiculum intulit*] Cato apud Prisc. 6, 16 aquam .. in sacrarium inferre. Dio Cassius 43, 11 *ξιφίδιόν τέ τι κρύφα ὑπὸ τὸ προσκεφάλειον ὑπέθηκε.* Quod in codicibus et

4 ita se traiecit. Qui cum anima nondum expirata concidisset, et impetu facto in cubiculum [ex suspicione] medicus familiaresque continere atque vulnus obligare coepissent, ipse suis manibus [vulnus] crudelissime divellit atque animo prae-
5 senti se interemit. Quem Uticenses, quamquam oderant partium gratia, tamen propter eius singularem integritatem, et quod dissimillimus reliquorum ducum fuerat quodque Uticam mirificis operibus munierat turrisque auxerat, sepul-
6 tura afficiunt. Quo interfecto L. Caesar ut aliquid sibi ex ea re auxili pararet convocato populo contione habita cohor-

1 cum *Aldus;* dum *O* ‖ animam nondum expiratam *FDδ* 2 et *om. O* ‖ *[ex suspicione] *inclusimus* ‖ 3 sanguinem *ante* continere *addidit Novák* ‖ obligare vulnus *L* ‖ 4 *[vulnus] *inclusimus* ‖ crudelissime devellit *APUFVDδ*; divellit crudelissime *L* ‖ 5 interimit *V* ‖ 8 *turrisque *A;* turresque *R;* turribusque *Novák* ‖ 9 *ut *A; om. R* ‖ ex ea re *PUFVDδ*; ex ea *L;* haec ea re *A* ‖ 10 *auxili pararet *codex Scaligeranus;* auxilium pararet *D;* auxilii raret *UF;* auxiliaret *ALP;* auxiliaretur *Vδ*; auxilii ratus *Oudendorpius*, *editt.* ‖ contione facta *L* ‖ cohortatus *ALPUFV*

editionibus legitur 'intro', pravo loco positum est, quia nec bene coniunguntur duae particulae et adverbium loci verbo praeponendum erat. Cic. Verr. 5, 118 ut tibi cibum vestitumque intro ferre liceat; Ter. Heaut. 903 huc est intro latus lectus. Aliter rem narravit Plut. Cat. min. 68. — 1 *se traiecit*] cf. Plut. Cat. min. 70. — 3 *continere*] manibus, ne sanguis efflueret. Celsus 5, 26 sutura, si nimis rara est, non continet (scil. vulnus); id. 8, 4 sanguis cohibendus. — 4 *divellit*] perfectum. Prisc. 10, 6, 35 vello velli, sed et vulsi dicitur; haec tamen forma maxime in provinciis floruit, Hispania, Africa, unde apud Lucanum, Senecam philosophum, Florum, Tertullianum legitur. Cf. Maur. Hauptii opusc. I 52 = quaest. Catull 70. Rem explicat Seneca epist. 24, 8 quo (vulnere) obligato a medicis, cum minus sanguinis haberet minus virium, animi idem ... sibi iratus nudas in volnus manus egit et generosum illum spiritum non emisit, sed eiecit. Florus 4, 2, 72 rescidit plagas secutaque vi sanguinis moribundas manus in ipso volnere reliquit. Plut. Cat. min. 70. Appian. b. civ. 2, 99. — 6 *integritatem*] Plut. Cat. min. 71 *ὁ δῆμος ... μιᾷ φωνῇ τὸν (αὐτὸν?) εὐεργέτην καὶ σωτῆρα καὶ μόνον ἐλεύθερον καὶ μόνον ἀήττητον καλούντων.* — 7 *dissimillimus*] Plut. Cat. min. 58 *ἐπεὶ τὴν ἀρχὴν ὁ Σκηπίων παραλαβὼν εὐθὺς ἐβούλετο Ἰόβᾳ χαριζόμενος Ἰτυκαίους ἡβηδὸν ἀποκτεῖναι καὶ κατασκάψαι τὴν πόλιν ὡς τὰ Καίσαρος φρονοῦσαν, οὐχ ὑπέμεινεν ὁ Κάτων.* — 8 *mirificis operibus munierat*] Plut. Cat. min. 58 *κατεσκεύαζε τὰ τείχη πύργους ἐπαιρόμενος καὶ τάφρους ὀχυρὰς καὶ χαρακώματα πρὸ τῆς πόλεως βαλλόμενος.* Ad eundem Asinium rettulit Landgrafius, quae in fine belli civilis (III 112, 1) leguntur: Pharus est in insula turris magna altitudine, mirificis operibus extructa. b. Alex. 1, 2. Cf. ad 40, 5. — *turris*] hanc unam accusativi formam restituimus, quia in hoc ipso nomine terminatio *is* praevalet. — *sepultura*] Plut. Cat. min. 71. Appian. civ. 2, 99. — 10 *ea re*] consilio Uticensibus dato. — *aux. pararet*] Sall. Cat. 52, 29 non votis auxilia deorum parantur. — *contione habita cohortatur*] Caes. II 21, 1 contione habita gratias agit; 5, 52, 5 contione habita rem proponit.

tatur, omnes ut portae aperirentur: se in C. Caesaris cle-
mentia magnam spem habere. Itaque portis patefactis Utica 7
egressus Caesari imperatori obviam proficiscitur. Messala,
ut erat imperatum, Uticam pervenit omnibusque portis cu-
stodias ponit.

89. Caesar interim a Thapso progressus Ussetam per- 1
venit, ubi Scipio magnum numerum frumenti, armorum, telo-
rum, ceterarum rerum cum parvo praesidio habuerat. Id 2
adveniens potitur, deinde Adrumetum pervenit. Quo cum
sine mora introisset, armis, frumento pecuniaque considerata
Q. Ligario, C. Considio filio, qui tum ibi fuerant, vitam con-
cessit. Deinde eodem die Adrumeto egressus Livineio Regulo 3
cum legione ibi relicto Uticam ire contendit. Cui in itinere 4
fit obvius L. Caesar et subito se ad genua proicit vitamque
sibi neque amplius quicquam deprecatur. Cui Caesar facile 5
et pro natura sua et pro instituto concessit, item Caecinae,

1 in] III · *L* ‖ 2 portis factis *A* ‖ Uticę gressus Caesaris imperatorio viam *A* ‖ 5 adponit *coniecit Novák* ‖ 6 ab Thapso *L;* de Thapso *D* ‖ Ussetam *APUFV;* Usetam *L;* ut Zetam *δ*; Uzitam *cod. Petavianus;* Lusseram *D* ‖ 7 *numerum frumenti *Novák;* frumenti numerum *O* ‖ 8 *ceterarum *L;* ceterarumque *R* ‖ 11 Legario *A* ‖ vitam *om. A* ‖ 12 die *om. L* ‖ 14 subitoque *A* ‖ ienua *P* ‖ *proicit *APUFV;* proiecit *R* ‖ 15 cui eam *Novák* ‖ 16 sua natura *A* ‖ et instituto *A* ‖ *fort. scrib.* A. Caecinae

1 *omnes ut portae*] de distinctione verborum cf. § 7 et 63, 1 cohortatur, omnes ut se naves consequerentur; 37, 1.

89. 6 *Ussetam*] quae supra (41, 2 etc.) dicta est Uzita, ut iam Mannertus recte suspicatus erat, et fortasse eadem cum oppido Ucitano a Plinio nat. h. 5, 29 commemorato. — 7 *numerum frumenti*] genetivo postposito, ut 8, 3. 9, 2. 21, 1. 34, 3. 65, 2. 97, 4. — 8 *ceterarum*] Cic. leg. agr. 2, 38 in mancipiis, suppellectili, ceteris rebus; id. Verrin. 1, 108 (leges) Cornelia testamentaria, nummaria, ceterae complures; p. Font. 46; p. Scaur. 49; id. Tusc. 4, 66 honores, divitiae, voluptates, cetera; addita copula Sall. Iug. 43, 3 arma tela equos et cetera instrumenta. — 9 *adveniens*] primo statim adventu, ex itinere; nisi mavis participium praesentis pro aoristo positum interpretari, cuius licentiae apud Livium satis multa inveniuntur exempla. Cf. 42, 56, 3 M. Lucretius Chalcidem adveniens, cum Haliartum oppugnari audisset, nuntium, qui abscedere eum inde iuberet, misit. Cf. C. E. Güthling, De Livii oratione II (de participiis). Lign. 1872. 4 sq. — 11 *Q. Ligario*] anno 50 ante Chr. 'legatus in Africam cum C. Considio profectus erat; qua in legatione et civibus et sociis ita se probavit, ut decedens Considius provincia satis facere hominibus non posset, si quemquam alium provinciae praefecisset'. Cic. p. Lig. 2. 'Is est Q. Ligarius, qui cum Africae oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permisit nec aquam haurire'; quo nomine eum accusavit (Tubero) et Cicero defendit. Pompon. de orig. iur. 46. — 12 *Livineio Regulo*] praenomine L., Ciceronis familiarissimo. Cic. epist. 13, 60, 1. — 14 *proicit*] Plut. Cat. min. 66. — 16 *pro instituto*] nach seiner Politik. Appian. b. civ. 2, 100 τὴν θυγατέρα τοῦ Πομπηίου μετὰ δύο παίδων αὐτῆς ἐν Ἰτύκῃ καταλαβὼν ἐξέπεμπε σώους τῷ Πομπηίῳ. — *concessit*] aliter Dio Cass. 43, 12, 3. — *Caecinae*] Aulo,

C. Ateio, P. Atrio, L. Cellae patri et filio, M. Eppio, M. Aquino, Catonis filio Damasippique liberis [ex sua consuetudine] tribuit, circiter luminibus accensis Uticam pervenit atque extra oppidum ea nocte mansit.

1 **90.** Postero die mane in oppidum introiit, contione advocata Uticenses [incolas] cohortatus gratias pro eorum erga se studio egit, cives autem Romanos [negotiatores] [et eos] qui [inter CCC] pecunias contulerant Varo et Scipioni, multis verbis accusatos et de eorum sceleribus longiore habita oratione ad extremum, ut sine metu prodirent, edicit: se eis duntaxat vitam concessurum; bona quidem [eorum] se venditurum; [ita] tamen, qui eorum ipse sua bona redemisset, se bonorum venditionem inducturum et pecuniam multae

1 C. Ateio *Ciacconius;* C. Aeteio *A;* Ceteio *LPUVD;* Caeteis *F;* Cethego *Novák* ‖ patrio *ALP et plerique codices, ut videtur* ‖ M. Aquino] Aquino *L* ‖ 2 Damasippi qui *ALPV* ‖ *[ex sua consuetudine] *incl. Novák* ‖ 3 *circiter *L;* circiterque *R* ‖ 5 *contione *L;* contioneque *R* ‖ 6 *[incolas] *inclusimus* ‖ cohortatus *L* ‖ 7 * egit *ALPV;* agit *R* ‖ *[negotiatores] *om. L* ‖ *[et eos] *inclusimus* ‖ 8 *[inter CCC] *inclusimus* ‖ 10 si eis *PV* ‖ 11 *[eorum] *inclusimus* ‖ se *del. Novák* ‖ 12 *[ita] *inclusimus* ‖ ipse *Clarkius;* ipsa *O* ‖ redimisset *A* ‖ 13 venditionem bonorum *L*

A. f., Tuscae disciplinae peritissimo, qui ante pugnam Pharsalicam libellum criminosissimum in Caesarem scripsit (Suet. div. Iul. 75), post Querelarum librum ad Caesarem reconciliandum. Cf. Cic. epist. 6, 6, 7. In exilio egit anno 46, Cic. epist. 13, 66. — 1 *P. Atrio*] 68, 4. — *M. Eppio*] M. f. Teretina (tribu), Caelius apud Cic. epist. 8, 8, 6; homo vigilans atque industrius. Cic. ad Att. 8, 11, B. — *M. Aquino*] 57, 1. — 2 *Catonis filio*] eius, qui Uticae praesidebat. Plut. Cat. min. 73. Appian. b. civ. 2, 100. — *Damasippi*] Licinii Damasippi et amici Iubae (Caes. II 44, 3); cf. infra 96, 1. — *tribuit*] b. Hisp. 19, 4 si mihi vitam tribues.

90. 6 *gratias egit*] Appian. b. civ. 2, 100. — 7 *cives Romanos*] eos magnam partem fuisse negotiatores concedendum quidem, sed neque recte Uticensibus opponuntur negotiatores, cum multos oppidanos mercaturam fecisse verisimile (cf. ad 88, 1), neque diversi sunt ab iis, qui pecunias contulerant ad bellum gerendum; praeterea non pars ex trecentorum numero Scipionem pecunia iuverat, sed omnes, ideo quod universis uno nomine (§ 2) miliens sestertium impositum est; denique nisi negotiatores et ipsi pecunias contulissent, non poterat Caesar de eorum sceleribus conqueri. — 8 *Varo*] P. Attio Varo, de quo cf. ad 44, 2. — 10 *edicit*] praesens historicum praecedentibus perfectis (introiit, egit) eo explicatur, quod verba 'longiore habita oratione ad extremum' idem fere significant, quod 'praeter omnium exspectationem'. — 11 *duntaxat*] cf. ad 87, 3. — *vitam concessurum*] aliter Appian. b. civ. 2, 100 τῶν δὲ τριακοσίων ὅσους εὗρε διέφθειρεν. — 13 *se .. inducturum*] scil. *ei* se ind., nisi potius pronomen post 'redemisset' excidisse statuendum est. Est autem 'inducere' rückgängig machen, aufheben, metaphora a tabulis ceratis desumpta, aliquid linendo delere. — *bonorum venditionem*] Cic. Rosc. Am. 28 de bonorum venditione verbum esse facturum neminem.

nomine relaturum, ut incolumitatem retinere posset. Quibus 2
metu exsanguibus de vitaque ex suo promerito desperantibus,
subito oblata salute cupidi libentesque condicionem accepe-
runt petieruntque a Caesare, ut universis CCC uno nomine
pecuniam imperaret. Itaque miliens sestertio his inposito, 3
ut per triennium sex pensionibus populo Romano solverent,
nullo eorum recusante ac se eo demum die natos praedicantes
laeti gratias agunt Caesari.

91. Rex interim Iuba, ut ex proelio fugerat, una cum 1
Petreio interdiu in villis latitando tandem nocturnis itineri-
bus confectis in regnum pervenit atque oppidum Zamam,
ubi ipse domicilium, coniuges, liberos habebat, quo ex cuncto
regno omnem pecuniam carissimasque res conportaverat quod-
que inito bello operibus maximis munierat, accedit. Quem 2
antea oppidani rumore exoptato de Caesaris victoria audito

1 incolomitatem *L* ‖ 2 de vita quoque *L* ‖ merito *Lδ* ‖ 3 *cupidi libentesque *L*; libentes cupidique *R* ‖ 4 uno *om. L* ‖ 5 miliens *P*; milia *L*; bis mille *A*; bis milies *UFVDδ* ‖ sestertio] sestertium *O* (sestertiis *δ*) ‖ his] iis *UF*; is *P* ‖ 7 *eo demum die] eodem die dam *A*; eodem die demum *R* ‖ 11 confectis *del. Novák* ‖ *oppidum *L*; ad oppidum *R* ‖ 12 *liberos *A*; liberosque *R* ‖ 13 quodque *UFDδ*; quoque *APV*; quod *L* ‖ 14 munierat operibus maximis *LDδ* ‖ muniverat *APUFV*

---

2 *ex suo promerito*] verbum compositum latinitatis priscae, quod et de culpa et de beneficio dicitur. Plaut. Trin. 1173 miserumst male promerita, ut merita sunt, si ulcisci non licet. Pacuv. 377 scit quid promeruerit. Cic. Quir. 8. — 3 *cupidi libentesque*] ad 35, 4; utrumque vocabulum idem fere significare docent hi loci inter se collati: 7, 1 libenter (libentes?) se omnia facturos, quae vellet, pollicentur; 33, 1 se, quaecumque imperasset, libenti animo facturos pollicentur; b. civ. I 15, 2 quaecumque imperaverit, se cupidissime facturos pollicentur. Sollemni illi formulae 'laetus lubensque' ab aliis aliae substitutae sunt, a Plauto Cas. 5, 1, 15 lubens et volens (sic scrib. pro 'solens'), a Seneca epist. 37, 2 volens libensque etc. — 4 *uno nomine*] Cf. Nägelsbach, lat. Stilistik[8], § 9. Cic. Verr. 2, 34 47. — 7 *eo demum die*] particulam ex codicum corruptela bis scriptam fuisse perspicuum est; retinuimus autem priore loco, quia constanter fere pronominis *is* adhaeret. Cf. Handii Tursell. II 252 sq. Dies fausti eodem cum natalibus habebantur numero: Cic. Att. 3, 20 diem natalem reditus mei; ibid. 6, 6, 4 propter hanc παλιγγενεσίαν. Cic. Catil. 3, 2.

91. 9 *ut fugerat*] ut primum f.; Caes. III 63, 6 ut cohortes excubuerant. — 10 *in villis*] 'in silvis' ut scribamus, commendat Plut. Cat. min. 60 Ἰόβα ἐν ὄρει κεκρυμμένου: cf. Caes. 2, 19, 6 in silvis abditi latebant. — 11 *oppidum Zamam . . accedit*] De constructione cf. 3, 1 Adrumetum accessit; 63, 5; b. Alex. 56, 6 Hispalim accedit. Duo autem fuerunt huius nominis oppida, quod inscriptionibus comprobatum est (Mommsen, Herm. 20, 144 sqq. Tissot II 571. Ioh. Schmidt in Mus. Rhen. 44, 397 sqq.); alterum Zama maior (Westzama), alterum, quod ab illo unius fere diei itinere aberat, Zama Regia, hodie Sidi Amôr Djedîdi, Ostzama. — 15 *antea*] cum 'audito' coniungendum est, non

ob has causas oppido prohibuerunt, quod bello contra populum Romanum suscepto in oppido Zamae lignis congestis maximam in medio foro pyram construxerat, ut, si forte bello foret superatus, omnibus rebus eo coacervatis, dein civibus cunctis interfectis eodemque proiectis igne subiecto tum demum se ipse insuper interficeret atque una cum liberis, coniugibus, civibus cunctaque gaza regia cremaretur.
3 Postquam Iuba ante portas diu multumque primum minis pro imperio egisset cum Zamensibus, deinde, cum se parum proficere intellexisset, precibus orasset, uti se ad suos deos penates admitterent, ubi eos perstare in sententia animadvertit [nec minis nec precibus suis moveri, quo magis se reciperent], tertio petit ab eis, ut sibi coniuges liberosque
4 redderent, ut secum eos asportaret. Postquam sibi nihil omnino oppidanos responsi reddere animadvertit, nulla re ab his impetrata ab Zama discedit atque ad villam suam cum [M.] Petreio paucisque equitibus se confert.
1 **92.** Zamenses interim legatos de his rebus ad Caesarem

5 coniectis *L* ‖ 6 *se ipse *AUFVDδ*; ipse se *LP* ‖ 7 coniugibus liberis *D* ‖ 8 *primum *L;* primo *R* ‖ 9 *deinde *LDδ*; dein *R* 10 se *om. L* ‖ 11 āmitterent *A* ‖ persistere *L* ‖ 12 *[nec minis . . . reciperent] *inclusimus* ‖ 13 tertium *D pr. m.* ‖ 14 ausportaret *V* ‖ 15 responsi] respondi *δ*; responsum *R* ‖ responsum oppidanos *L* ‖ re *om. UF* ‖ 17 *[M.] *inclusimus; om. LV* ‖ equitibus *L inter versus pr. m.* ‖ se confert *D corr. δ*; confert se *A;* confert *PUFVD pr. m.;* iter confecit *L* ‖ 18 Zamenses *om. A* ‖ de his rebus legatos *L*

---

cum verbo finito. — 1 *ob has causas*] = ob hanc causam; aliter 73, 1. — 2 *oppido Zamae*] de genetivo cf. ad 36, 2 oppido Thysdrae. — 3 *pyram*] b. Hisp. 33, 3. 4; vocabulum a Vergilio, Ovidio, Vitruvio usurpatum. Parum recte Servius ad Aen. 11, 185 pyram esse lignorum congeriem, rogum dici, cum iam ardere coeperit, sed hoc utebantur, qui consulto, quantum fieri posset, a verbis graecis abstinerent, veluti Cicero. — 7 *cunctaque gaza*] ter scriptum est § 1 et 2 cunctus, sed bis variandae orationis gratia, § 1 cuncto regno omnem pecuniam, § 2 omnibus rebus . . . civibus cunctis. — *cremaretur*] tamquam alter Sardanapalus. — 8 *primum . . . deinde*] 19, 3. 24, 1. — 9 *pro imperio*] id est regio iure usus. — 10 *precibus orasset*] variatae genus quoddam figurae etymologicae = precibus precari; priscae autem latinitatis colorem imitatur, quod substantivum attributo caret: Cicero, Caesar, Livius omnibus, multis, infimis precibus orare. Cf. Landgraf, Act. sem. Erlang. II 28. — 11 *perstare*] Caesar 7, 26, 4 ubi eos in sententia perstare viderunt; Cic. p. Rosc. com. 56: persistere non satis defenditur loco Livii 38, 14, 13, quippe quo nunc 'perstare in pertinaci simulatione' restitutum sit. — 12 *moveri, quo magis*] Asinio vix imputari potest. — 14 *asportaret*] = aps-portaret; b. Alex. 78, 2: significat apud Plautum ac Terentium in regiones longinquas removere, quare his verbis consilium Africae relinquendae significatur. — 17 *cum Petreio*] ut § 1; nulla hic fuit causa addendi praenominis.

Uticam mittunt petuntque ab eo, uti, antequam rex manum
colligeret seseque oppugnaret, sibi auxilium mitteret: se
tamen paratos esse [sibi], quoad vita suppeteret, se oppi-
dumque ei reservare. Legatos conlaudatos Caesar domum 2
iubet antecedere ac suum adventum praenuntiare. Ipse postero
die Utica egressus cum equitatu in regnum ire contendit.
Interim in itinere ex regiis copiis duces conplures ad Caesa- 3
rem veniunt orantque, ut sibi ignoscat. Quibus supplicibus 4
venia data Zamam pervenit. Rumore interim perlato de
eius clementia lenitateque propemodum omnes regni equites
[Zamam] [per]veniunt ad Caesarem ab eoque sunt metu
periculoque liberati.

1 rex] iret *A* ‖ 3 *[sibi] *inclusimus* ‖ se oppidumque *L*; oppidum seque *AFVD corr.* *δ*; oppidumque se *PUD pr. m.* ‖ 4 servare *Novák* ‖ 5 pronuntiare *LP* ‖ 6 Uticam *LP* ‖ 7 regis *UF* ‖ 9 pervenit *Iurinius;* perveniunt *O* ‖ 10 *clementia lenitateque *L*; lenitate clementiaque *R* ‖ 11 *[Zamam] *inclusimus;* Zama *AF* ‖ *[per]veniunt *nos;* perveniunt *O*

---

92. 2 *se tamen*] auxilio non impetrato. — 3 *quoad vita suppeteret*] Cic. fin. 1, 11 si vita suppetet; Plin. epist. 5, 5, 8 dum suppetet vita; Caes. 7, 77, 2 dum vires suppeterent: quare inclusimus dativum sibi et pravo loco insertum et plus quam molestum utpote medium inter se et seque. — *se oppidumque*] In binis nominibus coniunctis personae, praesertim pronomina personalia, priore loco ponuntur; 93, 3 seque et sua omnia et oppidum. Sall. Iug. 26, 1 suadet uti seque et oppidum Iugurthae tradat; 62, 3 sese regnumque suum in illius fidem tradere; 49, 2 hortatur ut sese regnumque suum defenderent; apud eundem ter 'seque remque publicam'. Recte autem scripsit Curtius 5, 1, 17: Babylona procedenti Mazaeus, qui ex acie in eam urbem confugerat, occurrit urbem seque dedens, quia unius Mazaei persona non magnum deditioni accedebat momentum. — 6 *Utica egressus*] ut 88, 7. 89, 3. 97, 1: non ausi sumus hoc uno loco accusativi patrocinium suscipere, praesertim cum iis locis, ad quos vulgo provocant, ablativi sint restituti, veluti apud Caes. 1, 44, 7 finibus egredi; Liv. 3, 57, 10 urbe egredi etc. — *in regnum*] scilicet Iubae. — 9 *Zamam pervenit*] codicum scripturam 'perveniunt' ita sunt qui interpretentur, ut Caesarem cum iis, quibus ignoverat, Zamam pervenisse dicant: quo tamen artificio non opus erat, quia eius, qui codicem archetypum descripsit, oculos ad versus sequentes aberrasse patet. Recte autem pervenit ad unum Caesarem refertur, quippe qui eo, quo ire contenderat, ante Iubam venerit. — 10 *clementia lenitateque*] Notissima est, ut populi Romani, ita Caesaris 'clementia' bello civili totiens probata; Cic. Att. 9, 16 cum eius clementiam Corfiniensem illam per litteras collaudavissem; Hirtius 8, 3, 5 Bituriges, cum sibi viderent clementia Caesaris reditum patere; b. Afr. 88, 6 se in C. Caesaris clementia magnam spem habere. Quare hoc nomen propter maiorem gravitatem priore loco ponendum fuit. Verborum ordinem qui invertit, recte sensit particulam que melius syllabae longae adnecti, quamquam Asinius huic legi a plurimis probatae non obtemperavit. Cf. 85, 4 consilio auctoritateque; 55, 2 necessitateque; et ad 51, 3. — 11 *veniunt*] ut § 3; 6, 7; 7, 1.

1 **93.** Dum haec utrobique geruntur, Considius, qui Thys-
drae cum familia sua gladiatoria [manu] Gaetulisque prae-
erat, cognita caede suorum Domitiique et legionum adventu
perterritus desperata salute oppidum deserit seque clam cum
paucis barbaris pecunia onustus subducit atque in regnum
2 fugere contendit. Quem Gaetuli [sui comites] in itinere
praedae cupidi concidunt seque, in quascumque potuere par-
3 tes, conferunt. C. interim Vergilius, postquam terra mari-
que clausus se nihil proficere intellexit suosque interfectos
aut fugatos, M. Catonem Uticae sibi ipsum manus attulisse,
regem vagum a suisque desertum ab omnibus aspernari,
Saburram eiusque copias ab Sitio esse deletas, Uticae
Caesarem sine mora receptum, de tanto exercitu reliquias
esse nullas, ipse sibi suisque liberis a Caninio proconsule,
qui eum obsidebat, fide accepta seque et sua omnia et oppi-
dum proconsuli tradit.

2 familiaria sua *A* || *[manu] *inclusimus* || 5 onustus pecunia *L;* pecunia onustis *A* || 6 *[sui comites] *inclusimus* || 7 in *om. L P V* | potuerunt *L* || *partes *O;* partis *editt.* || 10 sibi ipsi Uticae *L* | manum intulisse *L* || 11 ab suisque *A* || 13 reliquas *A* || 14 *ipse *L;* quae *R* || 15 qui cum *L;* qui tum *A* || excepta *A P U F V D*

---

93. 1 *utrobique*] Uticae et Zamae. Plaut. mil. 465. Varro l. lat. (ter); Asinius apud Cic. epist. 10, 31, 2 cum non liceret mihi nullius partis esse, quia utrubique magnos inimicos habebam; Cic. semel in epistula ad Varronem data 9, 6, 2, fortasse eius stilum imitatus: vocabulum Caesari, Hirtio, Sallustio spretum. — 2 *cum familia sua gladiatoria*] 76, 1 Considius cum grandi praesidio cohorte sua gladiatorum. Proprium tamen vocabulum de gladiatoribus 'familia'; Caes. III 21, 4 gladiatoriae familiae reliquias; Sall. Cat. 30, 7 uti gladiatoriae familiae Capuam distribuerentur; omisso adiectivo Caes. I 14, 5 quos (gladiatores) circum familias Campaniae distribuit; quare 'gladiatoria' quoque fortasse interpolatum est. — 6 [*sui comites*] similia glossemata deprehendimus 12, 4 suae naves et sui milites; 35, 1 comites. — 7 *potuere*] de perfectis in -ere exeuntibus cf. ad 36, 2 venere, neque abhorret ea forma ab Asinii ingenio, quippe qua delectatum esse Catonem et Sallustium, abstinuisse fere constet Caesarem ac Ciceronem. — 10 *manus attulisse*] b. Hisp. 42, 4 magistratibus sacrosanctis manus attulistis; Cic. off. 1, 7, 23. Nepos Timol. 1, 4. Sen. dial. 10, 6, 2 disputatur an ipse sibi manus attulerit; id. de benef. 5, 15, 4. — 11 *aspernari*] passive nemo veterum dixit; neque enim Ciceronis est, quod Priscianus ex epistula ad Nepotem laudat 8, 17: qui habet, ultro appetitur, qui est pauper, aspernatur, sed ex rhetorum officinis profectum; Arnob. 5, 25 aspernatam potionem. Similiter Asinius apud Prisc. 8, pg. 386, 19 H. (cuius experta virtus traducta ad custodiam Illyriae est) participio expertus passivam vim subiecit: quod etsi iam Cato fecerat r. rust 157, 10, Asinius tamen illam locutionem ita rerum scriptoribus commendavit, ut ipsa 'virtus experta' legatur apud Livium 3, 44, 3. Vellei. 2, 4, 2. Tac. ann. 3, 74. 13, 37. Contra 'miles ab iis insectatus' 71, 4 ad verbum activum insectare referre licet. Cf. Köhler, Act. sem. Erlang. I 391 sq. — 14 *ipse*] opponitur Caesari, Iubae, aliis.

94. Rex interim ab omnibus civitatibus exclusus de- 1
sperata salute, cum iam cenatus esset cum Petreio, — ut per
virtutem interfecti esse viderentur, ferro inter se depugnant,
atque firmior inbecilliorem Iubam Petreius facile [ferro] con- 2
sumpsit. Deinde ipse sibi cum conaretur gladio traicere
pectus neque posset, precibus a servo [suo] impetravit, ut
se interficeret [idque obtinuit].

95. P. Sitius interim pulso exercitu Saburrae, praefecti 1
Iubae, ipsoque interfecto, cum iter cum paucis [per Maure-
taniam] ad Caesarem faceret, forte incidit in Faustum Afranium-
que, qui eam manum habebant, qui Uticam diripuerant, [iter-
que in Hispaniam intendebant] et erant numero circiter mille.

2 iam] laute *Vielhaber* ‖ coenatus *Gruter;* conatus *O* ‖ *per virtutem *Aδ*; cum virtute *R* ‖ 4 infirmior *A* ‖ *Iubam Petreius] Iuba Petreium *O* ‖ *[ferro] *inclusimus; om. UF* ‖ 5 Dein cum ipse sibi cum *L;* dein cum ipse sibi *V* ‖ 6 *neque *O praeter δ*, *in quo scriptum est* nec; *cf. 23, 3* neque postea ‖ *[suo] *inclusimus* ‖ 7 idque obtinuit] *inclusit Oudendorpius* ‖ 8 interim pulso *δ*; interpulso *ALPVF;* item interpulso *UD pr. m.* ‖ 9 *[per Mauretaniam] *inclusimus* ‖ 10 faceret ad Caesarem *L* ‖ 11 ea *P* ‖ *qui] qua *O;* quae *Morus* ‖ *diripuerant *O;* diripuerat *Morus*, *editt.* ‖ *[iter . . . intendebant] *inclusimus; om. LP* ‖ 12 mille] MD *Dδ recc.*

---

94. 2 *cum iam cenatus esset*] id est sub noctem. Appian. b. civ. 2, 100 *Ἰόβας δὲ καὶ Πετρήιος οὐδεμίαν σφίσιν οὔτε φυγὴν οὔτε σωτηρίαν ἐπινοοῦντες, ἐπὶ διαίτῃ ξίφεσι διεχρήσαντο ἀλλήλους.* — *per virtutem*] Caes. II 30, 2 per virtutem in pugna belli fortunam experiri; Sall. Catil. 20, 9 nonne emori per virtutem praestat quam vitam miseram per dedecus amittere? — 4 *inbecilliorem*] an fuit imbelliorem? Hor. epod. 1, 15 roges tuum labore quid iuvem meo imbellis ac firmus parum. — *Iubam Petreius*] Et Asinius Iubam hominem inertissimum dixerat (57, 6) et Petreium asperiorem quidem, sed minime imbecillum fuisse omnes consentiunt. Flor. 4, 2, 69 Iuba magnifice epulatus cum Petreio interficiendum se ei praebuit. Liv. per. 114 Petreius Iubam seque interfecit. — *consumpsit*] quomodo rerum scriptores in tradenda utriusque morte variaverint, in appendice historica exposita sunt. — 6 *a servo* [*suo*] Pronomen non solum abundat, sed ex mera dittographia (ſuo = ſeruo) ortum esse videtur. B. Hisp. 33, 4 servum iussit . . . se iugulare. Cf. Dio Cass. 47, 46, 5 *Κάσσιος Πινδάρῳ τινὶ ἐξελευθέρῳ ἀποκτεῖναι ἑαυτὸν προσέταξε*; 47, 49, 2 *Βροῦτος παρεκάλεσέ τινα τῶν συνόντων, ἵνα αὐτὸν ἀποκτείνῃ.* — 7 [*idque obtinuit*] cum 'impetrare' Asinio quoque (91, 4 nulla re impetrata) idem sit quod 'precibus aliquid assequi', obtinendi verbum explicandi causa adscriptum esse patet. Fortasse etiam verba 'ut se interficeret' non sunt Asinii.

95. 9 *per Mauretaniam*] cum Iuba esset rex Numidiae et Gaetulorum, non poterat Sitius, qui eius copias devicerat, iter per Mauretaniam facere. — 11 *eam manum, qui . . . diripuerant*] scil. m. eorum. 15, 2 paucitatem . . . qui . . . paulatim cedere; 53 legiones . . . conspicati; 61, 3 pars equitatus . . . progressi; 78, 7 alam, qui occurrerent. — *iterque in Hispaniam intendebant*] addita sunt a ludi magistro, qui verba supra scripta 'iter per Mauretaniam facere' temere ita intellexit, quasi illi ab Utica per Mauretaniam iter habuissent; accedebat,

2 Itaque celeriter nocturno tempore insidiis dispositis cum prima
luce adortus praeter paucos equites, qui ex primo agmine
fugerant, reliquos aut interfecit aut in deditionem accepit,
Afranium et Faustum cum coniuge et liberis vivos capit.
3 Paucis post diebus dissensione in exercitu orta Faustus et
Afranius interficiuntur; Pompeiae cum Fausti liberis Caesar
incolumitatem suaque omnia concessit.

1 **96.** Scipio interim cum Damasippo et Torquato et Plae-
torio Rustiano navibus longis diu multumque iactati, cum
Hispaniam peterent, ad Hipponem regium deferuntur, ubi
2 classis P. Siti id temporis erat. A qua pauciora [ab am-

1 cum *ALPV;* eos *R* ‖ 2 proximo *FU* ‖ 3 *interfecit *ALUFV;* interficit *R* ‖ *accepit] accipit *codd. Oudendorpii* ‖ 4 liberi *PV* ‖ 7 omnia *om. F* ‖ 10 peterent *om. A, sed idem in margine* q̄ (= quaere) Hippone *APUV;* Ippone *LF* ‖ 11 clausis *A* ‖ Siti] Sitii *L;* Sito *A; de reliquis non constat;* Sitti *editt.* ‖ *id temporis] id tempus *ALPVδ*; ad id tempus *UFD;* per id tempus *editt.* ‖ *[ab amplioribus] *inclusimus*

---

quod partium Pompeianarum duces fuga Hispaniam petivisse 96, 1 scriptum, idemque de Labieno, Varo, Sexto Pompeio filio memoriae proditum est; Sullam autem Asinius 87, 8 tradiderat in regnum Iubae profectum esse. — 1 *cum prima luce*] Antiqui dicebant 'cum primo luci' (Plaut. Cist. 2, 1, 49. Ter. Ad. 841. Cic. offic. 3, 112 in narratione de Manlio Torquato, haud dubie veterem quendam annalium scriptorem secutus); Ciceronis autem temporibus, cum et ablativus in -e exiret et nomen lucis femininum genus ascivisset, aut 'cum prima luce' (Cic. Att. 4, 3, 4), aut, quod Caesari viginti fere locis unum probatum est, 'prima luce' (b. Afr. 63, 5). Itaque qui praepositionem *cum* retinuerunt, priscam orationem imitati sunt, quibus etiam Vergilius accessit verbis hexametro accommodatis 'primo cum lumine' Aen. 7, 130. Ad idem dicendi genus pertinet, quod Plautus, Cato, Ennius scripserunt 'cum divis (diis) volentibus', cui ipse Sallustius Iug. 14, 19 substituit 'dis volentibus'. Cf. 62, 5 cum primo mane. — 3 *interfecit, accepit, capit*] Suo iure Asinius praesenti historico usus est, quia maxima laus erat ipsos duces vivos cepisse; itaque commentarii auctor animi quandam laetitiam ex re bene gesta perceptam ipsis verbis prodidit. — 6 *Afranius*] aliter Appian. b. civ. 2, 97 *καὶ ὁ Σκιπίων αὐτὸς ἅμα Ἀφρανίῳ πάντα μεθεὶς ἔφευγεν ἀνὰ τὸ πέλαγος ἐπὶ δώδεκα ἀφράκτων.* — *Pomp. cum Fausti liberis*] cf. Appian. b. civ. 2, 100.

96. 11 *id temporis*] illo ipso tempore; b. Hisp. 3, 7 id temporis conari ad muros accedere; ibid. 3, 1. 4. 12, 3. 13, 3. 20, 4 idem temporis; Cornific. 1, 12, 21 qui id temporis (sic scrib. cum cod. T, non per id temporis) quaestor urbanus erat; Cic. Rosc. Am. 97; de orat. 2, 367 quoniam est id temporis, surgendum censeo et requiescendum; Livius semel 1, 50, 8: locutio sermoni familiari propria ideoque Caesari spreta. Similiter supra 22, 2 istuc aetatis cum esset. Cf. Köhler, Act. Erlang. I 428. Thielmann, Cornif. 62 (408). 'Per id tempus' plusquamperfectum potius requireret, ut 76, 1 in quo (oppido) per id tempus fuerat. Cf. ad 57, 1. — [*ab amplioribus*] scribere certe debebat 'a pluribus', quia de multitudine, non de magnitudine navium agitur; sed et classem patet esse multarum navium, et addito comparativo vis verborum non

pluribus] circumventa navigia deprimuntur, ibique Scipio,
cum quis paulo ante nominavi, interiit.
97. Caesar interim Zamae auctione regia facta bonis- 1
que eorum venditis, qui [cives Romani] contra populum
Romanum arma tulerant, praemiis [Zamensibus], qui de rege
excludendo consilium ceperant, tributis vectigalibusque regiis
erogatis ex regnoque provincia facta atque ibi Salustio pro
consule cum imperio relicto ipse Zama egressus Uticam se
recepit. Ibi bonis venditis eorum, qui sub Iuba Petreioque 2
ordines duxerant, Thapsitanis HS xx, conventui eorum HS

2 *quis] quos *ALPUFDδ*; illis quas *V;* iis quos *editt. vett.;* quibus *editt. recc.* ‖ paulo *om. LP* ‖ 4 *[cives Romani] *inclusimus* ‖ contra *om. A* ‖ 5 tuler̃t (*i. e.* tulerunt) *A* ‖ *praemiis *L;* praemiisque *R* ‖ *[Zamensibus] *inclusimus* ‖ rege re excludendo *A* ‖ 6 tributisque *L* ‖ vectigalibus *D* ‖ 7 erogatis *L;* trogatis *A;* togatis *PUFVD pr. m.;* irrogatis *D corr. δ* ‖ ibique *A;* ibi Q. *UF* ‖ Salustio *LV;* Sallustio *R;* Crispo Sallustio *D* ‖ proconsule] pro ōs *L;* · P · R · cōs. *vel similiter R* ‖ 8 Zamę *A;* Zamae *LV* ‖ 10 duxerant Thapsitanis *δ;* duxerant itemque Thapsitanis *R* ‖ HS XX conventui . . . eorum *om. A* ‖ conventiti *L* ‖ HS] S̄H *L et sic saepius, item in omnibus codicibus 98, 2, quod fort. restituendum*

augetur, sed evertitur. — 1 *Scipio etc.*] Florus 4, 2, 68 nave fugiebat, sed adsecutis hostibus gladium per viscera exegit. Appian. b. civ. 2, 100 *Λεύκιος Σκιπίων ὁ αὐτοκράτωρ πολεμίαις ναυσὶν ἐντυχὼν . . . αὑτόν τε διεχρήσατο καὶ τὸ σῶμα μεθῆκεν ἐς τὸ πέλαγος.* Dio Cass. 43, 9, 5 *ἐς τὴν Ἰβηρίαν ἀπῇρεν, ἐκπεσὼν δὲ ἐς τὴν Μαυριτανίαν καὶ τὸν Σίττιον φοβηθεὶς ἑαυτὸν διεχρήσατο.* — 2 *cum quis*] Ablativi forma quis (= quibus) Varro aliique priscae latinitatis scriptores non usi sunt, nisi antecedentibus praepositionibus, quae omnem de casu pronominis dubitationem eximerent, maxime in formula e (ex) quis, cui proxime accedit 'in quis'; raro legitur a quis (Varro r. rust. 2, 3, 3; Cic. Att. 13, 22, 4), de quis (Varro l. lat. 6, 35. Cic. Att. 10, 11, 2), sine quis, pro quis (Catull. 63, 46. 66, 37), cum quis (Tac. ann. 12, 28; quiscum Front. ad amic. 1, 3. pg. 175 Nab.). Promiscue pro dativo vel ablativo, non addita praepositione, usus est Sallustius.

97. 4 [*cives Romani*] pravo loco collocatum est pro: bonisque civium Romanorum, qui etc.; praeterea multos equites Romanos Zamae, oppido mercaturae faciendae minime opportuno, consedisse parum est probabile; denique, si qui fuerunt, 'conventus Zamensis' nomine significandi erant. — *populum Romanum*] cf. ad 77, 1. — 6 *excludendo*] 91, 4. — *tributis*] 86, 3 praemia fortissimo cuique tribuit. Qui correxit 'tributisque', non participium, sed substantivum tributum intellexisse videtur. — 7 *ex regnoque*] cf. ad 64, 1. — *provincia*] Appian. b. civ. 4, 54 *αὐτοῦ (Μασανάσσου) τὴν χώραν ὁ Καῖσαρ τῷ Σιττίῳ* (cf. ad 25, 2) *καὶ Βόκχῳ Μαυρουσίων βασιλεῖ δεδώρητο.* Nomen erat huic provinciae Africa nova. — *Salustio*] Appian. b. civ. 2, 100 *τὴν ἀρχὴν τοῦ Ἰόβα ὑποτελῆ Ῥωμαίοις ἐποίησεν, αὐτῇ Σαλούστιον Κρίσπον ἐγκαταστήσας.* Dio Cass. 43, 9, 2 *τοὺς Νομάδας λαβὼν ἔς τε τὸ ὑπήκοον ἐπήγαγε καὶ τῷ Σαλουστίῳ λόγῳ μὲν ἄρχειν, ἔργῳ δὲ ἄγειν καὶ φέρειν ἐπέτρεψεν.* De hortis Sallustianis cf. Tac. hist. 3, 82. Iordan, Topogr. der Stadt Rom II 123. 185. — 10 *conventui*] cf. ad 68, 4: opponuntur 'civitates'.

xxx, itemque Adrumetinis HS xxx, conventui [eorum] HS L multae nomine inponit; civitates bonaque eorum ab omni
3 iniuria rapinisque defendit. Leptitanos, quorum superioribus annis bona Iuba diripuerat, et ad senatum questi per legatos atque arbitros a senatu datos sua receperant, xxx centenis milibus pondo olei in annos singulos multat, ideo quod initio per dissensionem principum societatem cum Iuba in-
4 ierant eumque armis, militibus, pecunia iuverant. Thysdritanos propter humilitatem civitatis certo numero frumenti multat.

1 **98.** His rebus gestis Idibus Iuniis Uticae classem conscendit ac post diem tertium Caralis in Sardiniam pervenit.
2 Ibi Sulcitanos, quod Nasidium eiusque classem receperant copiisque iuverant, HS c multat et pro decumis octavas pendere iubet bonaque paucorum vendit, et ante diem IIII. Kal. Quintil. naves conscendit et a Caralibus secundum terram provectus duodetricesimo die, ideo quod tempestatibus in portibus cohibebatur, ad urbem Romam venit.

1 itemque *hoc loco Nipperdeius; in codd. supra 143, 10* ‖ in Adrumetinis *D* ‖ *[eorum] *inclusimus; om. LPV* ‖ 5 atque *incl. Novák probata lectione* arbitris datis ‖ *arbitros *O, praeter δ* (arbitris) *datos *O;* datis *librarius cod. δ ex coniectura* ‖ 6 pondo *Glandorpius;* ponderis *O; nisi quod δ* ponderibus ‖ oleum *L* ‖ id quod *L* ‖ 11 hiis *L* ‖ Iuniis *AUFV;* Iuñ *R* ‖ 12 *ac *LV;* ut *A;* et *R* ‖ 13 Ibi ... iuverant *om. A* ‖ susceperant *L* ‖ 14 HS C] SH C *O* ‖ decumis *APUFV;* decimis *LDδ* ‖ 17 *duodetricensimo *AF;* duodetricentesimo *P;* duodetricesimo *R* ‖ ideo] de eo *LPUF; om. V* ‖ 18 portubus *D* ‖ *Post* venit] Explicit G. Cesaris liber belli Affrice. Incipit alter. *L (rubro colore).* Explicit liber C. Caesaris belli Africae *P secundum Nipperdeium.* Explicit liber III Alexandrini belli *codex Vindobonensis 65 (nunc 95) secundum Nipperdeium.*

---

4 *et ad*] quique ad; cf. ad 64, 1. — 5 *arbitros*] Quod sua receperant, et suis legatis et arbitris a senatu datis acceptum referebant. — 8 *Thysdritanos*] cf. 36, 2.

98. 11 *his rebus gestis*] non solum ad ea referenda sunt, quae cap. 97 narrantur, sed ad totum de bello Africo commentarium. — 12 *Caralis*] apud Pomponium Melam 2, 123 Cararis, hodie Cagliari. Florus 2, 6, 35 urbem urbium Caralim. Strabo 5, 2, 7 *πόλεις ἀξιόλογοι Κάραλις καὶ Σοῦλχοι.* De mutata nominis forma cf. flagro, fragro, fraglo; religio, lerigio; reliquiae, leriquiae; crustlum, clustrum; gloria, grolia, ut hodie dicunt Neapolitani. Arch. lex. lat. I 111. IV 1 sqq. — 13 *Sulcitanos*] Sulci, oppidum Sardiniae a Carthaginiensibus olim conditum. Paus. 10, 17, 9. — *Nasidium*] cf. ad 64, 2. — 15 *paucorum*] ad 2, 3. — 16 *naves*] de plurali cf. ad 2, 4. — *secundum terram*] id est oram Tyrrheni maris Olbiam versus legens. cf. ad 1, 1. — 18 *portibus*] Sulcorum, Viniolae, Feroniae. — *ad urbem*] Appian. civ. 2, 101 *ἐπανελθὼν ἐς Ῥώμην*, Dio Cass. 43, 14, 2, quia senatus de triumpho iam decreverat.

APPENDIX.

De bello Africo praeter huius commentarii auctorem scripserunt Plutarchus in vitis Caesaris et Catonis minoris, Appianus bell. civ. libro II cap. 95—100, accuratius libris XLII et XLIII Dio Cassius, de quibus infra singillatim dicendum erit; Velleium, Florum, Suetonium (in vita Divi Iulii) semel nominasse sufficiet; quod autem in Tito Livio amisimus, parum reparant exiguae librorum CXIII et CXIV periochae.

Ac Polio quidem, quae hoc libello Caesaris sive potius Hirtii gratia conscripto persecutus est, fusius idem exposuit in historiarum libris aliquanto post editis; qui cum maiore cura compositi essent et scriptoris nomine in fronte posito legentibus commendati, homines tum, qui auctoritatem Polionis et viri integerrimi et testis oculati maximi aestimarent, pleniore potius narratione usos esse consentaneum. Sed inter commentarium et historiarum libros aliud quoque discrimen, quod haud scio an maius sit, intercedere videmus. Scilicet Asinius, qui Caesari vivo esset amicissimus et fidissimus, postea ita ab eius et Augusti consiliis dissensit, ut, quos ille ediderat rerum suarum commentarios, in reprehensionem vocaret. Suet. Div. Iul. 56: „Pollio Asinius parum diligenter parumque integra veritate compositos (scil. commentarios Caesaris) putat, cum Caesar pleraque et quae per alios erant gesta temere crediderit, et quae per se, vel consulto vel etiam memoria lapsus perperam ediderit; existimatque rescripturum et correcturum fuisse.“ Hinc eum de Caesaris rebus in historiis iniquius iudicasse quam in commentario colligere licet. Commentarium utrum manibus versaverint, quicumque primo, altero, tertio post Chr. saeculo res Romanas memoriae prodiderint necne, parum compertum est; nemo tamen ita eius vestigia pressit, ut eum ex hoc fonte hausisse pro certo affirmari possit. Neque mirum. Quid! quod ne Caesaris quidem commentarios, si discesseris ab

uno belli Gallici loco, 5, 1, 2, quem laudavit Priscianus instit. 7, 75, grammatici cognitos habuerunt; Frontinus autem, qui ex commentariis belli Gallici et civilis aliquot protulit strategemata, nihil usquam deprompsit ex bello Africo et Hispaniensi.

Eo magis quaerere iuvat, quinam scriptores Asinii historiis usi sint. Qua de re certum fortasse iudicium proponere liceret, si Plutarchus, Appianus, Dio Cassius in uno quisque fonte adeundo acquievissent, quod olim fuerunt qui quasi lege rerum scriptoribus constitutum fuisse contenderent. Verum ii, apud quos Asinii nomen legitur (Plut. Caes. 52. Appian. b. civ. 2, 82), ita inter se in aliis dissident, in aliis concordant, ut utrumque praeter Asinium alios quoque auctores in usum vocasse ultro appareat. Nam de clade Pharsalica referens Appianus provocavit quidem ad Asinium (*Ἀσίνιος δὲ Πολλίων ὑπὸ Καίσαρι τῆς μάχης ἐκείνης στρατηγῶν ἑξακισχιλίους ἀναγράφει νεκροὺς εὑρεθῆναι τῶν Πομπηίου*), idem vero in eadem re aliorum quoque secutus est auctoritatem (*ὡς ἑτέροις δοκεῖ — οἱ μὲν ἐπαίροντές φασι δισμυρίους ἐπὶ πεντακισχιλίοις*). Cum autem veteres rerum scriptores in laudandis auctorum nominibus parciores sint quam nostrates, testesque plerumque afferant, ubi ab iis, quae plurimorum consensu firmata sunt, recedunt, hic locus ita potius est interpretandus, ut Appianum in re tam gravi praeter consuetudinem Asinii historias evolvisse statuamus. Ceterum, ut ad bellum Africum redeamus, adeo non favit Appianus Caesari, ut eum in hac parte Asinii auctoritate inniti vix credas; neque enim, qui in commentario passim laudibus extulisset Caesaris clementiam (b. Afr. 89, 5. ad 92, 4) in historiis eius saevitiam et crudelitatem accusare poterat (Appian. 2, 100 *τῶν δὲ τριακοσίων, ὅσους εὗρε, διέφθειρε*, coll. b. Afr. 90, 1): et qui apud Ruspinam ancipiti Marte pugnatum esse, apud Thapsum intra paucas horas Caesarem facili potitum esse victoria scripsisset, non poterat postea in historiis de victoria Labieni fugaque Caesarianorum (2, 95 *ἐκράτουν τῶν Καίσαρος παρὰ πολὺ καὶ τραπέντας ἐδίωκον σοβαρῶς μετὰ καταφρονήσεως*) vel de pugna apud Thapsum usque ad noctem producta (2, 97 *περὶ ἑσπέραν μόλις ὁ Καῖσαρ ἐνίκα*) referre. Itaque eo omnia spectant, ut apud Appianum nulla prorsus Asinii neque commentarii neque historiarum vestigia reperiri posse asseverandum sit.*) Nec praetereundum Appianum non solum res in Africa gestas

*) Contrariam sequitur sententiam Ranke, Weltgeschichte III 2. Analecta 226 sqq.

breviter perstrinxisse, ut locorum, Ruspinae, Uzitae, Thapsi nullam faceret mentionem, sed nonnulla, in quibus a ceteris omnibus dissentit, eum et memoria lapsum et rebus confusis detorsisse suspicari licet; veluti, quod tradidit de Labieno vulnerato (2, 95) ad Petreium pertinet (b. Afr. 19, 7); nec Afranium cum Scipione navibus fugisse (2, 97) credibile est, quippe quem in Africa interfectum esse scripserit Asinius b. Afr. 95, 3.

Dio Cassius contra, ut res uberrime tractavit, ita proximus est Polioni. Cuius locos similes cum in adnotationibus ad cap. 32, 3 et 72, 4 perscripserimus, legentes ad illas relegare sufficiat; conferenda etiam sunt cum b. Afr. cap. 38. 39. 49. 50, quae de collibus prope Uzitam occupatis Dio Cassius 43, 4, § 4. 5 scripsit. Quodsi alia leguntur apud Dionem, quae ab auctore belli Africi omissa coeunt cum rebus in commentario narratis, haec ut eos locos, de quibus modo dictum est, ad historias Polionis referre licebit. Pertinet ad hoc genus dictum illud Caesaris, cum procubuisset 'Teneo te, Africa', et multa alia; quin etiam fere omnia cum Asinii rationibus conciliari possunt. Ab hoc nostro iudicio non multum deflectet, si quis Dionem sua non ex ipso Asinio, sed ex aliquo scriptore, graeco fortasse, deprompsisse dixerit, qui ipse Asinii libris usus esset. Quod unum aliqua ex parte repugnaret, iam Froehlichius p. 86 invenit. Scilicet ita scripsit Dio Cassius 42, 58, 4: *ἐκ δὲ τούτου προσέβαλε μὲν τῷ Ἀδρυμήτῳ, ἀποκρουσθεὶς δὲ καὶ προσέτι καὶ ἐκ τοῦ στρατοπέδου βιαίως ἐκβληθεὶς μετέστη πρὸς πόλιν ἑτέραν Ῥούσπινα*, cum b. Afr. cap. 5 de conatu oppidi expugnandi nihil sit dictum. Id haud facile scriptoris neglegentiae tribuerim; res autem ipsa monet, ut vix credamus Caesarem cum tribus milibus militum Adrumetum vi temptare ausum esse, cum oppidum bene munitum tenerent duae legiones. Sed duarum sententiarum altera utique amplectenda. Aut silentio praetermisit belli Africi auctor illum Caesaris impetum in oppidum factum, cum res secus cecidisset (et erit fortasse, qui Caesarem deditionis condiciones tulisse suspicetur, ut adversariorum animos avocaret), narravit in historiarum libris, unde Dio hausit: aut finxit illum scriptor aliquis Caesari inimicus, qua sententia probata Dionem non uno Asinio usum esse sequitur.

Pariter Plutarchus (vit. Caes. cap. 52—55; vit. Cat. min.) in universum narrationem Asinii sequitur, non unam tamen; scribit enim cap. 53 de pugna ad Thapsum: *οἱ μὲν ταῦτα περὶ τῆς μάχης ἐκείνης ἀναγγέλλουσιν, οἱ δὲ οὔ φασιν αὐτὸν ἐν τῷ ἔργῳ γενέσθαι.* Maximi autem momenti est,

quod de insidiis Numidarum cap. 52 extr. rettulit: *εἰ δὲ μὴ Καῖσαρ αὐτὸς, ἅμα δὲ Καίσαρι Πολλίων Ἀσίννιος βοηθοῦντες ἐκ τοῦ χάρακος ἔσχον τὴν φυγὴν, διεπέπρακτ' ἂν ὁ πόλεμος.* Unde enim hoc sumpsit? B. Afr. 7, 5. 6 talia furta belli commemorantur quidem, sed strictim; ceteri autem rerum scriptores cum eiusmodi minutias respuant, restat, ut Asinium in historiis de hac repentina incursione, cui ipse interfuerat, dixisse putemus. Inter belli Africi locos, quos Polio expressisse videri potest, numeraverim 1, 1 et 24, 4, ubi in adnotationibus Dionis verba subiecimus, quo facilius comparatio posset institui. Cf. Froehlich, pg. 95—99. Itaque Plutarchum quoque, cum tantum studii in discenda lingua latina posuisset, ut scriptores Romanos legeret, sive ipsum commentarium, quod iam Froehlichius suspicatus est, sive, quod vero propius est, historiarum libros, qui haud dubie cum illo magna ex parte congruebant, in suam rem convertit: nam qui nec Caesaris aut Hirtii, nec de bello Hispaniensi commentario usus est (cf. Herm. Peter, Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer. 1865. pg. 120 sqq.), haud facile de bello Africo librum manibus versaverit.*)

Quinam nostro saeculo in res a Caesare gestas inquisiverint, enumerare longum est. Nominandus tamen Napoleo III., imperator Francogallorum, quia non solum ipse illius saeculi historiam explicavit, sed etiam Stoffelium incitavit, ut Caesaris itinera, proelia, urbium obsidiones relegeret omnemque bellorum, tam Gallici quam civilis, memoriam redintegraret. Sic ille, rei militaris peritissimus, in libro 'Histoire de Iules César. Guerre civile.' vol. I. II. Paris. 1887. totius orae maritimae situm inde ab Adrumeto usque ad Thapsum et Acyllam ita et exploravit et in tabula delineavit, ut Caesaris res gestae quasi in oculos incurrant. Eodem fere tempore Carolus Tissot Africam, id est provinciam Romanam, pervestigavit, et cum praematura morte obiisset, Salomo Reinach eius librum edendum curavit (Géographie comparée de la province Romaine d'Afrique. vol. I. II. Paris. 1887. 1888). Gratum nos facturos legentibus speramus eo loco typis expresso, quo (II 721) de commentarii scriptore disseruit: „L'auteur, quel qu'il soit, a assisté aux événements qu'il raconte; il a probablement fait partie de l'état-major de César; il a certainement pris une partie active à la campagne dont son récit présente le journal détaillé. On est

---

*) Nuperrime Carolus Vogel in Quaestionibus Plutarcheis (Marb. Cattorum. 1889. pg. 38 sq. 48 sq.) et Plutarchum et Appianum non ipsas Asinii historias, sed Strabonis *Ἱστορικὰ ὑπομνήματα* adhibuisse, quem Asinio usum esse statuit, demonstrare conatus est.

même tenté de reconnaître en lui un des ingénieurs de César, quand on remarque le soin avec le quel il note les distances, les campements successifs, les travaux de défense et d'approche, l'armement des places. Artiste autant qu'homme de guerre, il a, au plus haut degré, le sentiment du terrain: il l'embrasse d'un coup d'oeil, sans en perdre un détail, et le peint avec une rare précision." — Inscriptionum Africanarum editionem debemus Gustavo Wilmanns et Theodoro Mommsen (Corp. inscr. lat. vol. VIII. Berol. 1881), cui supplementa addidit Iohannes Schmidt in Ephem. epigraphica, vol. V. pg. 265—568. 649—651.

Quomodo exortum esset bellum Africae, commentarii auctor ideo sibi non exponendum esse existimavit, quia, cum eum conscriberet, Hirtii opera consilioque de bello civili et Alexandrino libros retractantis et supplentis, quae de origine causisque dicenda essent, praerepta fore omnia confidebat. Conflatum autem erat totum illud bellum Curionis, legati Caesaris, et temeritate et clade apud Bagradam accepta; qui si provinciam legionibus obtinuisset, nec pugnae Pharsalicae reliquiae illuc confugissent, neque Caesari post expeditionem Ponticam Africa repetenda fuisset. Itaque dum Caesar Alexandriae et in Asia commoratur, ita auctae sunt Pompeianorum copiae (Cic. epist. ad Att. 11, 10, 2. 12, 3), ut eos bellum in Italiam translaturos esse fama percrebesceret (ibid. 11, 15, 1. 18, 1. Dio Cass. 42, 56). Huc accedebat, quod Caesaris legiones seditiosa consilia agitabant et praemia belli ante aciem Pharsalicam promissa velut uno ore expetebant. b. Afr. 54, 1. Dio Cass. 42, 52—55. Appian. b. civ. 2, 92 sq. Suet. Div. Iul. 70. Plut. Caes. 51. Polyaen. strat. 8, 23, 15. Sed frustra fortuna Pompeianis affulgebat; cum enim prompto animo agendum esset, Varus, Scipio et Iuba rex de summa imperii inter se certabant, Cato oblatum abnuebat; qui postremo toti bello praefectus est, Scipio, impar fuit muneri; Caesar contra, qui plurimum spei in celeritate poneret, quamquam appetente hieme legiones Lilybaeum arcessivit. Quinque tironum subito paruerunt dictis; adiungitur quinta Martia (b. Afr. 1, 4): quattuor veteranae morabantur.

Secundum Asinium b. Afr. 1, 1 et 2, 4 Caesar a. d. XIIII. Kal. Ian. (17. Dec.) Lilybaeum pervenerat et a. d. VI. Kal. Ian. (25. Dec.) vela dedit in Africam: haec re vera in mensem Octobrem extremum incidisse ex ratione fastorum tum corruptorum colligitur. Idem testatur Cicero de divin. 2, 52: Quid? ipse Caesar, cum a summo haruspice moneretur, ne

in Africam ante brumam transmitteret, nonne transmisit? Cf. Dio Cass. 42, 56 ἐς τὴν Ἀφρικὴν καίτοι τοῦ χειμῶνος ἐνεστηκότος ἐπεραιώθη· καὶ οὐκ ὀλίγα δὲ ἐκ τούτου, ἀνέλπιστος τοῖς ἐναντίοις προσπεσὼν κατόρθωσε· πλεῖστον γὰρ παρὰ πάντα καὶ τῷ τάχει καὶ ταῖς ἐκ τοῦ ἀπροσδοκήτου στρατείαις κατέπραττεν. Suet. Div. Iul. 59 Cum immolanti aufugisset hostia, profectionem adversus Scipionem et Iubam non distulit.

Napoleo III. igitur, cum dierum computationem correctam vellet, ex astronomo clarissimo, M. Le Verrier petivit, ut rem tabula proposita explanaret, eaque tabula uti licuit Stoffelio II 434 sq., quamobrem potissima quaeque excerpsimus.

Secundum fastos confusos.	Ratione Iuliana.	
707. 17. Dec.	23. Oct.	Caesar Lilybaeum pervenit. 1, 1
25. Dec.	31. Oct.	C. transmittit in Africam. 2, 4.
28. Dec.	3. Nov.	C. Adrumetum accedit. 3, 1.
708. 1. Ian.	5. Nov.	C. Ruspinam proficiscitur. 6, 7.
2. Ian.	6. Nov.	C. Leptim proficiscitur. 7, 1.
3. Ian.	7. Nov.	C. Ruspinam revertitur. 9, 1.
4. Ian.	8. Nov.	Proelium prope Ruspinam. 11, 1 sqq.
(22. Ian.)	(26. Nov.)	XIII. et XIIII. leg. adveniunt. 34, 4.
25/26. Ian.	29/30. Nov.	C. nocte legiones ex castris educit. 37, 1. Uzitam movet.
27. Ian.	1. Dec.	C. Scipionem ad pugnam provocat. 41, 1.
(11. Mart.)	(11. Ian.)	X. et VIIII. leg. adveniunt. 53.
21. Mart.	21. Ian.	C. exercitum lustrat. 75, 1.
4. Apr.	4. Febr.	C. Thapsum movet. 79, 1.
6. Apr.	6. Febr.	Pugna apud Thapsum.
13. Iun.	14. Apr.	C. Uticae classem conscendit. 98, 1.
27. Iun.	28. Apr.	C. a Caralibus proficiscitur. 98, 2.
25. Iul.	25. Mai.	C. Romam pervenit. ibid.

Quot quibusque Caesar legionibus bellum in Africa gesserit, Nipperdeius exposuit in Quaestionibus Caesarianis editioni maiori praemissis pg. 218 sq., cui ita assentimur, ut ipsum ducem cum sex legionibus V. XXV. XXVI. XXVIII. XXVIIII. XXX. (? vel XXVII.) in Africam traiecisse, secundo commeatu duabus veteranis, XIII. et XIIII. (34, 4 et 37), tertio totidem veteranis, X. et VIIII. (cap. 53) auctum esse

statuamus. Novem, quae enumerantur cap. 60 legiones, ita explicantur, quod unius legionis cohortes praesidii causa Ruspinae, Lepti, Acyllae collocatae erant. Si vero quis decem cohortes non suffecisse dicat obtinendis oppidis, nonnullas novem illarum legionum non plenas fuisse statuendum erit. „On ne doit pas estimer à plus de 3600 hommes l'effectif moyen de ces légions." Stoffel II 284. Quod scripsit Tissot II 757: „Il résulte de différents passages du livre sur la Guerre d'Afrique que les forces de César, dans la dernière période de la campagne, se composaient de douze légions, les II V VII VIII VIIII X XIII XIIII XXVI XXVIII XXVIIII XXX", non satis firmis nititur argumentis. Praeterea disceptatur de numeris legionum in codicibus plus uno loco corruptis: qua de re cum Otto Hirschfeld spem nobis fecerit se proximo anno inquisiturum, interim rem in medio relinquere satius duximus.

Maior inter rerum scriptores dissensio de copiis adversariorum; fama enim res in maius aucta est. Nec Caesar ipse longe se numero inferiorem esse militibus dissimulavit, quippe qui de adventu Iubae sic contionatus sit (Suet. Div. Iul. 66): 'Scitote paucissimis his diebus regem adfuturum cum X legionibus, equitum XXX, levis armaturae C milibus, elephantis CCC; proinde desinant quidam quaerere ultra aut opinari, mihique, qui compertum habeo, credant; aut quidem vetustissima nave inpositos quocumque vento in quascumque terras iubebo avehi.' Consulto scilicet suos Caesar expectatione erexit numeris in maius auctis, ut post adventum terror in contemptum verteretur. b. Afr. 48, 3. Appianus b. civ. 2, 96 praeter eas copias, quae ducibus Labieno ac Petreio prope Ruspinam cum Caesare conflixerunt, haec de exercitu Pompeianorum prodidit: *οὐ πολὺ δὲ ὕστερον αὐτοῦ τε Σκιπίωνος ὀκτὼ τέλεσι πεζῶν καὶ ἱππέων δύο μυριάσιν (ὧν οἱ πολλοὶ Λίβυες ἦσαν) πελτασταῖς τε πολλοῖς καὶ ἐλέφασιν ἐς τριάκοντα προσδοκωμένου παρέσεσθαι, σὺν Ἰόβᾳ τῷ βασιλεῖ, καὶ τῷδε ἄγοντι πεζοὺς ἄλλους ἀμφὶ τρισμυρίους καὶ ἱππέας Νομάδας ἐς δισμυρίους καὶ ἀκοντιστὰς πολλοὺς καὶ ἐλέφαντας ἑξήκοντα ἑτέρους, ἡ στρατιὰ τοῦ Καίσαρος ἐδείμαινε κτλ.* Ceterum ne numeris quidem, qui b. Afr. 1, 4 proferuntur, quamquam aliquanto minores sunt, fidem habendam esse ipse Asinius significavit verbis 'cum ab incolis nuntiarentur etc.'; quae 19, 3 de eadem re leguntur, pleraque interpolatori deberi et ex 1, 4 deprompta esse in adnotatione expositum est. Nobile autem confusionis exemplum praebet elephantorum numerus. Universos enim Iuba habuit sexaginta, quos Scipioni adduxit; postea triginta relictis (30, 2)

totidem in Numidiam remisit (25, 5) contra Sitium, paulo post (48, 1) iterum eosdem ipse Scipioni adduxit, ut (48, 5) sexaginta in aciem producerentur, qui omnes apud Thapsum a Caesare capti sunt. 86, 1. Mox qui de partito elephantorum numero fando acceperant et de sexaginta Iubae bestiis, in universum centum viginti fuisse computabant. (b. Afr. 1, 4.) Et tales quidem rumores manabant per Siciliam; sed quo maiores audiebat Caesar esse adversariorum copias, eo magis in Africam transmittere properabat. Cf. ad 1, 4 cum praesertim.

Incredibile prorsus, quod Appianus b. civ. 2, 95 de Caesaris profectione narravit: *καὶ πυθόμενος Κάτωνα μὲν τὴν παρασκευὴν τοῦ πολέμου ναυσὶ καὶ πεζῶν τινι μέρει φρουρεῖν ἐν Ἰτύκῃ μετὰ τῶν τριακοσίων, οὓς ἀπὸ σφῶν ἐκ πολλοῦ προβούλους ἐπεποίηντο τοῦ πολέμου καὶ σύγκλητον ἐκάλουν· τὸν δ' αὐτοκράτωρα Λεύκιον Σκιπίωνα καὶ τοὺς ἀρίστους ἐν Ἀδρυμητῷ στρατεύειν, διέπλευσεν ἐπὶ τὸν Σκιπίωνα.* Nihil igitur Appianus compertum habuit de navibus tempestate dispersis, sed quod invito Caesare accidit, id consilio Caesaris factum esse sibi persuasit. Quid! quod ne Scipio quidem Adrumeti fuit, sed Considius (b. Afr. 3, 1) cum duabus legionibus, quodque Scipio, qui Uticae praeerat, Labienum et Petreium nuntio de Caesaris escensione accepto cum equitatu Adrumetum versus praemiserat. Quo re vera vela dederit Caesar, intellegitur ex b. Afr. 2, 2: maiorem partem navium iussit insulam petere Aponianam, unam ex Aegusis, quae teste Polybio 1, 44, 2 praetervehenda erat Carthaginem petentibus.

Sequitur proelium Ruspinense*), in quod implicatus est Caesar, cum frumentatum ex castris exiisset. Quamquam hic quoque longe alia profert Appianus b. civ. 2, 95: *καὶ αὐτὸν (Σκιπίωνα) οἰχόμενον ἐς Ἰόβαν καταλαβὼν παρέτασσεν ἐς μάχην παρ' αὐτὸ τοῦ Σκιπίωνος τὸ στρατόπεδον, ὡς ἐν καιρῷ συνοισόμενος τοῖς πολεμίοις χωρὶς αὐτοκράτορος οὖσιν.* Quod credat Iudaeus Apella. De ipsa pugna fusius exposuimus in Actis academiae Bavaricae (Sitzungsberichte 1889. p. 343—350); ante nos doctissime H. J. Heller in Philologi vol. XIII (1858) pg. 576 sqq. Cum Caesar receptui cecinisset, hostes vero novis aucti copiis denuo instarent, ipse quoque „iubet signa converti et medio campo redintegrari proelium". Ita Asinius b. Afr. 18, 3. Sed quanto res in discrimine fuerit, alii prodiderunt. Suet. div. Iul. 62: inclinatam aciem

*) Cf. Göler, Das Treffen von Ruspina. Karlsr. 1855. W. Rüstow, Heerwesen und Kriegführung Caesars. 1855. p. 133 sq.

solus saepe restituit obsistens fugientibus retinensque singulos et contortis faucibus convertens in hostem et quidem adeo plerumque trepidos, ut aquilifer moranti se cuspide sit comminatus, alius in manu detinentis reliquerit signum. Haec enim pertinere ad proelium Ruspinense, Plutarchi narratio docet (vit. Caes. 52 extr.) ante pugnam Thapsensem inserta: *ἔστι δ' ὅτε καὶ καθ' ἑτέραν μάχην ἐπλεονέκτησαν οἱ πολέμιοι συμπλοκῆς γενομένης, ἐν ᾗ Καῖσαρ τὸν ἀετοφόρον φεύγοντα λέγεται κατασχὼν ἐκ τοῦ αὐχένος ἀναστρέψαι καὶ εἰπεῖν „Ἐνταῦθα εἰσὶν οἱ πολέμιοι"*, et Appiani b. civ. 2, 95: *αὐτὸς (Καῖσαρ) δὲ λέγεται παρὰ τὴν φυγὴν ἐγχρίμπτων ἅπασιν ἐπιστρέφειν αὐτούς. Καί τινα τῶν τὰ μέγιστα σημεῖα, τοὺς ἀετοὺς, φερόντων τῇ ἑαυτοῦ χειρὶ περισπάσας μετενεγκεῖν ἀπὸ τῆς φυγῆς ἐς τὸ πρόσθεν.* Valerius Maximus denique (3, 2, 19) omisso loco proelii cuius legionis fuerit aquilifer tradidit: idem (Caesar) alio proelio legionis Martiae aquiliferum ineundae fugae gratia iam conversum faucibus comprehensum in contrariam partem retorsit dexteramque ad hostem tendens 'Corsum tu', inquit, 'abis?' illic sunt, cum quibus dimicamus.

Quae utrum Valerius Maximus ex Livii libro CXIII sumpserit, an ex alio quodam scriptore, quaerere hoc loco non attinet; certe fuit ille scriptor fide dignissimus, quia eo tempore legio quinta Martia re vera in Africa fuit (b. Afr. 1, 5): itaque ex triginta, quas Caesar in proelio Ruspinensi habuit cohortibus, decem fuisse veteranas, viginti tironum ex Valerio Maximo sequitur. Et cum quintanos, utpote hostibus proximis, agmen clausisse appareat, id ex eo factum esse iure dicas, quod in acie utrumque cornu firmaverant; moris enim fuit Caesari tironibus mediam aciem tueri, in cornibus veteranos collocare (b. Afr. 81, 1). Quodsi quis quaerat, cur commentarii auctor hanc rem silentio praeterierit, hac utar excusatione, ut eum noluisse de militum trepidatione et fuga verba facere dicam; vel potius nec Caesarem nec eum qui imperfectos commentarios absolveret, huius rei mentionem iniecturum esse praesumebat.

De proelii eventu (cf. ad 19, 1) varie tradidere rerum scriptores. Nam Livius per. 113 Caesarem 'contra copias Iubae regis cum discrimine magno pugnasse' scribit; Plut. Caes. 52 *ἔστι δ' ὅτε καὶ καθ' ἑτέραν μάχην ἐπλεονέκτησαν οἱ πολέμιοι συμπλοκῆς γενομένης*; 53 *τούτοις τοῖς προτερήμασιν ἐπήρθη Σκηπίων μάχῃ κριθῆναι.* Appianus priorem Petreium receptui cecinisse affirmat (95 *ἕως Πετρήιος ἀνέζευξε, καὶ ὁ Καῖσαρ ἀσπασίως ὑπεχώρει*), idem vero cap. 96 Caesarianos perterritos fuisse profitetur *κατὰ πεῖραν ὧν ἤδη πε-*

πόνθεσαν. Dio denique Cassius 43, 2, 2 de Petreio ac Labieno: *καὶ συνταραχθείσης πρὸς τοῦτο τῆς ἀσπίδος πολλοὺς μὲν αὐτῶν* (Caesarianorum) *ἀπέκτειναν, πάντας δ' ἂν καὶ τοὺς λοιποὺς ἀνειληθέντας ἐπὶ μετέωρόν τι ἐξέκοψαν, εἰ μὴ ἰσχυρῶς ἐτρώθησαν. ἐπὶ πλεῖον δ' οὖν καὶ ὥς, τούτου συμβεβηκότος, τὸν Καίσαρα κατέπληξαν. λογιζόμενος μὲν γὰρ ὡς ὑπὸ ὀλίγων ἔπταισε . . . διηπόρει καὶ οὐκ εἶχεν ὅ,τι πράξῃ.*

Cum autem Scipio Caesaris, quae prope Ruspinam communiverat, castra aggredi non ausus obsidendo nihil proficeret simulque inopia aquae laboraret, Uzitam versus reduxit copias; quo facto Caesar quoque, legionibus XIII. et XIIII. auctus, castris motis colles exadversus Uzitam occupavit, frustra tamen Scipionem ad pugnam provocare conabatur. Hinc intellegitur ne ipsum quidem Scipionem multum tribuisse famae illi, qua Scipionibus victoriam in Africa portendi vulgo credebant. Cf. Dio Cass. 42, 58 et Plut. Caes. 52: *πυνθανόμενος δὲ χρησμῷ τινι παλαιῷ θαρρεῖν τοὺς πολεμίους, ὡς προσῆκον ἀεὶ τῷ Σκηπιώνων γένει κρατεῖν ἐν Λιβύῃ, χαλεπὸν εἰπεῖν, εἴτε φλαυρίζων ἐν παιδιᾷ τινι τὸν Σκηπίωνα στρατηγοῦντα τῶν πολεμίων, εἴτε καὶ σπουδῇ τὸν οἰωνὸν οἰκειούμενος, ἦν γὰρ καὶ παρ' αὐτῷ τις ἄνθρωπος ἄλλως μὲν εὐκαταφρόνητος καὶ παρημελημένος, οἰκίας δὲ τῆς Ἀφρικανῶν, Σκηπίων ἐκαλεῖτο Σαλλουτίων, τοῦτον ἐν ταῖς μάχαις προέταττεν ὥσπερ ἡγεμόνα τῆς στρατιᾶς ἀναγκαζόμενος πολλάκις ἐξάπτεσθαι τῶν πολεμίων καὶ φιλομαχεῖν.*

Scipione pugnam detrectante Caesar sparsis libellis adversarios pelliciebat, ut ad se transfugerent (b. Afr. 51, 3), quibus artibus imparem fuisse Scipionem Dio Cassius 43, 5, 3 scribit: *Σκιπίων δὲ ἐπεχείρησε μὲν καὶ αὐτὸς καὶ βιβλία καὶ λόγους ἐς τοὺς ἐναντίους ἐσβαλεῖν ὡς καὶ σφετεριούμενός τινας, οὐ μέντοι καὶ μεταστῆσαι αὐτοὺς ἠδυνήθη, οὐχ ὅτι οὐκ ἂν καὶ τὰ ἐκείνου τινὲς ἀνείλοντο, εἴπερ τι τῶν ὁμοίων ἐπηγγέλλετο, ἀλλ' ὅτι ἆθλον μέν σφισιν οὐδὲν ὑπισχνεῖτο, τὸν δὲ δὴ δῆμον τὸν τῶν Ῥωμαίων τήν τε γερουσίαν ἄλλως ἐλευθερῶσαι αὐτοὺς παρεκάλει. καὶ οὕτως, ἐν ᾧ δὴ τὰ εὐπρεπέστερα τῷ λόγῳ μᾶλλον ἢ τὰ χρησιμώτερα τοῖς παροῦσιν ᾑρεῖτο, οὐδένα αὐτῶν ᾠκειώσατο.*

Tandem una apud Thapsum pugna totum bellum profligatum est, de qua auctores Romani pauca memoriae prodiderunt, multa Graeci, sed inter se dissidentia. Brevissime auctor periochae Livianae 114: Caesar Scipionem praetorem Iubamque vicit ad Thapsum, quocum certat Suet. div. Iul. 35: Scipionem ac Iubam reliquias partium in Africa refoventis

devicit, nisi quod verbo composito victoriam plenam fuisse significat. Paulo copiosius Florus 4, 2, 66: primum strages a Iuba coepit, cuius elephanti bellorum rudes et nuper a silva consternati subito clangore lituorum in suos sese circumegere statim exercitus in fugam, nec duces fortius quam ut effugerent.

In Plutarcho maxime mirum, quod cap. 53 de Caesaris morbo dicit: *Καῖσαρ ἑλώδεις τόπους καὶ προσβολὰς ἀφράστους ἔχοντας ἀμηχάνῳ τάχει διελθὼν τοὺς μὲν ἐκυκλοῦτο, τοῖς δὲ προσέβαλλε κατὰ στόμα . . . οἱ μὲν ταῦτα περὶ τῆς μάχης ἐκείνης ἀναγγέλλουσιν· οἱ δὲ οὔ φασιν αὐτὸν ἐν τῷ ἔργῳ γενέσθαι, συντάττοντος δὲ τὴν στρατιὰν καὶ διακοσμοῦντος ἅψασθαι τὸ σύνηθες νόσημα· τὸν δὲ εὐθὺς αἰσθόμενον ἀρχομένου, πρὶν ἐκταράττεσθαι καὶ καταλαμβάνεσθαι παντάπασιν ὑπὸ τοῦ πάθους τὴν αἴσθησιν ἤδη σειομένην, εἴς τινα τῶν πλησίον πύργων κομισθῆναι καὶ διαγαγεῖν ἐν ἡσυχίᾳ. Τῶν δὲ πεφευγότων ἐκ τῆς μάχης ὑπατικῶν καὶ στρατηγικῶν ἀνδρῶν οἱ μὲν ἑαυτοὺς διέφθειραν ἁλισκόμενοι, συχνοὺς δὲ Καῖσαρ ἔκτεινεν ἁλόντας.* Haec ad Caesarem referenda propterea quod Appianus quoque b. civ. 2, 101 Caesarem morbo comitiali (*ἐπιληψία καὶ σπασμός*) vexatum esse scribit, quamquam Plutarchi narratio obscurior, quippe qui initio capitis de Scipione dixerit.

Maximam a militibus Caesarianis editam esse caedem nemo negavit; Orosius, quem Livii vestigia pressisse statuunt, 6, 16, 3 'maximam hominum multitudinem' interfectam esse memorat; Plutarchus c. 53: *πεντακισμυρίους τῶν πολεμίων ἀνῃρηκὼς οὐδὲ πεντήκοντα τῶν ἰδίων ἀπέβαλεν.* Neque tamen fuit, cur Nipperdeius numerum caesorum in omnibus codicibus b. Afr. 86, 1 traditum ex coniectura mutaret. Cf. adnot. ad h. l. Eidem Plutarcho, qui intra paucas horas debellatum esse scribit, contradicit Appianus b. civ. 2, 97: *μακρᾶς δὲ καὶ ἐπιπόνου κατὰ πάντα τὰ μέρη τῆς μάχης καὶ πολυτρόπου γενομένης περὶ ἑσπέραν μόλις ὁ Καῖσαρ ἐνίκα.*

Ducum Pompeianorum fugas et interitus longe obscuravit mors Catonis nobilissima. In usum eorum, qui Asinii narrationem cum ceterorum scriptorum conferre velint, subiecimus locum uberrimum Appiani b. civ. 2, 98: *Περὶ ἑσπέραν ἀμφὶ λουτρὰ καὶ δεῖπνον ἦν· καθεζόμενός τε ἐγεγένετο, ὥσπερ εἴθιστο, ἐξ οὗ Πομπήιος ἀνῄρητο· οὐδέν τε τῶν συνήθων ἐναλλάσσων, οὐδ' ἐλάσσω προσφερόμενος ἢ πλείω, συνελεσχήνευε τοῖς παροῦσι περὶ τῶν ἐκπεπλευκότων· καὶ ἠρώτα περὶ τοῦ πνεύματος, εἰ κατὰ πρύμναν ἔσοιτο αὐτοῖς· καὶ τοῦ διαστήματος, εἰ φθάσουσι πόρρω γενέσθαι, πρὶν ἐς ἕω Καίσαρα ἐπελθεῖν. Οὐ μὴν οὐδ' ἐς ὕπνον ἀπιὼν, ἐνήλλαξέ*

τι τῶν συνήθων, πλὴν ὅτι τὸν υἱὸν ἠσπάσατο φιλοφρονέστερον. Τὸ δὲ ξιφίδιον τῇ κλίνῃ τὸ σύνηθες οὐχ εὑρὼν παρακείμενον, ἐξεβόησεν, ὅτι προδιδοῖτο ὑπὸ τῶν οἰκείων τοῖς πολεμίοις. Τίνι γὰρ, ἔφη, χρήσεσθαι προσιόντων, ἂν νυκτὸς ἐπίωσι; Τῶν δὲ αὐτὸν παρακαλούντων, μηδὲν ἐφ' ἑαυτὸν βουλεύειν, ἀλλ' ἀναπαύεσθαι χωρὶς ξιφιδίου, ἀξιοπιστότερον ἔτι εἶπεν· Οὐ γάρ ἐστί μοι, θέλοντι, καὶ δι' ἐσθῆτος ἐμαυτὸν ἀποπνίξαι; καὶ ἐς τὰ τείχη τὴν κεφαλὴν ἀπαρράξαι; καὶ ἐς τράχηλον κυβιστῆσαι; καὶ τὸ πνεῦμα κατασχόντα ἐκτρῖψαι; Πολλά τε ὅμοια εἰπὼν, παρήγαγεν αὐτοὺς παραθεῖναι τὸ ξιφίδιον. Ὡς δὲ ἐτέθη, Πλάτωνος αἰτήσας τὴν περὶ ψυχῆς συγγραφὴν, ἀνεγίνωσκε.

99. Καὶ ἐπεὶ τέλος εἶχε τῷ Πλάτωνι ὁ λόγος, ἀναπαύεσθαι τοὺς περὶ θύρας ὑπολαβὼν, ἔτρωσεν αὑτὸν ὑπὸ τὰ στέρνα. Προπεσόντων δ' αὐτῷ τῶν σπλάγχνων καὶ στόνου τινὸς ἐξακουσθέντος, ἐσέδραμον οἱ περὶ θύρας· καὶ οἱ ἰατροὶ τὰ σπλάγχνα ἔτι σῷα ὄντα ἐνέθηκαν ἔνδον καὶ τὰς πληγὰς ἐπιρράψαντες ἐπέδησαν. Ὁ δὲ ἀνεγκὼν αὖθις ὑπεκρίνετο· καὶ κατεμέμφετο μὲν ἑαυτῷ πληγῆς ἀσθενοῦς, χάριν δ' ὡμολόγει τοῖς περισώσασι καὶ καταδαρθεῖν ἔφη δεῖσθαι. Οἱ μὲν δὴ τὸ ξίφος ἔχοντες ᾤχοντο καὶ τὰς θύρας ὡς ἠρεμοῦντι ἐπέκλεισαν. Ὁ δ' ὕπνου δόξαν αὐτοῖς παρασχὼν τὰ δεσμὰ ταῖς χερσὶ μετὰ σιγῆς ἀπερρήγνυ καὶ τὰς ῥαφὰς τοῦ τραύματος ἀνέπτυσσεν· οἷα θηρίον τό τε τραῦμα καὶ τὴν γαστέρα εὐρύνων ὄνυξι καὶ δακτύλοις ἐρευνῶν καὶ τὰ σπλάγχνα διαρρίπτων· μέχρι ἐτελεύτησεν, ἔτη μὲν ἀμφὶ πεντήκοντα γεγονώς· ὁμολογούμενος δὲ τήν τε γνώμην ἐς ὅ τι κρίνειε, πάντων ἀνδρῶν ἐπιμονώτατος φῦναι καὶ τὸ δίκαιον ἢ πρέπον ἢ καλὸν οὐκ ἔθεσι μᾶλλον ἢ μεγαλοψύχοις λογισμοῖς ὁρίσαι. Apud Plutarchum Cat. min. 66—73 ut nonnulla mirifice congruunt cum Appiano, ita longe plurima aut aliter narrata sunt aut desiderantur apud Appianum.

Catonis virtutes omnes fere rerum scriptores summis laudibus extulerunt, si discesseris a Caesaris Anticatone. Quamquam ne Asinius quidem excepto loco 23, 1 (hominis gravissimi) eum in narranda morte laudavit, sed Uticenses bene de eo iudicasse scribit, qua re tamen eum non utique in verba magistri iurasse satis demonstratur. In historiis contra invictum Catonis animum celebravisse videtur, ut colligitur ex carmine Horatii II 1 ad Polionem dato, v. 24.

De Iubae ac Petreii exitu quoniam mirifice inter se discrepant rerum scriptores, famam sequendam putamus vetustissimam, quae apud Livium eiusque epitomatorem Florum, denique apud Flori compilatorem Ampelium tradita est. Liv. per. 114 Petreius Iubam seque interfecit. Flor. 4, 2, 69 Iuba

cum se recepisset in regiam, magnifice epulatus est postero die cum Petreio fugae comite superque mensas et pocula interficiendum se ei praebuit. Ampel. 38 Iuba cum se in regiam recepisset, post magnificam cenam interficiendum se dedit. Horum ad fidem cur Asinii verba cap. 94, 1 correxerimus, expositum est in adnotatione; neque enim quisquam Petreium a Iuba interfectum esse memoriae prodidit neque tanta fuisse regem virtute per se credibile est.

Alii Petreium et Iubam mutua caede occubuisse scripserunt, inter Graecos Appianus b. civ. 2, 100 *Ἰόβας δὲ καὶ Πετρήϊος οὐδεμίαν σφίσιν οὔτε φυγὴν οὔτε σωτηρίαν ἐπινοοῦντες ἐπὶ διαίτῃ ξίφεσι διεχρήσαντο ἀλλήλους*; Dio Cass. 43, 8, 4 *Ἰόβας ἀπέγνω τὴν σωτηρίαν καὶ τῷ Πετρηίῳ ἐμονομάχησε καὶ συναπέθανεν*: Romanorum Seneca rhetor suas. (Gargonius) 7, 14 Iuba et Petreius mutuis vulneribus concucurrerunt et mortes feneraverunt; cuius vestigia presse secutus est filius dialog. I (de provid.) 2, 10: 'iam Petreius et Iuba concurrerunt iacentque alter alterius manu caesi. Fortis et egregia fati conventio, sed quae non deceat magnitudinem nostram. Tam turpe est Catoni mortem ab ullo petere quam vitam' (scil. a Caesare). Scilicet philosophus hanc potissimum famam amplexus est, ut magnus Catonis Stoici animus emineret inter eos, qui in consciscenda morte alter alterius ope indigeret. Quod apud Eutropium legimus 6, 23 (18) Cato Scipio Petreius Iuba ipsi se occiderunt, propter orationis et concinnitatem et brevitatem ita scriptum esse crediderim: eadem tamen ratione Festus brev. 4 (Iuba mortem sibi propria manu conscivit). Superest Orosius, quem parum recte Livium secutum esse existimant, 6, 16, 4 (Iuba percussori iugulum pretio dato praebuit, Petreius eodem se gladio perfodit): nam aliquantum abit a Livio, ut, si re vera sua ex Livio hausit, res mirum in modum confuderit.

INDEX VERBORUM.

(Confecit A. Miodoński.)

Asteriscum locis dubiis praefiximus.

---

riae conplures eodem concurrere 1, 5. (naves) [onerariae] reliquae 2, 5. reliquae n. 3, 1. n. onerariae et longae nonnullae casu advenerunt; reliquae . . . Uticam [versus] petere visae sunt 7, 3. inprudentes [suae naves] 11, 4. naves onerariae . . . incertae locorum 21, 3. 34, 5. naves exoneratas iubet . . . proficisci 37, 1; 63, 1. 4. gen. cum classe XXVII navium 62, 2. quarum (navium onerariarum) ibi satis magna copia fuit 34, 3. propter navium errorem 7, 4. multitudine navium 63, 1. *vid.* pars. dat. navibus [onerariis], quae deerrassent, subsidio ire 11, 4. ut suis [onerariis longisque navibus] praesidio essent 46, 4. acc. naves longae adaugeri 1, 5. reliquas naves iubet . . . ad litus appelli 80, 5. naves iis adtribuit 88, 2. avertit 23, 3. capere 44, 2. omnibus reliquis (navibus) ab iis aut subductis aut in cothonem conpulsis 63, 5. *vid.* conpleo. ad reliquas [naves onerarias] conquirendas 8, 2. *vid.* conscendo. consectari 28, 1. reliquas [naves] statim est consecutus 2, 4. legiones duae ~ conspicati naves Caesarianas 53. conversis navibus 63, 2. *vid.* defero. navis una ~ cum errasset . . . scaphis . . excepta est et abducta 44, 1. exoneratis partim navibus longis 8, 1. quas (naves) singulas scaphae . . adortae incendebant atque expugnabant 21, 3. nactus navem, quam ibi habuit, actuariam 28, 1. naves [onerarias] ~ incendit 62, 5. *vid.* incendo. naves onerarias ~ mittit 34, 3. (quod) navem *pro* commeatu familia sua atque iumentis occupavisset 54, 1. in portum recipere 11, 3. Pompeianos in mare navesque conpulerunt 23, 2. aquam in naves iubet conportari 7, 4. in naves inponere 2, 1. 34, 4. 47, 3. 54, 4. in navim inponere 54, 6. incidit in navem 28, 2. abl. navibus longis diu multumque iactati 96, 1. legiones duae . . . navibus onerariis profectae 53. cum decem navibus longis ~ proficisci 8, 2. Aquilam cum XIII navibus [longis] . . . praemittit 62, 2. cum [longis] paucis navibus 2, 5. cum LV navibus pervenit 62, 1. quos in stationibus cum longis navibus . . . esse iusserat 46, 4. *vid.* de. tela ex navibus in castra conportare 20, 1. *sim. ib.* ex navibus egressos 34, 6. aquatum [e navibus] exierant 7, 5. nocte in navibus consumpta 11, 1. custodibus CXXX in ea nave captis 63, 3. 64, 1. *vid.* contineo. in nave esse 28, 2. 44, 1. 2.

ne. *cum coni.* huc eum idcirco existimo se recepisse, ut maritima oppida post se ne vacua relinqueret 9, 2. ut ~ ne reformidarent 72, 4. non est visa ratio . . . commorandi, ne ~ laboraret 5. *sim.* 7, 2. 4. 11, 4 *bis.* 32, 4. 49, 1. 51, 3. 61, 7. 79, 1. 2. 85, 8. hoc eo consilio fecit, ne quis . . . speraret et ut sqq. 1, 2. edicit per ordines, ne quis miles . . . procederet 15, 1. obsecrare Caesarem, ne dubitaret 82, 2. persuasit, ne repugnarent 28, 3. ut providerent, ne . . . circumvenirentur 13, 2. (cum) continerent milites, ne . . concurrerent 82, 4. vereri, ne 41, 2. 50, 3. 53, 1. 58, 4 (villa) Labieni prospectum impediebat, ne posset animum advertere 40, 1. **ne — quidem.** 26, 3. **ne** *interrog.* egone ~ consistam? 45, 3. experiri . . . haberetne in animo dimicare 51, 4.

nec, neque. nec *ante:* c 18, 4; m 8, 4. 26, 5. 47, 3. 73, 2. [91, 3]; p [91, 3]; q 10, 3. 16, 4. 82, 4; t 28, 2; v 47, 3. neque *ante:* b 54, 5; c 14, 1; l 8, 4. 17, 1; m 7, 4. 49, 1. 54, 1. 3; p 5. 23, 3. 24, 3. 30, 2. 54, 5. 94, 2; q 3, 4. 26, 1; r 5. 18, 4. 50, 2; s 37, 2; t 22, 4 *bis.* 54, 3. — gravi annona sunt conflictati, ideo quod nondum . . . commeatus subportatus erat ~ neque amplius milia passuum VI . . . tenebant 24, 3. circumspicere Caesarem nec quicquam amplius facere 16, 4. vitam sibi neque amplius quicquam deprecatur 89, 4. iugum ingens a mari ortum neque ita praealtum 37, 4. in fugam convertit neque longius progressus . . se ad suos recipit 17, 1. subsidio ire clam [ho-

---

INDEX GRAMMATICUS.

INDEX SCRIPTORUM.*)

*) Numeri adscripti capita et paragraphos designant.

theatri efficit speciem. In hoc iugo colles sunt excelsi pauci in quib; singule
turres speculeq· singule peruetores erant conlocate; quare apud ultimã p̃si
dium et statio fuit scipionis; Post caesar ad iugum de quo dacui ascendit· atq·
in unum quemq· collem turrem castellaq· facere coepit· atq· eo minus semi
hora efficit. Postquam non ita longe ab ultimo colli turriq· fuit que proxima fuit
castris aduersariorum· in qua docuisse presidium stationemq· numidarũ· caesar
paulisp commoratus ꝑspectaq· natura loci· equitatu in statione disposito· legi
onib; opus attribuit· brachiumq· medio iugo ab eo loco ad quẽ ꝑuenerat· usq·
ad eum unde egressus erat iubet dirigi ac muniri. Quod postquã scipio labienusq·
anim aduerterant· equitatu omĩ ex castris educto acieq· equestri instructa·
a suis munitionibus circit̃ passus· CO ꝑgrediuntur· pedestremq· copiam in
secunda acie minus passus· cccc· a castris suis constituunt· Caesar in opere
milites adortari neq· aduersariorũ copiis moueri· iam cũ ñ amplius pass̃ CO D·
int̃ hostium aciem suasq· munitiones esse animaduertisset· intellexissetq·
ad impediendos milites suos· et ab opere depellendos hostem propius accedere·

modium milia · ccc · comportata fuerant a negotiatorib; italicis aratorib;
que ad caesarem uenire · quantaq· copia frumenti apud se sit docere · simulq·
orant ut sibi presidium mittat · quo facilius & frumentū & copie suae conser
uentur · quibus caesar in presentia gratias egit · psidiumq· breui tempore se missurū
dixit · cohortatusq· ad suos ciues iubet pficisci · p · sittius interim cū copiis numidae
fines ingressus castellum in montes loco munito locatum in quod iuba belli gerendi
gratia · & frumentum & res ceteras que ad bellum usui solent ē comportauerat ·
ui expugnando est potius · Caesar pquam legionibus ueteranis duabus equitatu
leuiq· armatura copias suas ex secundo commeatu auxerat · naues sex onerarias
statim iubet lylibaeum ad reliquum exercitum transportandū pficisci · ipse ·
ui K feb circiter uigilia prima imperat speculatores apparitoresq· omis ut sibi
presto essent · Itaq· omnibus inscius neq· suspicantib; uigilia tercia iubet omis legio
nes extra castra educi atq· se consequi ad oppidū ruspinā uersus in quo ipse presidiū
habuit · & quod primū ad amicitiam eius accessit; Inde paruulā pcliuitate digres
sus · sinistra parte campi ppt mare legiones ducit · hic campus mirabili planitie